

UNIVERSITY OF MICHIGAN

IO. NIC. MADVIGII,

PROFESSORIS HAUNIENSIS,

ADVERSARIA CRITICA

AD SCRIPTORES GRÆCOS ET LATINOS.

VOL. II.

EMENDATIONES LATINÆ.



HAUNIÆ MDCCCLXXIII.

SUMPTIBUS LIBRARIÆ GYLDENDALIANÆ (FREDERICI HEGEL).

TYPIS I. H. SCHULTZII.


[redacted]

IO. NIC. MADVIGII,

PROFESSORIS HAUNIENSIS,

ADVERSARIA CRITICA

AD SCRIPTORES LATINOS.



HAUNIÆ MDCCCLXXIII.

SUMPTIBUS LIBRARIÆ GYLDENDALIANÆ (FREDERICI HEGEL).

TYPIS I. H. SCHULTZII.

[redacted]

Præmonitum,

Addenda, Corrigenda.

In hoc altero adversariorum volumine, quod prope duos annos apud typothetas hæsit, benevolam et peritam operam in corrigendis typorum erroribus mihi commodavit Clarentius Gertzius, discipulus carissimus, nec pauca extra illud corrigendi genus utiliter me monuit. Is cum in singulis scriptoribus præter nostræ ætatis proximæque editiones apparatu critico instructas, quibus ego perpetuo usus eram, etiam antiquiores, quæ variorum notas haberent, diligentius, quam ego feceram, perscrutaretur, unam etiam et alteram recentissimam, quam ego non adhibueram, non ita pauca, quæ mea coniectura emendaveram, eodem modo a superioribus correcta repperit, nonnulla nuper. His emendationibus primorum inventorum nomina in plagulis iterum relegendis adscripsi brevissime, ne nimiam molestiam typothetæ crearem, nec valde dolui sic nonnullis novitatis gratiam detrahi. Nam pro novis tamen non immerito accipientur, quæ adeo spreta et oblivioni tradita iacuerunt, ut magnam partem ne suspicionem quidem ullam cuiquam obortam recentiores editores indicarent, in Cæsare Nipperdeius aut Duebnerus, in historiæ Augustæ scriptoribus Eyssenhardtius Iordanusque aut Peterus, in aliis alii, et confirmatur veritas iterum inventa. Supersunt eiusdem generis nonnulla aliaque quædam sero animadversa, quæ hic cum minutorum errorum correctione eo loco ponam, ubi facilius in oculos incurrant.

P. 25 v. 23. Ad confirmandam in Lucret. IV, 1051 emendationem per se certam accedit, quod in Lugd. 1 scriptum est *hæc illa ex primum.*

30 v. 5 ab imo (text.) haud inclinatis litteris scriptum oportuit.

35 v. 23 *pro* ager *scr.* acer.

40 v. 14 *pro* additu *scr.* addita. v. 20 *pro* amicum; *scr.* amicum:

54 v. 6 ab imo. In Horatii od. III, 4, 10 *limina villulæ* restitui voluit etiam G. Herbstius in annal. nov. philol. vol. 103—104 p. 432.

69 v. 10 etiam *et* inclinatis litteris scribi debuit.

70 v. 4 ab imo. In Ovidii ep. her. II, 107 eandem versuum transpositionem commendavit Suringar (apud Iahnium).

85 v. 6. Ovidii metam. VII, 558 eodem modo emendavit Ochsner.

89 v. 9. In Ovidii met. XI, 293 eadem emendatio a Fussio facta est.

104 v. 20 sqq. Quæ de Ovidii ex Ponto IV, 16, 33 scripsi, in iis meæ legis oblitus e codicibus interpolatis coniecturam pravam duxi, etsi recte duos versus Ovidium Gratio tribuisse posui Tityrique nomen pertinere ad bucolica ab illo scripta. E melioribus codicibus apparet certa hæc esse:
Tityron antiquas....ad herbas, mediam versus partem in codice nostrorum parente legi non potuisse varieque coniectura suppletam esse. Efficitur igitur hæc scriptura, quod ad sententiam et universam orationis formam attinet, certa, in duobus verbis dubia:

Tityron antiquas [rursus revocaret] ad herbas
aptaque venanti Gratius arma daret.

119 v. 9. In Senecæ Œdip. v. 975 sententiæ magis etiam quam *fundunt* satisfaciet *fuderint* (h. e., satis sit hactenus fudisse).

154 v. 18 *pro* Danaæ opibus *scr.* Danais opibus.

209 v. 2 ab imo. Legitur tamen ep. ad fam. VII, 32: addubitavi, num a Volumnio senatore esset, de suspicione. Sed ibi quoque olim scriptum fuisse opinor addubitavi, *an* a Vol.

228 im. In Pison. 69 potest etiam in mentem venire *tricatus est*, quod usitatius est, sed minus proprium.

[redacted]

240 v. 2. Distinctius dicere debui non Latinum esse *quærere ut* (alius) *faciat*, hoc est, *petere;* nam *quæro ut* (*ipse*) pro eo, quod est *operam do*, *propositum mihi est*, et a Cicerone (Verr. I, 8, N. D. I, 45) et a Livio (II, 57, 3, IX, 17, 1, cett.) dicitur.

274 v. 21 (Cæs. B. C. III, 25.) Cercius ventus Galliæ Narbonensis proprius est, nec id nomen universe de certa venti regione dicitur. Itaque potius *cori* a Cæsare nominati fuisse videntur.

278 v. 2 incaute sic scripsi, ut calumniæ locum darem. Litteras laureatas satis novi; sed *præferri insignia* laureæ in litteris recte negavi.

279 v. 12 *pro* animos *scrib.* animum.

301 v. 14. Velleii Paterculi locum (II, 20, 5) eodem modo Kochius (Quæst. Vell. Lips. 1860) emendavit.

328 v. 17. De Senecæ loco (ad Polyb. 16, 2) dubitationem iniicit, quod apud eundem epist. 101, 13 legitur: *quid autem huius vivere est?* Sed apud Valerium Maximum accedit ad insolentiam infinitivo adiuncta negatio (*eius non dimicare*), neque agitur, quid Fabii dimicandi vitatio fuerit, sed cuius rei loco ea ab ipso habita æstimataque sit.

329 v. 24. Cum emendatione Valerio adhibita conferatur apud Senecam de tranqu. animi 4, 7 recte a Mureto repositum: *Ut salutaria quædam* (v. *quæ*) *citra gustum tactumque odore proficiunt.*

344 not. 2. (Senec. ad Marc. 1, 4.) Decepit me notæ apud Fickertum ambiguitas; nam in A *ob duas res* in ipso contextu scribitur, tantum in D in margine; itaque id retineri debet.

351 v. 15 sqq. (Senec. ad Marc. 12, 6.) *Falso* pro *salvo* scribendum esse iam Muretus viderat.

352 v. 19 *pro* Senecæ non *scrib.* Senecæ libris non.

354 v. 11 sqq. (Senec. ad Marc. 16, 6.) Non recte *perduxit* ad filium rettuli, quod ad fortunam pertinet. Sed ne ea quidem effecisse dici potest, ut Marcia recte iudicet et casum recte æstimet.

376 v. 11 (Senec. de tranqu. an. 1, 13.) *Inculta videantur* fortasse ortum est ex *inculta adeantur* (*incultadeantur*).

377 v. 21. (Sen. de tranqu. an. 5, 1.) Præterea scribendum

videtur: *coibat cotidie carnificum triste collegium. Infelix curia tyrannis angusta!* (Vulgo: *collegium et infelix ... angusta*). Neque enim curia (angusta) coibat, sed illi in curiam.

378 v. 11 *pro* calumnia *scrib.* calumniam.

384 v. 3. (Sen. de tranqu. an. 15, 1.) Quæ de mutanda interpunctione dixi, iis adversantur nominativi *lucra* et *ambitio* non accommodati ad eam structuram. Sed duri aliquid et dissoluti relinquitur.

A. D. XIII Cal. Iun. MDCCCLXXIII.

[redacted]



IO. NIC. MADVIGII,

PROFESSORIS HAUNIENSIS,

ADVERSARIA CRITICA

AD SCRIPTORES GRÆCOS ET LATINOS.

VOL. II.

EMENDATIONES LATINÆ.

Absolvitur hoc volumine opus ante duos annos edi coeptum, transferturque ad Latinos scriptores eadem forma, qua auctor priore volumine, adumbratis primo libro artis coniecturalis legibus, altero et ceteris deinceps libris usque ad quintum scriptores Græcos temporum ordinem sequens percensuit emendationesque multorum annorum studiis natas exposuit. Et quamquam ad Latinorum scriptorum opera mendis liberanda expoliendaque, maxime prosæ orationis Latinæ principis, Ciceronis, plurima libris ante editis evulgavit, Livium autem, quem totum ante annos non multos edidit eiusque editionis partes (libr. XXI—XXV et I—V) nuper renovavit, omnino ab hoc opere exclusit, tamen supererat expromiturque hic materia Græcæ superioris voluminis copiæ nihil cedens. Sextus igitur



Procemium voluminis alterius.

Absoluta superiore horum adversariorum volumine ea materiæ parte, quæ ad Græcos scriptores pertinebat, præter ea, quæ primo libro comprehendi communiter ad utriusque linguæ scriptores spectantia, poteram fortasse sine ullis procemii ambagibus simpliciter eodem tenore ad Latinas emendationes expromendas transire. Nam et de operis consilio et de materiæ dispositione scribendique forma atque etiam de studiorum meorum cursu, unde hæc nata est et excrevit copia, satis dictum est priore communique procemio. Queri autem hoc loco de operis spatio ultra, quam aut optaveram aut speraveram, aucto explicareque, quam lentæ me evolare ex his minutiis cupientem circumsteterint moræ et ex laboris genere et ex aliis extrinsecus causis ortæ, quamque sim aliquando ad finem vel cum festinatione perveniendi cupidus, quid aut mea aut aliorum refert? Sed tamen est, quod ab iis, qui librum in manus sument, quidque ferat, quærent, animadverti considerarique velim. De Græca materia, quæ propioribus ab hoc tempore annis collecta est, perpauca antea edendo delibaveram, nihil peculiari scripto. Latinos scriptores cum adolescens etiamtum enarrare cœpissem et per multos annos ob eas, quas antea exposui, causas in iis solis muneris publici operam continerem, huius materiæ aliquanto prius natæ auctæque magnas partes iam ante evulgavi; eius quidem, qui in tota prosa oratione primum locum tenet, Ciceronis alia scripta ipse recensui, ad alia per meos aliorumque

(Henrichsenii, Wesenbergii, Tregderi, Lundii, Halmii Baiterique et Kayseri) libros permagnum emendationum numerum sparsi, ut iam minus ampla et dives copia supersit, nec tamen, ut spero, contemnenda; Livii autem, qui inter historicos operis amplitudine et utilitate primus est, libros cum ante paucos annos emendationum Livianarum volumine pertractassem, deinde totos recensui et cum Ussingio edidi, ad quem scriptorem si quid accessit post a me inventum, quod perexiguum est, quoniam nihil ei continuæ curæ impendi, alii tempori aptius reservatur. Itaque ad Livium emendandum quod pertineat, nihil hic reperietur, Ciceronianæ emendationes satis multæ, sed tamen longe pauciores, quam quas antea edidi; plus sibi loci præter Ciceronis æquales vindicabunt subsecuti temporis prosæ orationis scriptores, nec parvam partem occupabunt poetæ, quos præter Lucretium et Iuvenalem minus adhuc in libris editis attigeram. Sed præter hanc in Cicerone et Livio materiæ non tam detractionem quam levationem (satis enim copia et onere gravat, quæ restat,) aliud attingendum verbo hic est, quod ipsi initio voluminis commendationis aliquid, ne splendoris dicam, detrahit. Facit enim institutus ordo, ut ab iis scriptoribus Latinis ordiendum mihi sit, quibus minus assiduam operam tribuerim et ad quos aut exiguas, ut ad Plautum, aut non ita lautas symbolas afferam, ut ad Terentium. Hanc initii tenuitatem redemptum iri spero eorum, quæ ad alios scriptores subsequentur, ubertate. Poetarum antiquorum ex operibus, quæ interciderunt, fragmenta quoniam fere ea sola, quæ apud Nonium sunt, attigi, eorum emendationes ponentur, cum ad Nonium ventum erit, aut si quod apud alium scriptorem positum tentavi; quid ad quemque poetam collatum sit, index monstrabit.

[redacted]

Liber VI,

qui Latinarum emendationum primus est.

Cap. I.

Emendantur Plautus, Terentius, (Lucretius, Catullus).

Uno capite non prolixo comprehendi possunt, quæ ad poetas Augusti ætate priores, quorum opera exstant, proferenda mihi sunt. Ex iis Plautum legi adolescens, ut tum licebat, non indiligenter, eiusque lectionis cum veteris sermonis observatione coniunctæ indicia habet disputatio de formarum quarundam verbi Latini natura et usu, a me a. 1835 et 1836 edita positaque postea in opusculorum academicorum volumine altero, quam nunc quoque prorsus probo; ad scripturæ emendationem tentandam neque subsidiis instructus neque metrorum prosodiæque observatione præparatus eram; alias enim mihi proposueram, in quibus elaborarem, antiquarum litterarum partes. Itaque nihil habeo illo tempore annotatum, quod edi velim. Intervenit Plautinorum studiorum renovatio magno fervore a Fr. Ritschelio cœpta, ab aliis excepta. In eius ego operæ partem ob studia alio collata venire non potui, nec animi inclinatione trahebar, ut me in minutam illam prosodiæ maxime observationem in instabili fundamento trepidantem immergerem. Ac si quis me, quod memini fieri, putabit grammaticum parum curiosum fuisse novorum grammaticæ Latinæ condendæ initiorum, quæ hic nascerentur, ei ego

primum respondebo, me diligenter attendentem, si quid, quod paulo latius pateret, certa prudentique observatione repertum videretur, adscivisse, non pauca minora a communi arte arcenda putasse, nonnulla prorsus ut incerta aut falsa sprevisse, deinde autem me de toto grammaticæ, quæ scholarum et ipsorum philologorum causa ad scriptorum intelligentiam componatur, fundamento in sermonis exculti et confirmati usu constituendo paulo aliter sentire, postremo id quoque intelligere, Plauti comœdiis ne plane nativum quidem sermonem Latinum et suopte ingenio sese moventem contineri, sed non raro Græca vertendo, imitando, novam versus formam sequendo et ei obediendo inflexum. Ut tamen certiorem totius huius studii Plautini imaginem animo informarem, ante paucos annos quinque Plauti fabulas sumpsi paulo lentius perlegendas, quattuor a Ritschelio editas, Menæchmos, Militem, Mostellariam, Trinummum, unam nondum ab eo editam, Captivos, adhibitis Brixii et Lorenzii exemplis (in Captivis etiam Ussingii). Admirabar laudabamque instrumenti critici conquisitionem pervestigationemque accuratissimam et in omnibus rimandis diligentiam, multa partim in verborum antiquis formis protrahendis restituendisque, partim in ipsis verbis, quibus quoque loco Plautus usus esset, reperiendis perdocte et scite administrata videbam, sed idem ita iudicare cogebar, dum Ritschelius præscriptam versuum formam legemque explere studeret omniaque ad sua præcepta non ubique certa aut vera exigeret, omnia denique, in quibus adhæsisset, corrigeret nec ἐπέχειν sciret velletve, sic sæpe a vestigiis codicum certissimisque indiciis discessum esse, sic omnia versa, sic quædam ficta, non sine falso verborum usu sententiæque incommodis, ut temeritatem mirarer simulque artis criticæ perturbationem dolerem. Nihil est enim in ea damnosius hac consuetudine non ex certis indiciis firmæ et, cui ipse vere credas, correctionis petendæ, sed, dum omnia expedire velis, instabili coniec-

[redacted]

tura et facile in contrarium se vertenti tantum ea sectandi, quæ versum aut sententiam ad legem aliquam quomodocunque expleant; nam præter singulorum locorum depravationem perit sensim veri sensus et reverentia, certi ab incerto, emendationis a lusu distinctio. Sed magis hæc reprehendere et eiicienda notare poteram quam ipse nova ac vera reperire, partim quod nimis lubrica indicia erant, partim quod animus nec scientia nec consuetudine satis se ad Plautinam formam movebat. Pauca tamen quædam in locis nihil a versu dubitationis habentibus succurrerunt probabilia aut prope certa, quæ hic ponam, non adspirans ad Buggii mei sollertissimæ simul et cautæ in Plauto inventionis laudem. Ab incerta suspicione incipiam.

Capt. 279 (II, 2, 30). Postquam Philocrates, qui, Tyndari suscepta persona, de se tanquam altero loquitur, Philocratem dixit in patria Elide summo honore esse atque ab summis viris, Hegio subiicit:

Tum igitur ei quom in Aleis tanta gratia est, ut prædicas,
quid diuitiæ? suntne opimæ?

Apparet intellectumque est ab aliis, perverse conclusione argumenti et per particulas *tum igitur* a gratia et honore transiri ad alteram rem quærendam: *Quid diuitiæ? suntne opimæ?* Sed quod tolli volunt v. 279, nihil habet ea damnatio probabilitatis. Mihi Hegionis animus, quum de domestico Philocratis honore et gratia audiverit, converti paulisper videtur ad eam, in qua nunc sit, condicionem:

Rumpitur, ei, quom in Aleis tanta gratia est, ut prædicas.

Necessario nunc eum indignari dicit.

Ibd. 379 sqq. (II, 3, 21 sqq.) inter personas oratio sic distribuenda est:

PHILOCRATES.

Recte conuenisse sentio.

TYNDARUS.

Nam pater expectat aut me aut aliquem nuntium,
qui hinc ad se ueniat. Ergo animum aduortas uolo, . . .

Illa enim *nam pater* (meus) cet. necessario e Tyndari, hoc est, ficti Philocratis, persona dicuntur, a Philocratis, qui Tyndarum se fingit, alienissima sunt.

Ibd. 399 sqq. (II, 3, 41 sqq.). Quaerenti Philocrati, qui pro Tyndaro servo abiturus domum est, numquid Philocrates, cuius personam Tyndarus agit, patri nuntiari velit (*Numquid aliud uis patri Nuntiari?*), hic respondet:

Me hic ualere, et tute audacter dicito,
Tyndare, inter nos fuisse ingenio haud discordabili,
neque te commeruisse culpam neque me aduorsatum tibi,
beneque ero gessisse morem in tantis ærumnis tamen,
neque med umquam deseruisse te neque factis neque fide
rebus in dubiis, egenis.

Quæ in primis verbis offendunt, excusanda puto. Subiectis enim ei verbo, quod auditur (*nuntiari uolo*), iis, quæ communem salutis mittendæ formam habent (*me hic ualere*), tolerabiliter per *et* adiungitur imperativus (*et tute audacter dicito*), et quemadmodum dicatur *inter se salutare*, omisso altero obiecti accusativo, eodem modo ferri posse omissum in simili orationis forma subiectum (*nos inter nos fuisse*), recte Lindemannus annotasse videtur. Sed quæ sequitur laudis inter utrumque distributio, ea non solum male in duas partes divellitur, sed prorsus perturbatur subiectis in primo versu post *neque te* illis *neque me adu. tibi*, post quæ sic reditur v. 402 (*beneque ero gessisse morem*) ad servi personam, ut vitiosissime desit subiectum; sermonis enim lege necessario *gessisse* refertur ad *me*, quod sententia non patitur. Nimirum duo primi versus toti ad servi laudes pertinent:

Neque te commeruisse culpam neque *te* aduorsatum *mihi*
beneque ero gessisse morem in tantis ærumnis tamen,

quibus ex altera heri parte respondet hoc:

Neque med umquam deseruisse te, . . .

Et hoc hero convenit, non deseruisse servum, minime alterum, non adversatum esse, quæ apta servi obedientis laus est. Apparet minus attentum lectorem, cum post prius *neque te* statim alteram distributionis partem sequi putaret, *me* ... *tibi* substituisse. Et *mihi* affertur e „MSS. Langii". Omissa est altera pars coniecturæ, *te*.

Menæchm. 105 (I, 1, 29). Codices:

Domi domitus sum usque cum caris meis,

et sententia et versu mendum arguentibus, in quo corrigendo non felices fuerunt editores. (*Dominus* quidem prorsus inane et a sententia alienum est.) Videtur scribendum:

Domi *dum inuitus* sum usque cum caris meis.

Ibd. 152 sq. (I, 2, 43). PENICULUS:

Oculum ecfodito persolum
Mihi, Menæchme, si ullum uerbum faxo, nisi quod iusseris.

In *persolum*, quod pro desperato notatur, latet, opinor, *pessulo*. Quemadmodum Cyclopi μοχλῷ oculus effossus sit, sic sibi parasitus oculum pessulo effodi iubet, si verbum fecerit.

Mil. Glor. 217 (II, 2, 62) codicum vestigia, in quibus est: *tibi ego dico anheriatus uestis heus te adloqui Palestrio*, pæne manu ducunt ad hanc scripturam:

Tibi ego dico: *ah feriatus ne sis*, heus, Palæstrio,

sublatis duabus vocibus, quæ nescio quo errore ad *heus* additæ sunt; ac *feriatus ne sis* subesse iam Pylades viderat, pro quibus infelicissime *heureta*, quod nihil hic agit, et *hauscis* substituta sunt.

Ibd. 221 (II, 2, 66). Codices: *anteueni (ante ueniet* B*) aliqua aliquos auttu (autu* C D*) circumduce exercitum*, ex quibus efficitur, non longe a Camerarii sententia:

Anteuenito aliqua *illos* aut tu circumduce exercitum.

Aut anteveniri aut circumiri adversarios Periplecomenus iubet. *Tu* post *aut* ponitur noto usu, quo Horatius dixit: *Nec dulces amores Sperne puer neque tu choreas* (od. I, 9,

16) et Ovidius (met. II, 293): *Quod si nec fratris nec te mea gratia tangit*, alii alia.

Ibd. 223 (II, 2, 68). Codices: *Intercludite inimicis commeatum, tibi muni uiam*, pravo imperativi numero, versu fracto; nec ferri posse *commeatus* nomen, cui ne per se quidem *uia* recte contraria ponitur, cum in proximo versu sequatur *cibatus commeatusque*, recte Ritschelius iudicavit. Id vocabulum additum est, quum, quod Plautus posuerat, cum præcedenti verbo coaluisset:

Interclude iter inimicis, *at tu* tibi muni uiam.

Qui *commeatum* effinxit, a litteris *at tu* profectus est. [*Interclude iter* iam Buggius.]

Ibd. 328, 329 (II, 3, 57). In codicibus scriptum est:

Sed fores concrepuerunt nostræ. (SCEL.). At ego illico obserui (CD *ila obseruis*) fores.

Prima tria verba, quæ Palæstrioni dantur, ad eius personam inepta sunt; neque enim ullas vere concrepuisse fores significatur in proximis, nec id Palæstrio curat; sed Sceledrus, qui se Philocomasium in Periplecomeni ædibus vidisse credebat et viderat, quique, ne ea occulte se domum militis referret, cavebat, totus in suspicione et observatione, fores sibi videtur concrepantes audire. Itaque ei hæc verba danda sunt. Deinde autem ex *obserui* violenter et improbabiliter aut præsens aut futurum (*obseruasso* Ritschl.) efficitur; neque recte huiusmodi sententia per *at* cum superiore coniungitur. Sine dubio Plautus *obserui* ex obserendo (ut *conserui, inserui*, quibuscum coniunctum est seræ nomen,) pro *obseravi* dixit, significatque Sceledrus se ipsum fores clausisse et pessulum obdidisse, ne Philocomasium furtim ac sine strepitu per fores semiapertas irrepere posset. Sic igitur scribendum est, præposito Sceledri nomine:

[redacted]

Sed fores crepuerunt nostræ; at ego *illic* (aut *illas*) obserui fores.

Illico ex *illic* et sequenti *o* natum.

Ibd. 374 (II, 4, 21) e codicibus efficitur:

Non possunt mihi (sic B, ceteri *mihi possunt*) minaciis tuis hice oculi exfodiri.

Pro *minaciis* unus A *minis*; pro *exfodiri* ceteri præter A *fodiri*; tum AB *hisce oculis*, CD *hisce oculi*, quod Ritschelio tenendum erat, qui 486 *hisce homines* scripsit et alibi similia; *hosce oculos* perversissimum est, nisi *potis es exfodire* scribas. *Tuis* pro una syllaba est.

Ibd. v. 514 sqq. (II, 6, 34 sqq.), adhibitis aliorum facilibus emendationibus, scribendum est:

ut nesciam,
utrum me expostulare tecum æquomst prius,
si istæc non est hæc neque uisast istæc mihi,
an me expurgare tibi uidetur æquius.

Hæc vera est diiunctio et illa expostulatio, si (id est *num*) istæc non est (*sit*) hæc, cet.

Ibd. 588 (II, 6, 105) de Sceledro Palæstrionis artibus coacto suis oculis non credere scribendum est ex apertissimis codicum vestigiis, optima sententia, optimis verbis:

Quoi id adimatur, ne id, quod uidit, uiderit.

Ex *quoi id adimatur* in Ba factum *quod adi matur*, in C *qd inadimitatur*, in D *qd inadimatur*.

Ibd. 639 (III, 1, 43) quicquid fit de loco versus, quem Ritschelius 637 fecit (*Plus dabo quam prædicabo ex me uenustatis tibi*), nulla est causa de lacuna cogitandi, si lenissimam adhibueris correctionem:

Tute (pro *ut*) aput te exemplum experiundi habeas neu petas foris.

Ibd. 801 (III, 1, 206) nihil erat mutandum (nedum ineptum *domi* nomen inferciendum), sed adhibenda recta interpunctio:

ille (eiusmodi est) cupiet miser,
qui nisi cet.

Ibd. 881 sqq. (III, 3, 8 sqq.). Acroteleutium meretrix, astutiis et calliditate freta, Periplecomeni admonitionem sic aspernatur:

Meretricem commoneri
quam sane magni referat, mihi clamst. Quid? egone frustra,
postquam adbibere aures meæ tuæ loream orationis,
tibi dixi, miles quemadmodum potesset deasciari?

Sic Ritschelius edidit; in codicibus v. 882 scribitur *quin ego insustro* (B), *quin ego infrustro* (C). Sed quicquid de hoc versu statuitur, ineptissime meretrix gloriatur, se, postquam orationem Periplecomeni audierit, dixisse, quomodo decipi et falli miles posset; neque si ita esset, erat, cur contemptim loream orationis appellaret. Scribendum est:

Quin ego, *ni frustror*,
priusquam adbibere aures meæ tuæ loream orationis,
tibi dixi, cet.

Superba cum modestia dicit *ni frustror* (fallor).

Ibd. 1319 (IV, 8, 9) codicum hæc est scriptura:

PH. Ibo quamquam inuita facio omni pietas scio
PL. chant sapis.

(CDF *omni pietas sit eo chant sapis*).

Animadverso, in *omni* litteram *o* e præcedenti voce ortam esse, facilis et certa nascitur correctio:

PHILOC. Ibo, quamquam inuita facio, *ni* pietas *cogat.*
PLEUS. Sapis.

Aptissime hoc dicitur: Invita facio, nec faciam, nisi pietas cogat. . Ex *s* geminato et *co* factum *scio*, ex *gat*, quod restabat, *chant.*

Mostell. 65 (I, 1, 62) scribendum puto:

Este, ecfercite uos *sagina,* cædite,

pro eo, quod editur: *ecfercite uos*, *saginam caedite.* Sagina, opinor, non cæditur.

[redacted]

Ibd. 213 (I, 3, 56). Codices:

Illa hanc corrumpet mulierem malesuada (— *dam* B) uitilena (C *uttilena*).

Quod proximum erat positumque a Camerario et Lambino *uitii lena*, genetivi formam non Plautinam habet; substituendum igitur:

malesuada *uitiis lena.*

Ita appellatur, quæ malesuada vitiis lenocinatur.

Ibd. 339 (I, 4, 26). Inepte Callidamati ebrio quærenti: *Ecquis hic est?* Philolaches respondet: *adest,* tum Callidamates, qui neque ante hominem norat nec nomen accepit, tamen nomine salutat: *euge, Philolaches*, inusitata salutandi forma, subiecta deinde usitata: *salve.* Recta omnia erunt, si Delphium Callidamati respondentem fecerimus:

Adest, euge, Philolaches,

tum Callidamatem salutantem.

Ibd. 673 (III, 1, 143):

THEUROP. Non in loco emit perbono. TRANIO. Immo in optumo.

Parum apta ad Theuropidis personam, ædes emptas a filio libenter audientis, illa loci reprehensio, qua statim omissa cupere se hercle ait inspicere ædes. Scriptum opinor fuisse:

THEUR. Bono in loco emit. TRAN. Perbono, immo in optumo.

Aptissimus Tranionis personæ ille est in augendo ascensus.

Ibd. 708–710 (III, 2, 19—21):

Atque pol nescio, ut moribus sient
uostræ; at hæc, sat scio, quam me habet male,
peius posthac fore, quam fuit mihi.

Sic Ritschelius; codices in v. 709 *at* omittunt scribiturque *habeat.* Superiores inde a Camerario v. 710 *peiusque* edebant, contra codices; sed, illa omissa particula, ex

his: *scio, quam me habet male, peius posthac fore, quam* cet. nulla recte efficitur sententia; ea nascetur, geminata una syllaba:

uostræ; hæc, sat scio, *quamquam* me habet male,
peius posthac fore, quam fuit mihi.

Ibd. 980 (IV, 2, 64) scribendum est:

THEUR. Vera cantas. PHAN. Vana uellem. Patris
amicu's uidelicet,

pro his: *amicus uidelicet.*

Terentii comoedias relegi nuper, cum Umpfenbachii opera instrumenti critici usus facilior certiorque et plenior esset factus, paucisque, quas ex superiorum temporum lectione annotatas habebam, coniecturis addidi paulo plures. Usus sum etiam Fleckeiseni editione (1861). In Andria Bembino codice nos carere notum est.

Andriæ 512 (III, 2, 32) sic scribitur:

Multa concurrunt simul,
qui coniecturam hanc nunc facio. Iam primum hæc se e
Pamphilo
grauidam dixit esse.

Sed barbarus est nullaque arte excusari potest indicativus *facio*, pro quo simpliciter restituendum est *faciam*. Haustis enim tribus extremis verbi litteris propter particulam earundem litterarum *(iam)*, quæ sequebatur, male suppletum est *facio*. Recte Bothius in Eunuchi prologo v. 9 restituit *nuper perdidit*, minus recte alii *nunc nuper dedit*, adverbiis inepte coniunctis.

Ibd. 619 (III, 5, 13) Pamphilus, quam malo adiutore usus sit Davo, querens, non *hem* dicere potest, subiecta sententia interrogativa pendenti, sed demonstrativa uti particula debet:

en (em), quo fretus sim!

Ibd. 973 (V, 6, 9) PA. Tum de puero, Dave. DA.
Ah desine.
Solus est, quem diligant di. CH. Saluos sum, si hæc
uera sunt.

[redacted]

Nihil agitur de pueri felicitate, sed Davus, Pamphilum omnia, quæ sibi læta ac felicia eveniant, enumerantem desinere iubens, satis se, quam sit beatus, intelligere ait:

Solus *es*, quem diligant di. [Iam Bentleius.]

Eunuch. 307 (II, 3, 16). Codices habent:

PA. Qui quæso? CH. Amo. PA. Hem. CH. Nunc,
Parmeno, te ostendes, qui uir sies.

Deest versui syllaba; (nam duplicis in *ostendes* ictus reprehensio nil causæ habet;) itaque editur e Bentleii coniectura *ostenderis*, multo minus apta verbi forma. Scribendum erat:

Nunc, Parmeno, *tete* ostendes, qui uir sies.

Ibd. 312 (II, 3, 21):

Fac sis nunc promissa adpareant;
sic adeo digna res est, ubi tu neruos intendas tuos.

Neque *sic* neque *adeo* aptum est, ineptissimum *sic adeo*. Scribendum sine dubio:

suadeo: digna res est, ubi tu neruos intendas tuos.

Ibd. 520 (III, 3, 14). Exponit Chremes, quid secum Thais locuta sit, et quid ipse eius verba audiens cogitaverit:

Rus Sunii ecquod habeam et quam longe a mari.
Credo ei placere hoc; sperat se a me avellere.

Non potest in hac oratione post *credo placere* ferri *sperat*, tanquam secum ipse sermocinans inducatur. (Id sic fere dicendum erat: Sic credebam: placet hoc ei; sperat cet.). Scribendum est, una littera mutata:

Credo ei placere hoc, *sperasse* a me avellere.

Nam *sperasse* est *in spem venisse*, *spem cepisse.*

Ibd. 722 (IV, 4, 54) DORIAS. Tu pol, si sapis,
Quod scis, nescis, neque de eunucho neque de uitio
uirginis.

In suadendo et iubendo necessario scribendum *nesci*. Poterat ferri *nescies; nescis* ferri nequit.

Ibd. 847 (V, 2, 8). Videndum, ne, qui se summo timore huc illuc fugisse narret, parum apte dicat:

ita miserrimus
Fui fugitando, ne quis me cognosceret,

potiusque scribendum sit:

Rui fugitando, ne quis m. c.

Ibd. 1003 (V, 6, 2) scribendum videtur una littera minus:

Numquam edepol quicquam iam diu, quod magis uellem euenire,
mi euenit, quam quomodo (pro *quod modo*) senex intro ad nos uenit errans.

Neque enim, quod intravit, Pythiadi gaudio fuit, sed modus intrandi et error.

Ibd. 1019 (V, 6, 18):

PA. Siquidem istuc impune habueris. PY. Verum.
PA. Reddam hercle. PY. Credo.

Nihil in Pythiadis persona apte significat *uerum* (aut *uerum?*) Continuanda sic Parmenonis verba:

Siquidem istuc impune habueris; uerum reddam hercle.
PY. Credo.

Heautontimorumen. 112 (I, 1, 60):

Simul rem et gloriam armis belli repperi.

Mire abundat *belli* et sine ullo, ut opinor, exemplo. Scribendum videtur *belle repperi.*

Ibd. 148 (I, 1, 96):

Decreui tantisper me minus iniuriæ,
Chremes, meo gnato facere, dum fiam miser.

Non dum fit Menedemus miser, iniuria filio facta minuitur, sed dum est. Videndum, ne scribi debeat:

dum *uiuam* miser.

Ibd. 205 (I, 2, 31) oratio sic interpungenda est:

nam parentum iniuriæ
unius modi sunt ferme, paulo qui est homo tolerabilis;
scortari crebro nolunt, nolunt crebro conuiuarier.

[redacted]

Nam illa *paulo qui* cet. hoc significant: si quis est paulo tolerabilior, vel: eius iudicio, qui paulo tolerabilis est nec omnia severe exigit, pronomine relativo Græca consuetudine (ὅς ἄν) laxius adiuncto, ut alio modo fit Hec. 608 (IV, 3, 2): *Istuc est sapere, qui, ubiquomque opus sit, animum possis flectere. Tolerabilem* autem Terentius dixit pro toleranti et patienti, ut alibi *placabilis* active posuit, ut Lucretius *mactabilem plagam* dixit, alii alia; cfr. Lorenz. ad Plauti Mostell. 1147.

Ibd. 289 (II, 3, 48):

tum ornatam ita, uti quæ ornantur sibi,
nulla mala re esse expolitam muliebri;

Sic editur e cod. Bembino; in ceteris enim *malam* scribitur; sed languidissimum esse *mala re muliebri*, prorsus intolerabiliter addi in descriptione *esse*, apparet et senserunt alii. Itaque etiam ad anceps auxilium nuper Fleckeisenus confugit, ut versum post 289 excidisse statueret. Ego cum anno, opinor, MDCCCXXX sic scribendum annotassem:

Nulla malas arte expolitam muliebri,

ut significarentur genæ et malæ fuco carentes, et in ea emendatione, quam certam audeo dicere, mihi placerem, quod retracta vox rarior simul erroris originem aperiret ex ea cum adiectivo omnium frequentissimo confusa, vidi aliquot annis post, iam Lindenbrogium *malam* recte maxillam intellexisse. Paulo post v. 297 (56), quoniam, quid leporis elegantiæve sit in hac coniunctione: *quam dicit sordidatam et sordidam*, non video, scribendum puto *et horridam*.

Ibd. 402 (II, 4, 22):

Immo ut patrem tuom uidi esse habitum, diu etiam duras dabit.

Patrem Syrus neque bene neque male habitum viderat, sed tristi habitu, scribendumque *uidi habitu*; neque enim si quis substantivi accusativum interpretatur *habitum*, is accusativus hic ferri potest *(ut est habitum)*. Sed quod Fleckeisenus scripsit *turbas dabit*, ea locutio nihil significat,

quod in patrem tristem et filii votis obstinato animo adversantem cadat. *Duras dare* Terentius quotidiani sermonis brevitatem sequens de *auribus* clausis nec preces admittentibus dixit. Poterat etiam *surdas* scribi, sed mutatione opus vix est.

Ibd. 458 (III, 1, 49):

Quid uini absumpsit, „sic hoc," dicens, „asperum,
pater, hoc est; aliud lenius sodes uide."

Primum *sic* ab imitatione orationis puellæ seiungi et cum *dicens* coniungi debet; deinde vitiosa est geminatio pronominis *hoc*, quæ recta esset, si duo vini genera diversis causis improbaret (velut: *hoc asperum, pater, hoc austerum est*). Scribendum videtur:

sic, „*hui*," dicens, „asperum,
pater, hoc est, cet.

Ibd. 538 (III, 2, 27):

SY. Recte sane. CH. Quippe qui
Magnarum sæpe id remedium ægritudinumst.

Hic usus vocabuli *qui* particulæ *quippe* extra structuram orationis adhærentis, ut totum pro solo *quippe* accipiatur, nullo alio exemplo Terentiano defenditur, nec magis *qui* particulis affirmantibus eodem modo subiecti (*hercle qui, ecastor qui* cet., quæ post Fleckeisenum commemorarunt Brixius ad Plauti Capt. 550, Lorenzius ad Mostell. v. 811), vestigium ullum est apud Terentium. Itaque vereor, ne scribi debeat: *Quippini?*[1])

Ibd. 818 (IV, 5, 14). Codex Bembinus:

Quid igitur dicam tibi uisabisti mihi
amicam adduxti, quam non licitumst tangere.

Recte Umpfenbachius, *tibi* et *mihi* inter se contraria

---

[1]) V. 645 (IV, 1, 32) iuvenis in eam emendationem incideram, quam Aubertus occupavit: *Quando tuos est animus natus grauior, ignoscentior.*

[redacted]

referri iudicans, post *dicam* interpunxit. Scribendum videtur:

Quid igitur dicam? Tibi *litauisti*, mihi
amicam adduxti, quam non licitumst tangere.

Ibd. 1006 (V, 3, 4). De codicis Bembini scriptura una littera detracta, quam etiam in reliquorum scriptura detrahendam esse vehementissime clamabat sententia, verum habebimus:

Pergin' mulier odiosa esse? *ullamne* (pro *nullamne*) ego
rem umquam in uita mea
uolui, quin tu in ea re mihi fueris aduorsatrix, Sostrata?

Qui enim in omni re adversatricem aliquam fuisse queritur, is interrogat, ullane fuerit res, in qua non adversatrix fuerit, non, nullane. [Sic cod. Riccard.]

Ibd. 1018 sqq. (V, 3, 16 sqq.). Codices sic scriptum habent:

Sed cum (Bemb., alii *quod*) magis credundum siet,
id quod est consimilis moribus,
Conuinces facile ex te natum; nam tui similis est probe.

In loco et sententia et versu fracto recentiores delendo grassantur, ea tollentes, quæ et per se recta et apta et necessaria sunt neque additamenti ullam notam habent; qui addidisset, saltem integrum versum posuisset. Apparet contrarium evenisse, ut propter vocum similitudinem quædam exciderent. Scriptum enim fuerat ad hanc formam:

Sed cum magis credundum siet,
indidem esse oriundum id, quod est *consimile* moribus,
conuinces facile ex te esse natum; nam tui similis est
probe.

Esse in extremo versu iam alii addiderant.

Ibd. 1027 (V, 4, 4) neque superioribus recte adiungi potest *quod* neque ferri *aut* in sententia affirmativa. Scribendum est verbaque interpungenda sic:

obsecro,
eius ut memineris atque inopis nunc te miserescat mei.
Quid peto aut uolo? Parentes meos ut commonstres mihi.

Phormionis v. 501 (III, 2, 16) tollendum Antiphontis nomen est, in cuius persona ineptissime hæc post lenonis verba interponitur misericordiæ significatio. Ipse leno tam stultum esse Phædriæ postulatum dicit, ut eius se propterea misereat.

Ibd. 519 (III, 2, 34) non intelligo, qui Dorio leno Antiphonti neganti, eum pati posse Phædriæ et Pamphilæ amorem distrahi, assentiri possit, cum vehementer a se huiusmodi stultam bonitatem reiiciat, quove pertineat, quod leno de Antiphonte idem addat *(neque tu)*. Continuanda hæc verba *(Neque ego neque tu)* Antiphonti sunt, qui, quod dixit, colligit et asseverat, sua adiuncta persona. (Non magis tu, quam ego pati possem.)

Ibd. 1021 (V, 9, 32):

Quid ego æquo animo? Cupio misera in hac re iam defungier;
sed qui id sperem?

Nihil est, certe ad huius loci sententiam, *defungi in aliqua re.* Defungimur aliqua re, aliquo incommodo, cum eo fortunæ vim quasi redimimus et a pluribus gravioribusque liberamur *(mit etwas davon kommen)*. Nausistrata, reperto hoc mariti facinore, veretur, ne non ibi res finem habeat, sed plura similia subeunda sibi sint. Scripserat Terentius:

Cupio misera *una* hac re iam defungier.

In eodem *defungendi* verbo et alibi erratum est et apud Ovidium trist. V, 5, 16, ubi e codicibus longe pluribus et melioribus necessario scribendum est:

Sit *defuncta* meis tempus in omne malis

(lass sie durch mein Unglück für alle Zeit freigemacht sein); nihil est: *meis malis in omne tempus perfuncta.*

[redacted]

Hecyræ v. 247 (II, 2, 5) tollendum est *etsi*, quod sine ulla minima causa interpositum perspicuum et facilem orationis cursum turbat et eius rei, a qua Laches ad reliqua progreditur, propositionem:

Phidippe, ego meis me omnibus scio esse adprime obsequentem,
sed non adeo, ut mea facilitas corrumpat illorum animos.

Ibd. 273 (II, 2, 31):

Nam est, quod me transire ad forum iam oportet. LA. Eo tecum una.

Non debet servari oratio soloeca: *est, quod* . . . *oportet* (hoc est, causa, propter quam), præsertim cum codex Bembinus coniunctivum habeat. Scribendum igitur, restituta ellipsi, cuius supplementum adiectum necessitatem attulit indicativum metri causa ponendi:

Nam est, quod me transire ad forum iam oporteat. LA. Tecum una.

Ibd. 740 (V, 1, 14):

Inscitum offerre iniuriam tibi immerenti iniquomst.

Fierine potest, ut non scribendum sit:

Inscitum offerre iniuriam immerenti *tibi et* iniquomst.

Ibd. 779 (V, 2, 13):

Nam si compererit crimini tua se uxor credidisse,

Sententia necessario ea est, quam codices præter Bembinum exprimunt, addito contra versum *falso* ante *credidisse*; nam in *crimini* falsi significatio nulla omnino est. Iam in Bembino scribitur *tua se uxor se credidisse*, in quo subesse *secus credidisse* Bentleius vidit. Versus rectus erit, si scripserimus:

Nam si compererit *crimen* tua se uxor *secus* credidisse.

Crimen credere non minus recte dicitur quam apud Ciceronem *facinus credere* (pro Rosc. Am. 68) et *opinio credita* (pro Scauro 10), ne Livium aut Ovidium testes dem.

Ibd. 873 sqq. (V, 4, 33):

PAR. Ere, licetne scire ex te hodie, quid sit, quod feci boni?
Aut quid istuc est, quod uos agitis? PAM. Non licet. PAR. Tamen suspicor.
Ego hunc ab orco mortuom? quo pacto?

Neque ellipsis in v. 875 placet, et illud ipsum *quo pacto* ostendit, nondum quicquam Parmenonem suspicari. Postea demum (v. 877) impudenter se scire ait. Nec, si suspicaretur, interrogaret, num quid magni fecisset *(Ego hunc . . . mortuom?)*. Valde suspicor, Terentium reliquisse:

Tamen *suscito*
Ego hunc ab orco mortuom.

Videt Parmeno ex ceterorum summa lætitia, se Pamphilo insperatum bonum et salutem attulisse; quo pacto id fecerit, quærit.

Adelph. 278, 279 (II, 4, 14, 15). Postquam Syrus, Sannionis lenonis et creditoris amoliendi cupidus, dixit:

Eamus; namque hic (Sannio) properat in Cyprum;

Sannio, abire nolens, antequam res de argento confecta sit, et Syri festinationis causam intelligens, respondet:

Ne tam quidem:
Quamuis etiam maneo otiosus hic.

In his verbis neque *ne—quidem* rationem habet, neque *quamuis* quomodo dicatur, expediri potest. Scribendum est aptissima sententia:

Non tam quidem,
quam uis; etiam maneo otiosus hic.

Facile intelligitur, quomodo *ne* ante *quidem* natum sit.

Ibd. 313 (III, 2, 15):

Satis mihi id habeam supplici, dum illos ulciscar modo.

Ut versus (iambici octonarii) mensuram expleant, addunt *meo* (*meo modo*); sententiæ pravitatem non tollunt aut tautologiam; quid est enim aliud, satis pœnæ habere, si pœnam, quam velis, imponas? Si tamen hæc verba *satis*

[redacted]

mihi *id supplicii habeo* possunt significare: satis pœnæ ab aliis exigo. Qui versum aut alteram partem versus delent, eos omitto; desperationis enim hoc est remedium. Scribi debet:

Satis mihi id habeam *solati*, dum illos ulciscar modo.

Ibd. 350 (III, 2, 52):

Quid istic? cedo, ut melius dicas.

Concedit Geta, melius dicere Sostratam. Sed interrogatio illa *(quid istic?)* ratione et sententia caret. Et codices *accedo* habent. Scribendum:

Quid? *isto accedo*, ut melius dicas,

id est, in istam partem.

Ibd. 597 (IV, 3, 6):

Ah, minime: nunquam te aliter, atque es, in animum
induxi meum.

Vitiose dicitur *aliter aliquem in animum inducere, atque sit*, pro eo, quod est: *aliter aliquem esse i. a. i. atque sit*. Scribendum:

Ah, minime: nunquam te aliter, atque es, *esse* animum
induxi meum.

Animum induco Terentius sæpius dixit (septem saltem locis); *in animum*, si hunc locum exceperis, Heaut. 1028 et prolog. 49, Hec. 292, 603, quanquam hoc postremo loco valde in eam inclino sententiam, ut scribendum putem:

Non tute incommodam rem, ut quæque est, *ita* animum
induces pati?

Ibd. 828 (V, 3, 42):

Video eos sapere, intellegere, in loco
uereri, inter se amare: scires liberum
ingenium atque animum. Quo uis illos tu die
redducas.

Soloecum est *scires* pro *scias* de re præsenti, nec id, quod sequitur *(quo vis . . . redducas)*, recte dicitur, nisi præcedit significatio libertatis concessæ et usurpatæ,

quæ non inest in hoc: *scias liberum animum esse*, sed laus liberalis naturæ. Scribi debet:

uereri, inter se amare. *Siris* liberum
ingenium atque animum; quo uis illos tu die
redducas,

hoc est: etiamsi siveris libere illos moveri.

Lucretium iuvenis ac prope adolescens ita legi et semel iterumque scholis tractavi, ut etiam signum quodammodo extollerem rectius eius carminis tractandi, scripta de aliquot lacunis codicum Lucretii commentatione (a. 1832; opusc. acad. I. p. 305) demonstratoque, quam prave negligenterque Havercampius, Wakefieldius aliique rem egissent. Sed ea studia postea, quod quidem ad emendationem tentandam pertineret, iacere sivi, ipse alibi occupatus, aliis illum campum ingressis. Septem octove coniecturas, quas in margine libri quinti et sexti alleveram, a. 1846 Henrichsenio meo, cum in programmate scholæ Othiniensis de fragmento Gottorpiensi dissereret, subiungendas ei libello dedi; ex iis quæ ad V, 301 et 780 et VI, 792 pertinebant, nunc in contexta oratione leguntur (altero loco tantum apud Bernaysium et Munronem); paucissimas, quas præterea in marginibus ceterorum librorum annotatas reperio nec ab aliis occupatas (nam non pauca alii post eodemve tempore reppererunt), hic ponam, renovata unius et alterius ex illis prioribus memoria.

I, 557 sqq.:

qua propter longa diei
infinita ætas ante acti temporis omnis, cet.

Vehementer displicet non solum *diei ætas* et *longa infinita ætas*, sed etiam *diei ætas ante acti temporis*. Scribendum est:

longa dies *et*
infinita ætas ante acti temporis omnis.

II, 555:

disiectare solet magnum mare transtra, guberna,
antemnas, proram, malos tonsasque natantis,

[redacted]

per terrarum omnis oras fluitantia aplustra
ut videantur et indicium mortalibus edant, cet.

Mire post coacervationem et enumerationem, interpositis illis *per terr. omn. or. fluit.*, subiicitur *aplustra*, quasi hoc generis nomen sit, quo omnia illa contineantur (*ναυάγια*), quod est longe aliter. Itaque una littera mutata, unius sublata geminatione, scribendum videtur:

per terrarum omnis oras fluitantia *frustra*,

hoc est, sine usu ac temere. Iam participium refertur ad omnia, quæ supra enumerata sunt.

III, 788 sqq. (V, 134 sqq.). Hunc locum alii satis leviter transcucurrerunt, ut Lachmannus, alii infeliciter tractarunt, aut et in sententia et in verbis aberrantes, ut Bentleius graviter, aut verba ad sententiam non recte accommodantes. Lucretius, ut breviter rem non obscuram comprehendam, animum animamque extra corpus gigni durareque non posse, ex eo ostendit, quod, si fieri posset, ut animus *a nervis et sanguine longiter esset*, multo facilius in ipso corpore atque in eodem vase manens sedem transferre et verbi causa in capite aut humeris esse posset; quod si ne in ipso quidem corpore possit nisi certo loco esse et crescere, multo minus extra corpus esse posse. Ut hæc sententia efficiatur, Munro verba sic interpungit:

quod si (posset enim multo prius) ipsa animi vis
in capite aut umeris aut imis calcibus esse
posset et innasci quavis in parte, soleret
tandem in eodem homine atque in eodem vase manere.

Primum (ne de *enim* dicam, quod totum argumentum superioribus annectit) *posset* a *quod si* avellit et condicioni interponit parenthesin ad apodosin pertinentem; (sententia enim hæc esse debet: „posset enim multo facilius in eodem homine manere“); deinde argumenti conclusionem ita pervertit, ut id, quod ad rem multo faciliorem declarandam pertinet, concludendo efficiatur; postremo particulam *tandem*

ineptissimam relinquit. Atque in ea vitii sedem esse, Bentleius animadvertit. Scribendum est ad hanc formam:

quod si posset enim, multo prius ipsa animi vis
in capite aut umeris aut imis calcibus esse
posset et innasci quavis in parte soleret
iam, dum in eodem homine atque in eodem vase *maneret,*

hoc est, *dummodo, ita ut tamen saltem.* (Quod Bernaysius in quinto libro scripsit: *Quid, si posset enim?* non dicitur usitate, ut significetur: Fingamus enim posse.)[1])

III, 1066:

Hoc se quisque modo fugit: at quem scilicet, ut fit,
effugere haut potis est, ingratis hæret et odit, cet.

Lachmannus, ut vitaret *at quem* incommode concurrentia, *at quom* scribens, in pravam incidit temporis significationem pro causæ sententiarumque coniunctionem tautologia non carentem. Ego sic litteras coniungo:

Hoc se quisque modo *fugitat*, quem scilicet, ut fit, cet.

Nec me movet, in tali præsertim re, Seneca (de tranqu. an. c. 2), qui sic hæc memoria fretus citat:

Hoc se quisque modo semper fugit.

IV, 792 sqq.:

An magis illud erit verum? quia tempore in uno
consentimus, id est, cum vox emittitur una,
tempora multa latent, ratio quæ comperit esse,
propterea fit, uti quovis in tempore quæque
præsto sint simulacra locis in quisque parata.

Versum 793 editores non expediunt; Lachmannus mutatum in alium locum transfert, ubi perincommodus

---

[1]) Hanc coniecturam et eam, quæ sequitur, et tertiam de V, 122 sqq. posui a. 1843 in carminibus selectis poëtarum Latinorum, quæ tum scholarum causa edidi.

[redacted]

est; Bernaysius delendum significavit; Munro scripsit: *cum sentimus id, et cum*; sed ignavissimum est *id*, et prave per *et* adiungitur id, quod exempli causa adsciscitur. Nocuit frequens mendi genus, *con* pro *non* scriptum:

An magis illud erit verum? quia tempore in uno
non sentimus (*item ut*, cum vox emittitur una,
tempora multa latent, ratio quæ comperit esse),
propterea fit, uti cet.

IV, 1050, 1051:

Hæc Venus est nobis, hinc autemst nomen amoris,
hæc illæc. primum Veneris dulcedinis in cor
stillavit gutta, ...

Sic Lachmannus et Bernaysius (qui non recte *momen*) orationem interpungunt, nulla in illis *hæc illæc* relicta sententia et sublata illorum *primum Veneris* cet. cum superioribus coniunctione necessaria; nam in illis quoque non de ordine et progressu, sed de origine prima amoris agitur. Sed non minus prave hoc loco coniungitur *hæc illæc stillavit gutta* (quæ pronominum coniunctio pertinet ad rei notæ, quæ nunc offeratur, demonstrationem), pravumque est illud ipsum *Veneris dulcedinis gutta*. Una littera mutata sententiam aptissimam eleganter expressam reddet:

Hæc *illex* primum Veneris dulcedinis in cor
stillavit gutta,

hoc est: Hæc primum dulcedinis gutta, quæ ad Venerem illiceret, in cor stillavit.

V, 122 sqq.:

quæ procul usque adeo divino a numine distent,
inque deum numero quæ sint indigna videri,
notitiam potius præbere ut posse putentur,
quid sit vitali sensu motuque remotum.

Primum coniunctivus *distent* in huiusmodi sententia relativa, qua transitur ad ipsius Lucretii sententiam superioribus contrariam, ferri nullo modo potest. (Quod Munro *quamvis ea* enarrat, Lucretius *quamvis* in huiusmodi

adiunctione et asseveratione neque dixit neque dicere potuit.) Deinde autem, quæ sit verborum in v. 123 structura, aut unde pendeat infinitivus *videri*, ne suspicari quidem possum, quanquam nemo ex recentioribus hunc versum admonitione egere putavit, quod ego in prudentis silentii exemplis numero. Mihi certum est, sententiam eam esse, quæ hac exprimatur oratione:

quæ procul usque adeo divino a numine *distant*,
inque deum numero quæ sint, indigna *videntur*,
notitiam potius cet.

Qui tamen ex *videntur* factum sit *videri*, miror.

V, 975 sqq.:

A parvis quod enim consuerant cernere semper,
alterno tenebras et lucem tempore gigni,
non erat, ut fieri posset mirarier umquam
nec diffidere, ne terras æterna teneret
nox, in perpetuum detracto lumine solis.

Sic edunt interpunguntque, de grammatica ratione tacent. Mihi, si sic accipi volunt (nec video, qui aliter accipere potuerint): *non erat*, *ut posset fieri mirarier*, hoc est, ut posset miratio oriri, ea mera barbaries videtur (*fit mirari*, *potest fieri mirari*). Scribendum est:

non erat, ut fieri *possent* mirarier umquam,

hoc est: non poterant mirari, fieri eam tenebrarum lucisque alternationem.

VI, 455. Perexiguam rem attingam. Cum in codicibus scriberetur editionibusque sic:

Hæc faciunt primum parvas consistere nubes;
inde ea comprendunt inter se conque gregantur,

ante quadraginta annos reposueram *inde eæ*, ut nubes significarentur, sententia postulante; idem efficere volentes Lachmannus recentioresque *hæc* pro feminino ponunt, prave; neque enim Lucretius, cum sententia posita sit in transitu a corporibus (atomis) primum in parvas nubes collectis ad nubes deinde ipsas congregatas et crescentes,

[redacted]

utrumque subiectum eodem pronomine, eadem pronominis forma significare potuit. At, inquit, *eæ* femininum non legitur apud Lucretium (sed *eos*, *eas*), nec *hæ*, sed *hæc* pro feminino semel. Quæ, malum, hæc est argumenti conclusio ex uno exemplo? Sunt alia non fere melius conclusa a viro peracuto et perdocto, non semper cauto, quæ pro legibus accipiuntur.

VI, 799 sqq. nunc editur e Lachmanni coniectura:

Denique si calidis etiam cunctare lavabris
plenior et laveris, solio ferventis aquai
quam facile in medio fit uti des sæpe ruinas!

Codices habent *plenior et flueris*, e quo rectius olim effecisse videor: *plenior et frueris solio ferventis aquai*, non solum, quod propius hoc ad litteras accedit, sed quod nudum illud *laveris* post præcedentia verba nimis languet.[1])

VI, 955, 956 non dubito, quin Munro recte revocaverit Avancii emendationem Lambino aliisque probatam:

et tempestates terra cæloque coortæ
in cælum terramque remotæ iure facessunt,

nisi quod in hac tempestatum eodem, unde ortæ sunt, recedentium mentione, qua poeta inane ubique immixtum esse corporibus, ut rara sint, demonstrat, iuri nullus locus est. (Nihilo quidem magis in Bernaysii scriptura; nam in

---

[1]) In proximo loco, v. 804 et 805, recte Lachmannus veterem correctionem *viri* pro *vini* secutus est; *membra domus* dixeritne Lucretius hoc loco (ubi descriptio nulla ædium significatur) eo, quo ille vult, significatu, dubito, multoque magis, possitne in codicum scriptura *fervidaser* aut *fervidaferuis* (præcedente *gravis vis*) subesse *fervidior vis*. Itaque coniecturam apud Henrichsenium propositam nec Munroni improbatam, sed, ut nunc video, olim præceptam, non abiicio: *at cum membra* domans *percepit fervida* febris.

Lachmanni neque structura neque sententia tolerabilis est.) Scripsisse Lucretium puto:

rursu' facessunt.

Ne **Catullum**, suavissimum poetam, prorsus omittam, faciunt primum duæ emendatiunculæ præter illam, quam e scholio Vergiliano sumptam vol. I p. 79 n. commendavi, a. 1843 (in eclogis poetarum Latinorum) carmini LXIV adhibitæ, altera v. 43 et 44, qui vulgo sic scribuntur:

Ipsius at sedes, quacunque opulenta recessit
regia, fulgenti splendent auro atque argento.

Ipsius non habet, quo referatur, quoniam multa post proximam Pelei mentionem interiecta sunt; prorsus perverse *sedes* separantur a *regia*, quæ eadem est. Scripsi igitur:

Ipsius at sedes, quacunque opulenta recessit,
regis fulgenti *splendet* auro atque argento.

Offensus aliquis productione posterioris in *splendet* syllabæ, quæ legitime fit in arsi, *splendent* scripsit effecitque, ut ad *recessit* fingeretur *regia*.

V. 109 in comparatione tauri prostrati cum magna arbore vento eversa sic scriptum codices habent:

illa procul radicibus exturbata
prona cadit lateque tumieius (cum eius) obvia frangens.

Proximum ad litteras, ad sententiam peraptum visum est:

lateque *furit vis* obvia frangens.

Deinde nuper eiusdem carminis versui 287, qui pro desperato relinquitur (etiam a. L. Muellero), videor mihi probabilem medicinam repperisse. Nam quod Peneus dicitur adesse ad nuptias

Tempe, quæ silvæ cingunt super impendentes,
Minosin linquens doris celebranda choreis,

initio versus in nomine corrupto subesse videtur significatio nympharum ad loca illa silvestria et sola aptarum,

[redacted]

quæ apud Græcos *Μηλιάδες* dicuntur, quod nomen et ad poma et ad oves trahitur, a Sophocle autem in Philocteta v. 724 ad locum accommodatur. His inventis agrestibus saltatricibus facile nascitur apta illis chorearum appellatio:

Meliasin linquens *duris* celebranda choreis.

Cap. II.

Vergilius. Horatius. (Propertius.) Ovidius.

Ventum est ad principes poesis Latinæ Augustique temporum decora, poetas omnibus saltem ex aliqua operum parte ita cognitos, ut etiam puerilis et scholasticæ lectionis et enarrationis memoria interdum sensui difficultatis et iudicii libertati officiat. Ex quibus Vergilio, quanquam eum nunquam præcipuo studiorum loco habui, tamen tantum tribui maximeque Æneidi, quantum ei tribui a Latinarum litterarum professore par erat, qui ipsorum Latinorum iudicio principatum inter poetas obtineret insecutisque omnibus exemplum fuisset; sed coniecturæ cur in eius operibus non multum sit loci, dixi iam superioris voluminis p. 95. Iis enim in Vergilii operibus utimur codicum subsidiis, quibus omnis illa, quæ post seculum sextum veterum libris illata est, labes arceatur; deinde his codicibus adiunguntur grammaticorum testimonia, nata ex ea cura et veneratione, quæ in scholis Vergilio tribuebatur nec facile scribendi errores casu alicubi ortos propagari longius et vulgo per libros vagari non animadversos sinebat. Quæ autem a nonnullis nuper de ipsius poetæ dittographiis correctionibusque iactari nulla fide levissimisque suspicionibus cœpta sunt, excludenda sunt, nisi forte in Georgicis quod ad versuum aliquot et locorum seriem et ordinem attineat, omniaque eo dirigenda, ut carmina, qualia a Tucca et Vario edita sint, legamus. Neque sane ea norma uti licet,

qua Ribbeckius (prolegom. p. 75) in loco aliquo tractando usurum se dicit (utitur autem reapse minime), ut Vergilio nihil dignum putemus et ab eo scriptum, nisi „simplicem ac veram sententiam claris usitatisque verbis expressam“ invenerimus. Nam in poeta ab Alexandrinorum exemplo pendenti nec ipso ad facilem et simplicem orationis formam, ut videtur, facto et exercitato, et, quod ad Æneidem attinet, in poemate ultimam manum non experto multa ferenda sunt et paulo artificiosius et obscurius cogitata et tumidius dicta verbisque adumbrata et nove dureque posita quædam.[1]) Sed etiamsi hac æstimatione et æquitate sive cum libera iudicii professione utimur sive latenter, videndum tamen est, numquid ita sententia aperte peccet aut verborum usu orationisque forma a lege communi poetæque consilio aberret, ut excusationem non recipiat neque, quomodo ad iam formam poeta devenerit, explicari possit, ibique coniecturæ quoque auxilium tentandum. Nam et aliquot locis oblitterata in omnibus codicibus vera scriptura apud unum Servium servata est (Æn. VII, 773 *Phœbigenam*, quod Probum et alios legere annotat, XII, 709 *et cernere ferro*, accedente Senecæ testimonio contra Priscianum, qui prava scriptura utitur, XI, 152, ubi sine ulla dubitatione restituendum est *petenti* nec aut credendum Ribbeckio *promissa dederas, ut cautius velles* accipi posse pro eo, quod est: *promiseras, te cautius velle,* aut Ladevico inter hæc: *promissa dederas parenti* et haud *ignarus eram* interponi posse votum de re præterita), et necessariæ aliquot certissimæque coniecturæ iam communi consensu probantur (Georg. IV, 129 Salmasii *Cereri*, Æn. I, 317 Rutgersii *Eurum*, IV, 217 Gevartii *subnexus*, X, 705 Bentleii *Paris*; nam codicum sex

---

[1]) Soleo ex unius verbi duabus formis tumidæ et insolentis locutionis exemplum sumere, ex Æn. I, 704 (*flammis adolere penates*) et Georg. IV, 379 (*adolescunt ignibus aræ*).

[redacted]

Parisinorum testimonium Potterius impudenter finxit), aliis vix resistitur (ut IV, 98 Heinsii *aut quo nunc certamina tanta*, ubi frustra confugitur in loco pleno et apto ad orationis imperfectæ excusationem, mendum autem ortum est ex *quo*).[1]) Præter tamen universam illam cautionem revocor prope ab iis promendis, quæ suspicor, aut quibus plane etiam confido, aliorum exemplo. Nam ut omittam Peerlkampi temeritatem, recta calumniantis, quædam non prorsus laudabilia ferenda esse et ad historicæ quæstionis, hoc est criticæ legem certissima iudicanda nescientis adeoque novationum cupidi, ut Æn. I, 723 e vilissima chartula (Aalburgensis est, nostras.) arripiat *relictæ* pro *remotæ*, Ribbeckius, vir et doctus et in materia e codicibus et grammaticis colligenda subtiliterque pertractanda patientissimus et exercitatissimus, præter ea, quæ nimis, ut mihi videtur, leviter in versibus transponendis ausus est,[2]) præ-

---

1) Uni conjecturæ omnes nunc locum dant, quam probari minime oportuerat, in Æn. IX, 141 scribentes: *penitus modo nunc genus omne perosos Femineum.* Nam nec *modo nunc*, de quo enarrando non plane inter ipsos, qui probant, convenit, ullam habet rectam sententiam et codicum scriptura aptam et veram, frustra calumniante Handio Tursell. III p. 637. Post primum facinus pœnamque debuisse Turnus Troianos dicit non solum ab expetendis alienis uxoribus et sponsis abstinere, sed prope (quod natura non ferat) omne genus femineum penitus odisse.

2) Æn. I, 473 sqq., IV, 486, IV, 548 et 549, quos ita versui 418 subiicit, ut propter turbatam hoc ipso orationis seriem lacunæ notam ponat, IX, 146 et 147, quos v. 72 subiicit, prima voce mutata nihilo aptiores, X, 660 sqq., ubi rectissime primum absolvitur Turni fraude, dum se Æneam fugientem insequi putet, in navem illecti et ablati descriptio, tum celeriter et breviter ad verum Æneam alibi fortiter pugnantem convertitur animus, deinde, postquam significatum est, fictam Æneæ imaginem consilio effecto evanuisse, ad Turnum fraudem jam intelligentem redit oratio. Recte hoc corrigendi genere usus est

terque ea, quæ interdum ex uno alteroque codice ob nescio quam antiquitatis speciem aliave de causa inconsiderate adscivit, coniecturas aliquot in textum intulit (dicam libere, ne hæc mussitando probari videantur, et ne operosæ doctrinæ apparatus etiam recti certique in arte iudicii opinionem nimiam faciat) ita sententia et verbis pravas, ut monstrorum mihi similes videantur; velut quod Æn. IV, 436, quia apud comicos *auri montes* pro summis divitiis dicuntur, etiam sublato auri nomine, in quo omnis significatio nititur, singulari numero in grandi oratione dictum a Vergilio finxit in Didus persona: *veniam cumulatam monte remittam.* (Similia reperias I, 396, II, 75 et 422, IX, 229 et 513.) Cum huiusmodi coniecturis cum comparo alius editoris enarrandi confidentiam, in Æn. II, 350 infinitivum *sequi* pro imperativo poni tradentis idque confirmantis duobus scilicet ipsius Vergilii exemplis, II, 707 et III, 405, in quibus certissimus est non infinitivus activus, sed imperativus passivus (nam *impone* et *vela*, quis non rideat, si quis ibi dici posse putet?) et uno Valerii Flacci III, 412 (qui scripsit *adhibe sacris*), atque hoc repetitis editionibus lectoribus commendari video, conturbor animo et interdum actum de simplici sermonis Latini intelligentia puto; non quo non ipse et hæream aliquando nec me expediam et errem interdum et dubitanter quædam suspicer; sed sunt quædam simpliciter explodenda et severe arcenda.[1]) Verum ad nostras sive suspiciones sive

---

Peerlkampus in libro III, 128, 129, Scaliger in libro X, 714—718, in Georgicis et alii et ipse Ribbeckius I, 251—258, ex aliqua parte etiam III, 249 sqq. Nam v. 264 et 265 iure ante v. 258 ponuntur; fortasse etiam v. 269, 270 versui 266 subiici debent, tum 267 reliquaque sequi; præter hæc nihil moveri debet; recte enim primum universe ex omni genere exempla ponuntur, etiam equorum; tum separatim ad equos venitur.

1) Velut VIII, 519 ex inconstantia quadam et errore partis codicum in

[redacted]

emendationes prævertamur, si quid in materia non ampla multorum strenua opera nobis reliquit, quod in Æneide non multum, in Bucolicis et Georgicis prope nihil erit.

Æn. I, 453 sqq.:

Namque sub ingenti lustrat dum singula templo
reginam opperiens, dum, quæ fortuna sit urbi,
artificumque manus inter se operumque laborem
miratur, videt . . .

Neque de uno Ænea recte dici *inter se*, neque *mirari artificum manus inter se* de comparandis operibus intelligi posse, inepteque eiusmodi comparationem Æneæ affingi, apparet. Ex eo, quod in codice *c* (Bernensi sec. IX) a prima manu scriptum est, *intrase*, Ribbeckius *intrans* effecit; sed ingressio in templum hoc loco (post *opperiens*, inter *artificum manus* et *operum laborem*) significari nullo pacto potest. Tenenda erat ipsa codicis scriptura. Æneas *intra se*, hoc est, tacitus artificum opera admiratur, quo exemplo Plinius maior dixit (X, 118) *intra semet meditari*, et Quintilianus *intra se disponere, componere* (X, 6, 2, XI, 3, 2). (Paulo ante v. 445, ubi de verbis *facilem victu* dubitatum est, nuper ab aliquo cum gravi errore, non memini annotatam a Vergilii enarratoribus Senecæ imitationem epist. 90, 13: *sapiens facilis victu fuit.*)[2])

---

pronominibus se excipientibus arripitur Plautinum *suo sibi*, expulso, quod abesse nequit, *tibi*; X, 588 ex uno P intolerabilis coniunctivus *aptet* in hanc structuram certissimæ legis infertur: *dum . . . Aptat se pugnæ, subit . . . hasta*; XI, 821 apertissimæ originis error (post *Accam . . . unam Alloquitur*) *fidam* pro *fida* (*ante alias quæ sola Camillæ*) probatur, ut (prolegg. p. 85) nova accedat suspicio de sententia incredibiliter imperfecta. (Infinitivum historicum non in sententia relativa, sed tamen extra narrationem, posuit Vergilius etiam Georg. IV, 134, 140, Æn. IV, 422, VII, 15. Nam Georg. I, 200 auditur *vidi.*)

[2]) De I, 323 satis olim dixi, necessario coniungi ornatus et actionis significationem (*succinctam pharetra et . . . prementem*), tum

II, 119 sqq.:

Volgi quæ vox ut venit ad aures,
obstipuere animi, gelidusque per ima cucurrit
ossa tremor, cui fata parent, quem poscat Apollo.

Neque *fata* (nominativo casu) *parare alicui* dici possunt, omisso, quid parent, frustraque excusatio quæritur ineptæ locutioni, neque Græcis tremor per ossa currebat, cogitantibus, cui ipsi mortem parare deberent, nec, qui dei iussu aliquem occidere coguntur, fata ei parare recte dicuntur. Omnis est cogitatio de oraculi sensu deique consilio, unumque recte dici potest:

cui fata *paret*, quem poscat Apollo.

Facillimeque intelligitur, unde ortum sit apud oscitanter scribentes legentesque *parent*.[1])

III, 340. Hemistichium, quod hoc loco interpositum versus aptissime cohærentes divellit nec ulla minima, unde poetæ in mentem venisse putari possit, sententiæ similitudine cum superiore versu coniungitur, sedem habebit suam tribus versibus ante claudetque, ut alia hemistichia imperfecta, ea, quæ præcedunt, adiectione apta, sed a poeta ad integrum versum explendum non elaborata:

actionem venandi distingui ferarum generibus (*lyncis aut . . . apri*). *Tegmen* quod aliquoties dicitur de pelle feræ homines tegente, non obstat, quominus de ipsius feræ pelle dicatur, ut de vestimento hominis (III, 594). Scribendumne sit *maculoso*, non definio. Quod Ribbeckius (proleg. p. 328), mihi de ipsa re assentiens, *maculosæ tegmina lyncis* scribi voluit, non apte coniunguntur ex æquo *tegmina* et *cursum*, nec *tegmina clamore premere* apte dicitur.

[1]) Hanc coniecturam cum ante aliquot annos fecissem annotassemque, cum Ribbeckii Ladevicique solis exemplis uterer in Vergilio relegendo, vidi postea factam esse multo ante a Batavo ignoto. Sed tamen revocare in memoriam et commendare iterum inventam volui; est enim certa.

[redacted]

Morte Neoptolemi regnorum reddita cessit
pars Heleno, qui Chaonios cognomine campos
Chaoniamque omnem Troiano a Chaone dixit,
Pergamaque Iliacamque iugis hanc addidit arcem,
quæ tibi iam Troia,

hoc est, quæ tibi iam Troia videtur et Troiæ loco est. (Cfr. 349). Iam nullum supererit in Æneide hemistichium nisi „absoluto perfectoque sensu", quod in hoc uno mirabantur; vid. Donati vit. Vergil. p. 64 Reifferscheid.

III, 359, 360:

Troiugena interpres divom, qui numina Phœbi,
qui tripodas, Clarii laurus, qui sidera sentis.

In hac scriptura numinibus Phœbi tanquam eius proprii et numinibus servientes superadduntur tripodes, sed his vitiose adhærent Clarii laurus, tanquam alius dei et alius generis. Recta hæc oratio erit:

qui numina Phœbi,
qui tripodas Clarii *et* laurus, qui sidera sentis.

Iam Phœbi numinibus adiunguntur, addito dei cognomine, instrumenta, tripodes et laurus. Et sic Pierius in suo codice Mediceo scriptum invenerat.

III, 682 sqq.:

Præcipites metus ager agit quocumque rudentis
excutere et ventis intendere vela secundis.
Contra iussa monent Heleni Scyllam atque Charybdim (Scylla atque Charybdis)[1]
inter utramque viam leti discrimine parvo
ni (ne)[2] teneant cursus; certum est dare lintea retro.

---

[1]) Accusativum in priore nomine habent ex Ribbeckii codicibus MP2 ab, Servius, in altero MP γ a2 b2 c; nominativum in priore FP1, in altero F a1.

[2]) *Ni* habent codices præter P (NEC, sed deleto C) c (*ne* supra scripto *i*) γ1, tum grammatici Priscianus, Donatus, Servius, omnes *ne* interpretantes.

Ecce autem Boreas angusta ab sede Pelori
missus adest. Vivo prætervehor ostia saxo
Pantagiæ Megarosque sinus Thapsumque iacentem.

De loco longis et perplexis disputationibus vexato nec tamen expedito quantum fieri potest brevissime dicam, exposita primum rei, de qua agitur, ratione, quam et alii et Ladevicus tenuerunt; est enim certa minimeque obscura. Æneas ab Heleno monitus (410 sqq.), ne per fretum Siculum Latium peteret, sed Siciliam circumnavigaret, Italiæ meridiana ora lecta, cum Siciliæ sic appropinquasset, ut iam dextra per fretum Charybdim audiret, ad lævam meridiemque flexo cursu (v. 561 sqq.) fretoque post terga relicto, oris Cyclopum allapsus portumque sub Ætna ingressus erat. Iam, Cyclopibus conspectis, Æneæ socii terrore cæci unum tantum student, fugere, quocunque ventus ferat (v. 682, 683). Ventus autem a meridie ad septentrionem versus flabat, hoc est, in ipsum fretum versus; ei tamen se tradentes retro, unde venerant, navigaturi erant (*certum est dare lintea retro*) et in perniciem ruituri, cum subito Boreas a Peloro flans ad meridiem versus eos egit et interitui eripuit (*Ecce autem*.... v. 687 sqq.). Ac trepidatio et cæcum fugiendi studium, pravum cursus consilium, tempestivus Boreæ interventus salusque inde orta perspicue verbis indicantur. Illud etiam, si quis certa indicia et vestigia animadvertere et tenere novit, certissimum, v. 684—686 (*contra—cursus*) non solum admonitionem Heleni indicari, ne inter Scyllam Charybdimque cursus teneant, sed simul verbis appositione adiunctis prope certæ, si id faciant, perniciei significationem. Itaque hæc primum nascitur huius partis forma, seposito paulisper *contra* (ob eam causam, quæ mox apparebit):

iussa monent Heleni, Scyllam atque Charybdim
inter, utramque viam leti discrimine parvo,
ni (ↄ: ne) teneant cursus.

Nam Scylla Charybdisque utraque via leti est, parvo

[redacted]

discrimine separata, quod tenere et illis vitatis pervadere difficillimum est. Nominativus (*Scylla*, *Charybdis*), qui nulla arte tolerabiliter in structuram includi potest, in uno et altero codice aut solo errore litteræ *m* finalis omittendæ ortus est (itaque in *Scylla* uno plus testium habet, quam in *Charybdis*, quod postea accommodatum est), aut ex præpositionis positu, qui fecit, ut prave tantum ad sequentia traheretur. Reiecta autem in alterum versum præpositio (nam de subiecta utrique nomini dubitari Æn. I, 218 aliique loci non sinunt) defenditur non solum similibus exemplis XI, 149 et 509, similioreque libri VII, 441 et 442: *et arma Regum inter* (nam quod ibi nonnihil positus mitigatur reiecto etiam *regum* in alterum versum, eandem hic vim habet adiunctum illud: *utramque viam leti*), sed prorsus pari Georg. II, 344 et 345: *frigusque caloremque Inter.* Sed una relinquitur summa pravitas. Nam hæc: *Contra iussa monent Heleni* sic inferuntur, tanquam iam significatum sit, fatale ad septentrionem versus navigandi consilium. Atqui nihil dictum est, nisi quocunque Troianos fugere velle. Deinde ipsa illa consilii significatio sic his subiicitur (*Certum est dare l. r.*), quasi ex ipsis Heleni iussis hoc nascatur, quibus adversa fronte repugnat. Hanc, qua reapse sola locus premitur, difficultatem tollet una littera geminata, una adiecta. Sic enim scribendum est:

et ventis intendere vela secundis.
Contra, *ac* iussa monent Heleni, Scyllam atque Charybdim
inter, utramque viam leti discrimine parvo,
ni (ɔ: ne) teneant cursus, certum est dare lintea retro.
Ecce autem cet.

Iam omnia recte procedunt. Terrore occæcante obliti, quæ Helenus vitari iussisset, retro vela dare constituerant, cum Boreæ flatus supervenit. Est hic locus ex iis, in quibus verendum est, ne editores enarratoresque

Troianorum exemplo trepidantes non audeant vera tenere, quod simplicia ac facilia sunt, inanesque turbas negligere. Refellere alios supersedeo; velim tamen attendi, Ribbeckius (præterquam quod, quid Troianis retro, quid ante fuerit, plane confundit) qualem excogitaverit appositionem, ut Scylla Charybdisque iussa Heleni appellentur.

VI, 601 sqq.:

Quid memorem Lapithas, Ixiona Pirithoumque,
quo super atra silex iamiam lapsura cadentique
imminet adsimilis?

Frustra laboratur, ut Tantali pœna ad Pirithoum aut, si plurium codicum scripturam *quos super* sequimur, ad eum et Ixiona translata expediatur. Nec tamen ad lacunæ notam, triste simul et audax auxilium, confugiendum, sed particula retrahenda:

Pirithoumque, *et*
quo super atra silex cet.

Ceteris nominatis Tantalum sine nomine adiunxit, posito pro nomine notissimo pœnæ genere. Quam facile exciderit *et*, ut *quo* referretur ad certum nomen, patet.[1])

VI, 615:

Ne quære doceri,
quam pœnam, aut quæ forma viros fortunave mersit.

---

[1]) In margine ponam suspicionem minus fortasse manifestam mendi et eius originis demonstrationem habentem. Nam v. 533 vereor, ne antiquo errore ob præcedentem diiunctionem *an* præpositum sit interrogationi universe et absolute subiectæ, scribendumque sit:

Pelagine venis erroribus actus
an monitu divom? Quæ te (v. *an quæ te*) fortuna fatigat,
ut tristis sine sole domos, loca turbida, adires?

Nam neque *an quæ* recte coniunguntur, nec recte hoc tanquam tertium a superioribus separatur.

[redacted]

Quæ hos homines scelera premant pœnamque meruerint, Sibylla iam dixit; itaque de eo doceri non cupiebat Æneas; nec eo pertinere potest *formæ* vocabulum; agitur de forma pœnæ, quæ nunc eos vexet, scripsitque poeta:

aut quæ forma viros fortunave *merset.*

VIII, 74:

quo te cumque lacus miserantem incommoda nostra
fonte tenet, quocumque solo pulcherrimus exis.

Ridicule omnino lacus dicitur fluvium fonte tenere, et *quocumque*, quasi pluribus eum tenere possit; magis, si fieri potest, ridicule, qui ignotam sibi originem fluvii significat, sic loquitur: *quocumque te lacus fonte tenet*; nam ex fonte nasci fluvium scit, ex lacu nasci, qui scire potest? Quæ una ferri sententia potest, proximis (*quocumque solo*) consentanea, ex hac scriptura nascetur:

Qui te cumque *locus* miserantem incommoda nostra
fonte tenet,

hoc est: quocunque loco fontem habes.

IX, 281 sqq.:

Me nulla dies tam fortibus ausis
dissimilem arguerit; tantum fortuna secunda
aut adversa cadat.

Primum *arguerit* non optandi vi dicitur, sed asseveranter pro futuro, ut 298 *defuerit* (*erit . . . defuerit*); ceteris verbis ineptissime in utramque partem optatur; itaque alii *tantum* seiungunt (quod seiungi et per se dici h. l. nullo exemplo potest), reliqua permissivo modo accipiunt, quod ne ipsum quidem apte fit, quasi hoc nihil ad rem Euryalus esse putet; alii *haud* scribunt, optimorum codicum auctoritatem secuti; sed neque *haud* in optando iubendove ponitur pro *ne* (*modo haud* pro *modo ne*), neque fortuna, quæ secunda sit, cadere adversa tolerabiliter dicitur pro eo, quod est: in adversam mutari. Scribendum videtur:

tantum fortuna secunda
aut adversa *cadet.*

De se spondet; tantum fortunam incertam esse et in utramque partem cadere posse.

IX, 386 sqq:

Nisus abit; iamque imprudens evaserat hostis
atque locos, qui post Albæ de nomine dicti
Albani (tum rex stabula alta Latinus habebat);
ut stetit et frustra absentem respexit amicum:
Euryale infelix, cett.

Hunc locum, quem Ribbeckius infeliciter tractavit (prolegom. p. 81, de muris in v. 371 graviter errans) nec Ladevicus mutando adiuvit, scita emendatione Cl. Geertzius, auditor meus, expedivit. Omnis enim res adhuc gesta erat ad castra Rutulorum prope mare longe ab Albana regione; itaque eam evadere Nisus, hoc est, ex ea abire non potuit. Tum et res ipsa ostendit locum a superiori diversum significari, in quem fugiendo pervenerit, et additu nominis diligens notatio apertissime hoc confirmat. Itaque una littera mutata hæc nascitur vera scriptura:

Nisus abit; iamque imprudens evaserat hostes,
atque *locis*, qui post Albæ de nomine dicti
Albani (tum rex stabula alta Latinus habebat),
ut stetit et frustra absentem respexit amicum;
Euryale infelix, cett.

Apparet negligenter legendo *locis* accommodatum esse ad *hostes*. De *inquit*, quod apodosin facit, omisso cfr. X, 441, Liv. XXVIII, 40, 3 et ibi Weissenb.

X, 185 sqq. Hic locus, incredibile est, quantum enarratores torserit, nec immerito; est enim, ut scribitur, inexplicabilis, sed certissimam recipit emendationem mendi antiquissimi. Enumeratis quattuor ducibus, qui cum copiis Æneam mari ex Etruria redeuntem secuti sint, pergit sic poeta:

Non ego te, Ligurum ductor fortissime bello,
transierim, Cinyre,[1]) et paucis comitate Cupavo,
cuius olorinæ surgunt de vertice pinnæ,

[1]) Codices sic scriptum habent: *cinire* V b 1 c 2 (*Cinirus* nominativo casu appellatur Macrob. Sat. V, 15, 5), *cinere* c 1 et *γ*, *cinyræ* M, *cinera* P, *cumarre* R; apud Servium *cunare* est.

[redacted]

crimen, Amor, vestrum formæque insigne paternæ;
namque ferunt luctu Cycnum Phaethontis amati,
populeas inter frondes umbramque sororum
dum canit et mæstum musa solatur amorem,
canentem molli pluma duxisse senectam,
linquentem terras et sidera voce sequentem.

Unum poeta promittit se commemoraturum ducem, sed subito duos obiicit prava prorsus orationis forma; nec enim illis: *Non ego te . . . transierim* potest sic alterius nomen copulative adiungi: *et . . . Cupavo* pro eo, quod est: *nec* (*aut*) *te, paucis comitate C.* Deinde ab illo, quem cum splendida virtutis significatione (*dux fort. b.*) induxit, transit ad alterius, quem paucis comitatum dixit (quod sic in altero positum quo pertineat, perobscurum est), capitis galeæque insigne, idque unde sit, verbis appositione adiunctis significatur v. 188, causaque explicatur. Itaque hæc omnia certissime ad Cupavonem spectant, de Cinyro (sive quo alio est nomine) altum silentium est. Nam quod olim fere, interpuncta oratione post *pinnæ*, proxima sic scribebant: *crimen amor vestrum*, eoque pronomine Cinyrum et Cupavonem significari putabant et nescio quod eorum amoris crimen anquirebant, excussis propter Cinyri nominis cum Cinyra similitudinem Græcarum fabularum remotissimis angulis, neque quicquam reppererunt, et totum apertissime refellitur orationis forma (quæ sunt enim hæ nugæ: *crimen vestrum* (*est*) *amor et formæ paternæ insigne?* utrumne insigne amor an crimen fuit?) et sententiarum perspicuo ordine, qui declarat, ex Cycni, Cupavonis patris, Phaethontem amissum lugentis mutatione repeti causam pinnarum olorinarum in filio, ut nihil relinquatur, quod ad alium amorem aut ad Cinyrum illum transferatur. Itaque recte et vere, ut contra dici cum aliqua specie nequeat, Sprengelius Amorem deum compellari intellexit, eique et matri crimini et invidiæ illas pinnas esse dici, ex infausto amore natas. Tenemus igitur Cu-

pavonem, quæque ad eum pertinent, recte habentia, nisi quod videtur Cinyro iniuria superpositus esse et eum loco et honore verborum deiecisse. Quid igitur misero illi Cinyro faciemus? Iubebimus abire totum inde, quo errore irrepsit, consideratisque simul codicis V (id est foliorum palimpsestorum Veronensium) et b1, maximeque optimi illius c et *γ* indiciis (*cinere*), quam scripturam Macrobius quoque habuit, simul re, quod post divites magnosque Etruriæ populos inducitur montana pauperque et parva Ligurum gens, sic scribemus, una littera mutata:

Non ego te, Ligurum ductor fortissime bello,
transierim, *sine re* et paucis comitate Cupavo.

Aptissime Ligurum ducem describit, hominem fortem, sed, ut Ennius dixit, *parva cum re* (Cicero ipsum *hominem sine re*). Male coniunctis litteris, quæ post *te* vocativi formam obiiciebant, quod *sinere* nimis abhorrebat, natum est *Cineri* nomen iam aliquanto ante seculum quartum (ante Macrobium), fortasse non ita multo post Vergilii ætatem, exornatum deinde Græca quadam specie (*Cinyræ*). Summe notabile hoc est exemplum nominis proprii ex vocibus communibus effícti, quod vol I. p. 152 poni debuerat, nisi post demum ipsam emendationem repperissem, cum, quam formam totus locus monstraret, multo ante intellexissem.

X, 279 sqq. (Turni sunt verba):

Quod votis optastis, adest, perfringere dextra;
in manibus Mars ipse viris; nunc coniugis esto
quisque suæ tectique memor, nunc magna referto
facta patrum, laudes.

Sic Ribbeckius. Cur *ipse* Mars? cur *viris*, quasi diversis ab iis, quos alloquitur? Codex Romanus et vulgo editiones *viri*. Ergo Vergilius sic verba coniungi voluerat:

in manibus Mars; ipse, viri, nunc coniugis esto
quisque suæ tectique memor.

X, 362 sqq.:

[redacted]

At parte ex alia, qua saxa rotantia late
impulerat torrens arbustaque diruta ripis,
Arcadas, insuetos acies inferre pedestris,
ut vidit Pallas Latio dare terga sequaci,
aspera quis natura loci dimittere quando
suasit equos, unum quod rebus restat egenis,
nunc prece, nunc dictis virtutem accendit amaris.

Frustra laboratur in explicandis pronomine relativo et coniunctione in eiusdem sententiæ causalis adiunctione positis (*quis quando*); sunt tamen, qui, ut Ladevicus, non laborent, sed facile se expediant; *quando* enim esse *aliquando* sententiamque sic Germanice reddi posse: „da sie jetzt, für diesmal"; quem, si liceat, interrogare velim, ubi in sententia relativa *quando* pro *aliquando* positum reppererit, et ubi *aliquando* sic positum de ipsa ea re, quæ nunc agatur, denique soleatne ipse sic narrare: „als Pallas sah, dass die zu Fuss kämpfenden Arkader wichen (denn sie hatten einmal die Pferde verlassen)"? Una vocalis geminanda est, ut *quando* recte pro causali particula sit:

aspera *aquis* natura loci dimittere quando
suasit equos.

Natura loci aquis torrentis, saxis passim iactis, aspera facta erat.

X, 457 sqq.:

Hunc ubi contiguum missæ fore credidit hastæ,
ire prior Pallas, si qua fors adiuvet ausum
viribus imparibus, magnumque ita ad æthera fatur.

Adeo non aptus hoc loco infinitivus historicus esse videtur adeoque dure cum *fatur* coniungi, ut cogar suspicari, scriptum fuisse a poeta:

ire prior Pallas, si qua fors adiuvet, *ausus.*

X, 478. Hasta Pallantis
viam clipei molita per oras
tandem etiam magno strinxit de corpore Turni.

Prorsus inusitatum *stringere de corpore*, usitatum et frequens *stringere corpus*; atque illud etiamsi dicatur, aliam videatur habere significationem, ut sit stringendo particulam de corpore auferre. (Adscribitur: *ἐπέγραφε τοῦ σώματος*. Quis id dixit? Et si dictum esset, alius est Latinus usus, alius Græcus.) Poterat Vergilius scribere de hasta cutem perforanti nec tamen in interiora penetranti:

tandem etiam magno *tinxit se* corpore Turni.

X, 769:

Huic (Mezentio) contra Æneas, speculatus in agmine longo,
obvius ire parat.

Hic quidem confidentius dico perversam esse agminis longi appellationem, quæ longam aliorum post alios incedentium seriem significat, rem ab hoc loco alienam, scriptumque a poeta puto, quod in codice Minoraugiensi est:

speculatus in agmine *longe*,

eo quidem magis, quod in R a prima manu est LONG. Ad hanc e longinquo speculationem aptum *obvius ire parat*. [Inciderat in eandem sententiam Geertzius, idemque recte XI, 214 *longe* e codd. bc restituendum iudicavit.]

X, 838:

fusus propexam in pectore barbam.

De dependenti barba rectius videtur *in pectora*, ut Ovidius Fast. I, 259 *propexam ad pectora barbam* dixit, Silius Italicus XIII, 310 *propexis in pectora barbis*.

XI, 295 neque librorum scripturam (*et quæ sit magno sententia bello*) ferendam puto neque probandum, quod propositum video, *magni sententia belli*; longe enim aliter Silius dixit: *stat sententia belli*, hoc est, consilium et decretum belli gerendi. Omnium simplicissimum est:

Et responsa simul quæ sint, rex optime, regis,
audisti, et quæ *de* magno sententia bello,

sublata etiam geminatione inani: *et quæ sint* — *et quæ sit*.

[redacted]

Sed qui poterat, etiamsi adscriberetur *sit*, tolli *de*? Itaque parum confido.

XI, 318, 319:

Aurunci Rutulique serunt et vomere duros
exercent colles atque horum asperrima pascunt.

Quovis pignore contendam, Vergilium non post durorum collium appellationem superposuisse in altero verbo (*pascunt*) ignavissimum illud *atque horum* (ipsorum collium) asperrima; debebat præterea *eorum* dici; idemque sensisse video Gentium Batavum, hominem alioquin omnia coniecturis non necessariis, id est, malis persequentem. Vix dubito, quin poeta scripserit:

vomere duros
exercent colles, *tesquorum* asperrima pascunt.

XI, 494 sqq. de equo, qui abruptis vinculis e stabulo in apertum campum fugit:

aut ille in pastus armentaque tendit equarum,
aut adsuetus aquæ perfundi flumine noto
emicat.

Perversum hoc prorsusque vitiosum. Nam *adsuetus aquæ* accipi vetat *perfundi* infinitivus, *adsuetus aquæ perfundi* nihil est; iungenda igitur hæc sunt: *adsuetus perfundi flumine noto aquæ*; atqui (ut taceam de *flumine aquæ*) *flumine noto* avelli ab *emicat* nequit, quod nec hoc absolute dictum sensum habet et quod equus, lavari solitus, consuetudine flumen notum petit ex eoque deinde emicat. Scribendum est igitur necessario:

aut, adsuetus *aqua* perfundi, flumine noto
emicat.

XII, 617:

Attulit hunc illi cæcis terroribus aura
commixtum clamorem ...

Hunc dici oportet, qui proxime ante significatus narrando sit. Atqui proximis versibus poeta Turnum „extremo in æquore“ versantem commemoravit, ad quem

subito e longinquo clamor pervenit, superioribus versibus inde a 593 Amatæ interitum. Apparet, hoc poetam dicere, ad Turnum hostes iam segnius persequentem eo, ubi erat, allatum esse non hunc clamorem, sed clamorem aliquem tristis rei nuntium, scribendumque esse:

Attulit *huc* illi cet.

Atque sic in codice aliquo Hamburgensi Heynius secunda manu scriptum esse tradit, quæ non auctoritas est, sed vera coniectura multis ante me annis facta.

XII, 731 sqq.:

At perfidus ensis
frangitur in medioque ardentem deserit ictu,
ni fuga subsidio subeat.

Ut sententiam enarratores efficiant, audiri huiusmodi aliquid iubent: „et pereat (perisset) Turnus, ni", cet. Verum recte dicitur cum brevitate rhetorica: „Gladius capiti impendebat, ni fugisset", quod in gladio impendente significatur ictus futurus et consilium feriendi („et ictum dedisset"); ferri etiam potest: „Curvabatur ensis (et fractus esset), nisi ictum retinuisset"; sed ridiculum prorsus est: „Fractus est ensis, ni fugisset", quod in fracto Turni ense nulla mimima est significatio ictus ab adversario venturi aut omnino rei cœptæ et longius progressuræ et effectum habituræ, nisi fuga præveniat. Periculum ex fracto ense natum nova res est et per se significanda. Addam, de fuga prorsus perverse poni *subsidio subire*, quod dicitur de adiutore et defensore adveniente et appropinquante. Itaque Ribbeckius, hoc intellecto, lacunæ notam posuit. Sed salva res est, modo verba recte interpungantur:

frangitur in medioque ardentem deserit ictu.
Ni fuga subsidio, subeat. Fugit ocior Euro.

Ictum, quem inferre non potuit, ipse subeat, ni fugæ subsidio utatur.

Ad Æneidem hæc erant, quæ conferrem. Georgica (retro enim temporum ordinem sequar) minus stu-

[redacted]

diose tractavi, etiam quod res expositas parum cognoram; Sed tamen, cum iterum legerem, pauca hæc annotavi.

I, 316 sqq.:

Sæpe ego . . .
omnia ventorum concurrere prœlia vidi,
quæ gravidam late segetem ab radicibus imis
sublimem expulsam eruerent; ita turbine nigro
ferret hiems culmumque levem stipulasque volantis.

Mire et inepte seges ventorum vi ab radicibus evulsa et iactata comparatur (et comparatur condicionali forma: *ferret*) cum iis, quæ ipsa tali segetis evulsioni et deiectioni natura adiuncta sunt, alio tempore accidentibus, etsi ipsa illa alius temporis significatio prorsus nulla est, quoniam ventorum deprœliantium sævitia ipsa hiems appellatur; et unde vera hieme culmus levesque stipulæ? Apparet, quæ comparationis causa addita putantur, necessario pertinere ad ipsam rei descriptionem absolvendam, scribendumque esse:

expulsam eruerent, *ut* turbine nigro
ferret hiems culmumque levem stipulasque volantis.

Cum inter *nt* et *tu* elisum esset *ut*, versus supplendi causa additum est *ita*. Video nunc, mirari Heynium, neminem tam audacem fuisse, ut sic corrigeret. Ipse, quo erat ingenio ad vera, si occurrerant, firmiter arripienda ignavo, non est ausus longisque verborum ambagibus se implicuit nihil expediens; ceteri incuriose coniecturam neglexerunt.

II, 266 sqq.:

ante locum similem exquirunt, ubi prima paretur
arboribus seges et quo mox digesta feratur,
mutatam ignorent subito ne semina matrem.

Minime unus locus est, in quo primum teneræ arborum plantæ parantur, et in quem postea inde (ex seminario) digestæ feruntur, nec locus, qui conserendus et in quo ipsa silva futura est, exquiritur (habetur enim),

sed ei similis alter ad plantas præparandas. Neque *similis et quo* potest accipi *similis atque is est, quo.* Scribendum igitur puto:

Ante locum similem exquirunt, ubi prima paretur
arboribus seges, *ei*, quo mox digesta *ferantur.*

Nam *ei* una syllaba non solum a Lucretio, sed etiam a Catullo Manilioque positum Lachmannus ad Lucret. p. 152 demonstrat, nec id pronomen h. l. Vergilius vitare facile poterat. *Ferantur* (semina) est in cod. P.[1])

III, 391:

Munere sic niveo lanæ, si credere dignum est,
Pan deus Arcadiæ captam te, Luna, fefellit
in nemora alta vocans; nec tu aspernata vocantem.

Adverbium *sic* nihil omnino habet, quo referatur aut quod significet, quoniam ante tantum de cura lanæ albæ sine maculis servandæ agitur. Ad fabulam quoque ipsam, quæ significatur, quoniam non dando munere Pan decepit deam, sed sub albi arietis specie latens, aptius erit hoc:

Munere *sub* niveo lanæ, si credere dignum est,
Pan deus Arcadiæ captam te, Luna, fefellit.

IV, 39 (de apibus):

certatim tenvia cera
spiramenta linunt, fucoque et floribus oras
explent.

---

[1]) Eodem libro II, 247 certissimum mihi est Vergilium scripsisse:

At sapor indicium faciet manifestus et ora
tristia temptantum sensu torquebit *amaro*,

non *amaror*, quod errore ortum pravo grammaticorum, rara et antiqua incaute sectantium, iudicio defensum est; nam et minus recte *sapor* et *amaror* tanquam duo distinguuntur, et perversissime adhæret nudum illud *sensu* (*amaror ora torquebit sensu*). Quid accidere grammaticis antiquis non ignobilibus iam ante Gellii ætatem potuerit in Latinis poetis, monstrat exemplum Cæsellii apud Gellium VI, 2 positum aliaque.

[redacted]

Neque alga marina neque color quid ad hanc rem faciant, intelligitur, tantoque aptius est:

sucoque et floribus

(hoc est, suco florum ipsisque floribus suco cohærentibus), ut, qui enarrant, suci nomen ipsi ponant (Heynius, Wagnerus, Ladevicus: *Blumensaft*). Cur igitur non ita scribitur? quod factum esse sive consilio sive casu in antiqua aliqua editione Heynius annotat.

De Bucolicorum uno loco dicam valde vexato, qui est in fine eclogæ tertiæ, quem ego non emendatione, sed recta enarratione egere puto:

Non nostrum inter vos tantas componere lites;
et vitula tu dignus et hic et quisquis amores
aut metuet dulcis aut experietur amaros.

Omittam aliorum refutationem, et eorum, qui vim pronomini relativo indefinito (*quisquis*) fecerunt, et eorum, qui hic per *et* novam interponi sententiam posse putaverunt, ex relativa et demonstrativa parte connexam, cum reliquis omnino non cohærentem, ut Ribbeckius, quem Ladevicus secutus est; (de ipsius sententiæ inanitate nihil dico). Necessario igitur illis: *et tu et hic* adiungitur amplior significatio generis hominum illo vitulæ munere dignorum. In hoc genere significando duo verba ponuntur ad malum futurum aut præsens spectantia, ita ut (præterquam quod ex hoc: *metuet dulces amores* nihil sani efficitur) una relinquatur temporis in eadem re, quam illi aut metuent venientem aut iam præsentem experientur, diversitas. Itaque forma quidem sententiæ recta et certa hæc est:

et quisquis amores
aut metuet . . . aut experietur amaros.

Verum non quisquis in amore infelix est aut, ne sit, metuit, dignus illo præmio dici posse videtur, sed quisquis eam infelicitatem certo modo fert solaturque, velut cantando lenit, eiusque rei significatio in eo vocabulo, quod

dulcis scribitur, inesse debet ineritque, si id nominativo casu acceperimus, altera syllaba in arsi producta; quod ego, ut licenter et moleste fieri concedo in forma sola syllabæ quantitate ab accusativo plurali separata, tamen spernere non audeo in tanta sententiæ perspicuitate et aptissima hac coniunctione: *dulcis amaros.* Ac *languentis* genitivo casu, producta in arsi ultima, Vergilius posuit Æn. XI, 69; nominativo autem *is* produxit in *pulvis* I, 478, sed in forma nihil ambigui habente.

De **Horatio** copiosissima esset dicendi materia, si aliorum bona inventa protrahere et commendare, prava commenta refutare propositum esset; novorum, quæ non vi extunderem, sed quibus ratione suadente et cogente confiderem, parca fuit seges, in sermonibus et epistolis prope nulla. Nam et in Horatio similis atque in Vergilio cautio est nec tamen eadem, quod et codices minus sunt quam Vergiliani antiqui et grammaticorum antiquorum testimonia aliquanto rariora, ipsa quoque scholia Servianis commentariis vix æquiperanda, et in hoc campo præter multorum inanem et indoctam sedulitatem etiam doctissimorum et acutissimorum hominum elaboravit industria. Quæ in Horatii opera non ita multos abhinc annos irruit pravitas et libido Hofman-Peerlkampi, de ea quid sentirem, dixi vol. I p. 93, nec ab eo iudicio seiungo illam, quæ nuper prorupit, sumpto ante in Ovidio et Iuvenale (ibd. p. 94) experimento, Lehrsii et Ribbeckii. Contra quos si dicere vellem, longa ordienda esset de fide historica et probabilitate disputatio, cuius illi leges omnes cavillando calumniandoque et fingendo ita spernunt, ut nunquam, quid fieri accidereque in hoc genere et unde hæc formæ testimoniis confirmatæ constantia nasci potuerit, serio aut severe cogitasse videantur; nunc alia mihi agenda sunt, licetque, opinor, hæc somnia præterire, quæ aut intra paucos annos oblivioni tradita erunt, aut totum hoc antiquarum litterarum studium, tanquam exhausta utiliter quærendi materia, inaniter et proterve ludens

[redacted]

cum tædio sui senescet et interibit. Hoc tamen huic perversitati dabo, ut ex emendationum mearum Horatianarum non magno numero unam extra ordinem præcipiam, in qua luculento exemplo ostendi potest, et quomodo vera additamenta certis indiciis convincantur, et quomodo ad eorum causam perveniatur, et quid ea demonstratio differat non solum ab suspicionibus Horatio scribendi legem dantium aut ad omnia delendi medicina abutentium, sed etiam ab instabili in vera difficultate et certo mendo tollendo opinatione. Nam in libri quarti carmine octavo omnes norunt, quæ sint in v. 17 prava, id vitium, quod etiam ad v. 16 pertinet, a plerisque negligitur. Nam neque Horatius cum flagitioso in re personaque clarissima errore ad Africanum maiorem transferre Carthaginis interitum et *incendia* potuit neque prorsus certam cæsuræ legem in uno versu negligere; (itaque nihil agunt, qui illud vulnus curare student, hoc negligunt); tum vero uterque versus toti loci sententiæ et consilio apertissime repugnat et omnia evertit. Cum enim hoc poeta dicat, artificum opera cum poetarum comparans, marmora notis publicis incisa non clarius indicare laudes Africani et rerum gestarum memoriam propagare quam Ennii versus, quid excogitari perversius potest, quam ut in hac comparatione cum marmoribus coniungantur ipsæ res gestæ Scipionis et hoc dicatur, non marmora et victorias melius laudes indicare quam carmina. His tribus invictis argumentis, quæ ex diversis partibus in unum concurrunt, ab historia, a metro, a sententia orta, adiungitur quartum per se minus certum, a versuum numero (34) non conveniente cum lege a Meinekio inventa. Iam qui unum v. 17 tollunt, neque huic difficultati neque gravi illi sententiæ vitio medentur. Itaque nuper exstiterunt, qui tres versus cum duobus dimidiis (a verbis in v. 15 *non celeres fugæ* ad v. 19 *lucratus rediit*) eiicerent, præter Peerlkampum clarissimi homines, Lachmannus, Meinekius,

4*

Hauptius, valde, quod pace Hauptii, viri egregii, dixerim, inconsiderate. Nam primum omnem Scipionis significationem tollunt, quacum coniuncta est *Calabrarum* Pieridum appellatio, quoniam alioquin necessario universe Pierides nominandæ erant; deinde, unde in mentem cuiquam venerit sine ulla causa quattuor versus medio carmini inserere, non declarant, Peerlkampianæ levitatis (et Lehrsianæ) socii, atque etiam in id incidunt, quod iam alibi maxime improbabile esse dixi, ut non versus aliquot reliquorum seriei additos, sed in medio versu cœptam et in alio medio conclusam interpolatoris operam fingant. Sed accedit aliud valde temere excogitatum; quod enim ne sic quidem Meinekianæ legi satisfit, duos alios versus longe hinc diiunctos detrahunt, nec continuos, sed 28 et 33, utrumque innocentissimum, nisi quod hi soli aliquo modo sine ceterorum ruina exsecari possunt. Itaque hac violentia reiecta ad illos duos versus, in quibus omnis est pravitas, revertamur animadvertamusque, in superiore versu (15) in tribus antiquissimis apud Kellerum codicibus non *celeres fugæ*, sed *celeris fuga* esse. Scripsit Horatius, duobus illis versibus minus, egregie, servato etiam illo quaternario versuum numero:

Non incisa notis marmora publicis,
per quæ spiritus et vita redit bonis
post mortem ducibus non *celeris fugæ*,
eius, qui domita nomen ab Africa
lucratus rediit, clarius indicant
laudes quam Calabræ Pierides.

Vitam non celeris fugæ, hoc est, non fugacem et brevem, ducibus per marmora notis publicis incisa redire, Horatius concedit. Hic genetivus, sive casu, sive quod non intellegebatur, unius litteræ mutatione (*celeres*) in nominativum transformatus, cum sic nude posita verba (*non celeres fugæ*)

[redacted]

sensum non efficerent nec ferri possent, duos versus, in quibus laboratur, peperit.[1])

Reliqua ordine persequemur. Itaque primum attingemus Carm. I, 32, 13 sqq.:

O decus Phœbi et dapibus supremi
grata testudo Jovis, o laborum
dulce lenimen, mihi cunque salve
rite vocanti.

[1]) Additurus eram aliud exemplum strophæ propter unius vocabuli mendum damnatæ idque, quod doleo, ab ipso Hauptio, qui his duobus omnino locis, si recte attendi, Peerlkampianæ suspicionis societatem non sprevit; sed id cum in scholis exposuissem, admonitus sum, paulo ante Ieepium verum vidisse. Nam in libri I carm. 2 propter intolerabile illud *audiet cives acuisse ferrum* (quod debebant sane cives facere, si in Persas illo usuri erant; nam *inter se* non magis audiri potest quam *contra Gallos* aut contra quosvis) totam stropham (v. 21—25) damnarunt, obliti, sic perire omnem sceleris illius, quod Horatius v. 29 expiandum dicit, significationem. Ieepius intellexit, Horatium dixisse, ferrum, quo melius Persæ perirent, *rapuisse* et occidisse cives, aptissime contrariis positis civibus et Persis. Ego pridem *ferrum* subiectum esse videram, nondum ipsum verbum reppereram, sed initio, cum *secuisse* in mentem venisset, mihi non satisfaciebam. Hunc consensum confirmandæ emendationis causa eo magis commemoro, quod in talibus locis difficulter veritati conceditur. Unum addam. Prorsus concedo, in libr. IV carm. 4 v. 18—22 minime recto iudicio ab Horatio interpositam esse securis Amazoniæ apud Vindelicos usitatæ mentionem. Sed tamen intelligere possum, qui Horatio alium fortasse scriptorem tangenti hoc interponere in mentem venerit; qui Horatii lectori, cuiuscunque is temporis fingitur, libuerit hoc operose versibus comprehensum Horatiano carmini includere, ne stropha quidem tota addita, sed suis mediæ strophæ artificiose intertextis, prorsus non intelligo. Itaque ne mirentur neve offendantur, rem multis partibus mirabiliorem fingunt, sed ad hoc suum miraculum prorsus connivent.

Frustra esse, qui ex solitario illo *cunque* aliquid extundere conantur (quasi quis *pte* dicat, quod *meopte* et *suopte* sunt), prudentes consentiunt.[1]) Sed quod a Lachmanno excogitatum nuper Hauptius aliique posuerunt:

dulce lenimen *medicumque*, salve,

ferri nequit *lenimen medicum*, poterat *medicina*. Verum, quod non commemoratur, *mihi salve* in salutando poterat fortasse dici, etsi sine exemplo dativus additur; sed *salve mihi rite vocanti* (quasi *fave et ades*) prorsus dici nequit. Puto Horatium scripsisse:

mihi *iunge* „salve"
rite vocanti.

Mutuo sibi *salve* reddi a testudine vult, ut canendi socias partes tueantur.[2])

Carm. III, 4, 10: altricis extra limen Apuliæ.

Mendum arguere nihil attinet, a multis convictum; corrigendi conatus partim a sententia, partim a litterarum vestigiis nimis discedunt, partim utroque peccant. Scribendum videtur:

altricis extra *limina villulæ*.

Carm. III, 8, 25:

Negligens, ne populus laboret,
parce privatus nimium cavere.

Neque Horatius Mæcenatem negligentem esse iubere poterat (longe aliud est *parcere nimium cavere*), neque

---

[1]) Nuper alicui Horatius veterum poetarum usum secutus esse visus est: nam Lucretium II, 114 et V, 312 dixisse item *cunque*; dixit priore loco *cum . . cumque*, id est, si vera est scriptura, *cumcunque*, altero (in versu alioquin cum cetera oratione non cohærenti) *conque senescere*, id est, *consenescereque*. O philologos!

[2]) II, 18, 14 non posse *Sabina unica* pro *unico Sabino* dici, nec se Horatium *satis* beatum dicere, sed beatum et contentum, et *satis* ablativum esse (*sata unica Sabina*), dixi olim nec sententiam muto.

[redacted]

recte hæc coniunguntur: *negligens parce cavere.* Tollendum est comma, ut negligens et incuriosus ipse populus dicatur, qui ne illa ipsa negligentia aliqua in re laboret, nimis cavere Mæcenatem poeta non vult.

Carm. III, 14, 10 frustra defenduntur cum pueris coniunctæ *puellæ iam virum expertæ.* Excidit, quæ alibi quoque in fine versus omissa est, *et* particula (ipse Vergilio restitui Æn. VI, 601):

vos, o pueri et puellæ *et*
iam virum expertæ, cet.

Matronas poeta adiungit.

Carm. secul. 65. Alienissima est ab ea spe et confidentia, qua poeta omnia iam fausta auguratur, condicionis in solo Apolline et dubitationis significatio, maxime in Palatinarum ararum mentione. Scripserat sine dubio Horatius:

Hic (pro *si*) Palatinas videt æquus aras.

Epod. I, 29:

Nec ut superni villa candens Tusculi
Circæa tangat mœnia.

Recte Bentleius intellexit, non posse urbem aliquam absolute appellari *supernam*, hoc est, in superiore parte iacentem. Verum non *supini* scribendum, quod ad Tusculi situm non recte a Tibure transfertur, sed e codicibus bonis (*γ* et *π* apud Holderum, sec. XI et X, etsi in illo est *supernæ*):

Nec ut *superne* villa candens Tusculi
Circæa tangat mœnia.

Superne urbis mœnia tangit villa, quæ in colle vicino adiacet.

Ep. 5, 87 (in pueri a Canidia defossi querelis et imprecationibus):

Venena magnum fas nefasque non valent
convertere humanam vicem.

Diris agam vos; dira detestatio
nulla expiatur victima.

Multa frustra moliuntur, partim violenter ea attrectantes, in quibus nulla est suspicio vitii aut difficultas, omnesque in eo errant, quod *vicem humanam* pro fatis fortunaque humana dici posse putant; nam *vicis* nomen apud bonos scriptores ad unam vicissitudinem, permutationem, in alius rei hominisve locum, ut ita dicam, successionem pertinet (ut cum alicuius vicem dolemus, indignamur, hoc est: um seinet wegen, an seiner Stelle).[1] Interpunctione locus adiuvandus est et detrahenda littera ex prava interpunctione orta:

Venena magnum fas nefasque non valent
convertere. *Humana vice*,
diris agam vos; dira detestatio
nulla expiatur victima;
quin, ubi perire iussus exspiravero,
nocturnus occurram furor, cet.

Puer primum humana vice (menschliche Vergeltung) et ultione, diris, quæ gravem vim habeant neque expiari possint, se magas acturum dicit; deinde, cum ex hominibus excesserit, manium iure et potestate usurum. (V. 75 fortasse recte alii, sed, quos ad manum habeo, prave enarrant, etsi facillima verba sunt et aperta sententia: „Non usitatis potionibus ad me recurres nec mens tua [ad me] redibit vocata Marsis vocibus; maius aliquid horum utroque, et usitatis potionibus et Marsis vocibus, parabo.“)

Ep. 8, 8: mammæ putres,
equina quales ubera.

In *quales* solœcismus est nullo attractionis et Græcæ imitationis artificio excusabilis; eam enim excusationem adhiberi video, velut a Ruddimanno II, 391 Stallb.; obliviscuntur

---

[1]) Ad hanc formam recte Bentleius epod. 17, 42 restituit: *Helenæ . . . offensus vicem*. *Offendi vice alicuius* nemo antiquus dixit.

[redacted]

tamen Græco exemplo uti, in quo *οἷος* tali generis attractione a suo substantivo avellatur; quæ si ferri usquam posset, non posset tamen in hoc verborum ordine *equina quales*. Sed codices habent *qualis*. Scribendum igitur simpliciter:

equina *qualia* ubera.

Ep. 9, 23 sqq.:

Io Triumphe, nec Iugurthino parem
bello reportasti ducem,
nec Africanum, cui super Carthaginem
virtus sepulcrum condidit.

Neque recte *Iugurthino bello* et *Africanum* contraria ponuntur, neque ullo pacto effici potest, ut Africano virtus super Carthaginem sepulcrum condidisse recte dicatur, quod si quid significat, eum ibi sepultum, cum fortiter pugnaret, significat; neque omnino virtus sepulcrum cuiquam condit, sed monumentum. Accedunt codices, quorum alii *Africano* habent, partim post rasuram, alii *Africanum*, itidem post rasuram. Scribendum est:

nec Iugurthino parem
bello reportasti ducem
neque, *Africani* cui super Carthaginem
virtus sepulcrum condidit,

hoc est: nec eo bello, quod Africani virtus super Carthaginem sepelivit et in perpetuum sustulit. Sic enim bellum sepelit virtus imperatoris; Cic. de imp. Pomp. 30: *bellum . . eius . . adventu sublatum ac sepultum.*

Epod. 15, 8: (iurabas)

dum pecori lupus et nautis infestus Orion
turbaret hibernum mare,
intonsosque agitaret Apollinis aura capillos,
fore hunc amorem mutuum.

Pravissime primum ad *infestus* auditur *esset*, deinde idem adiectivum sine *esset* cum Orione coniungitur, sub-

iecto alio verbo, quod nullo modo fieri potest. Oratio sic interpungenda est:

dum pecori lupus et nautis infestus Orion,
turbaret hibernum mare
intonsosque agitaret Apollinis aura capillos,
fore hunc amorem mutuum.

Iam recte ad *infestus* in utroque subiecto auditur *esset* (multo facilius quam ep. 1, 9 *sumus*), *turbaret* autem et *agitaret* subiectum ambo habent auram. [1])

Ep. 16, 15:

Forte quid expediat, communiter aut melior pars
malis carere quæritis laboribus;
nulla sit hac potior sententia: Phocæorum
velut profugit exsecrata civitas
agros atque lares patrios habitandaque fana
apris reliquit et rapacibus lupis,
ire, pedes quocunque ferent, quocunque per undas
Notus vocabit aut protervus Africus.

In hoc loco perpusillum mendum quantas turbas dederit, pæne incredibile est. Ac primum initio loci vox illa *forte* exercuit homines pro adverbio accipientes et cum *fortasse* etiam confundentes nec, quomodo hæc interrogatio *quid expediat* cum ceteris cohæreat, expedientes. [2]) Deinde autem, quod multo est difficilius, in eo minus hæserunt, quomodo hæc coniungantur: *nulla sit hac potior sententia . . . ire*; equidem barbarum hoc tam esse dico quam quod maxime: *potior sententia hac, ire,* infinitivo appositione ad *hac*

---

[1]) Admodum miror, ab Hauptio post Bentleium revocatum *turbarit* et *agitarit*, quod nec post *iurabas* ferri potest nec ferendum esset, si scriberetur *iuras* de re præsenti; neque enim puella sic iurat: dum infestus fuerit Orion, sed: dum erit, dum aura agitabit.

[2]) Hauptius edidit: *forte quod expediat, . . . quæritis laboribus*; qua sententia, omnino nescio.

[redacted]

adiuncto. Omitto alia. Videat mihi nunc aliquis, quam omnia facile expediantur. Horatius, exposito, quam in infelicem statum respublica populusque Romanus redactus sit, primum, ut se cives e malis, eripiant, exhortatur:

Forte quid expediat!

hoc est, forte aliquod remedium. Deinde quærit, velintne aut omnes aut saltem meliores salvi esse, et consilium promittit (ita ut interrogatio pro conditione sit):

Communiter aut melior pars
malis carere quæritis laboribus?
Nulla sit hac potior sententia:

(Cfr. Od. I, 27, 9: *Vultis severi me quoque sumere partem Falerni? Dicat Opuntiæ frater Megillæ,* cet.)

Iam ipsum sequitur, quod *hac* (sententia) significatum erat, consilium:

Phocæorum
velut profugit exsecrata civitas
agros atque lares patrios habitandaque fana
apris reliquit et rapacibus lupis,
ite, pedes quocunque ferent, quocunque per undas, cet.

Unam litteram mutavi, *ite* pro *ire* ut esset.

Sat. I, 3, 71. Oratio fere non recte dividitur; est enim ad hunc modum interpungenda:

Amicus dulcis, ut æquum est,
cum mea compenset vitiis bona; pluribus hisce,
si modo plura mihi bona sunt, inclinet. Amari
si volet hac lege, in trutina ponetur eadem.

Priori sententiæ prave adiungitur condicio.[1] [Sed sic iam alii.] (De I, 6, 38 dictum est vol. I, 105 n.)

Sat. II, 1, 54 sqq. oratio sic scribenda et interpungenda videtur:

---

[1]) In eadem sat. 3 v. 25 correxeram *prætereas,* quod video a Mervilio nescio quo occupatum.

plane prave ibi additur, quasi ruri cum servis non futurus sit villicus.[1])

A. P. 50 sqq.:

fingere cinctutis non exaudita Cethegis
continget, dabiturque licentia sumpta pudenter;
et nova fictaque nuper habebunt verba fidem, si
Græco fonte cadent parce detorta.

Neque Græco fonte omnia cadere Horatius voluit, neque, quæ Græco fonte caderent, nova nuperque ficta dicere poterat. Duas significat vias sermonis patrii augendi, ut aut nova fingantur aut e Græco fonte parce verba deriventur. Scribendum retracta particula, quæ facillime elidi poterat:

et nova fictaque nuper habebunt verba fidem, *et* si
Græco fonte cadent parce detorta.

(De v. 350 dixi vol. I p. 68.)

A Vergilio Horatioque veniam, omisso Tibullo, quem post primos professorii muneris annos totum non perlegi, et ad quem nihil habeo annotatum, quod editione dignum sit, ad Ovidium, si perpauca **Propertiana** interposuero, quæ, cum ante triginta annos annotassem, occupata non video certaque esse puto. Nam

I, 2, 9 et 10 quod sic edunt:

Aspice, quo summittit humus formosa colores
et veniant hederæ sponte sua melius,
surgat et in solis felicius arbutus antris,
et sciat indociles currere lympha vias,

---

[1]) I, 6, 7 recte oratio distinguitur apud Kellerum ut *ludicra* (Spielsachen, Ep. I, 1, 10) *maris Indos ditantis* dicantur, certa etiam orationis forma: *quid censes munera terræ . . . quo spectanda modo (credis)?* per totum locum servata. I, 17, 24 recte Dœderlinius *fere* cum *temptantem maiora* coniunxit. I, 18, 98 et 99 revocandum bis *ne*. Quæ his duobus versibus significantur, non quæstiones erant nec a philosophis tractabantur (num hunc illumve hominem cupido semper vexaret), sed ne sic vivatur, philosophandum est.

[redacted]

neque, quid sit *quo*, intelligo (et in codicibus scribitur *quos*), neque quomodo cum hac sententia interrogativa cohæreant illa: *et veniant.* (Putantne, *quo* posse pro *quomodo* vel potius *ut* dici?) De variato sine ulla causa modo verbi taceo et de genere cum specie (*hederæ* . . . *arbutus*) prave coniuncto. Scribendum est:

Aspice, *quos* summittit humus formosa colores,
Ut veniant hederæ cet.

In floribus, quos generatim poeta significat, animadverti exempla certa iubet. [Carm. sel. 1843; postea H. Keilius.]

I, 15, 29 sqq.:

Muta prius vasto labentur flumina ponto,
annus et inversas duxerit ante vices,
quam tua sub nostro mutetur pectore cura:
sis quodcunque voles, non aliena tamen;
quam mihi ne viles isti videantur ocelli,
per quos sæpe mihi credita perfidia est.

Quam in v. 33 ferri non posse, manifestum est; sed causalis particula (*nam*), quam nuper substituerunt, ipsa quoque inepta est. Scribi debet:

Tam mihi ne viles isti videantur ocelli,

ut te perfidiæ damnatam pectore dimittam. [1843.]

I, 16, 11 et 12:

Nec tamen illa suæ revocatur parcere famæ,
turpior et sæcli vivere luxuria.

Apparet, *revocatur parcere* esse *revocatur* (a vitiis), *ut parcat famæ*; quid est igitur: *ut parcat famæ et vivat turpior luxuria sæcli?* Nam et necessario uterque infinitivus eodem modo intelligendus est, neque ullo pacto *revocatur vivere* potest esse *a vivendo.* Manifestum est, corruptum esse *turpior,* scribendumque: *purior et sæcli vivere luxuria.* (Quæ L. Mueller de dativo et infinitivo simul ex verbo pendentibus dicit, nec intelligo nec, quid probabilis sententiæ nascatur, video.)

I, 17, 3:

Nec mihi Cassope solito visura carinam.

Hæc sensu cassa esse, neminem puto negaturum; nam ut *visura* pro *visura est* accipiatur, non est, quod *solito* facias. Neque portus dicitur navem visurus esse, sed navis portum. Emendatio facilis et certa est:

Nec mihi *Cassopen solvit* visura *carina*,

hoc est (si tamen opus est enarrare): nec carina mea eo fato solvit, ut Cassopen (portum Epiri, quem petere se poeta dicit) visura sit. [Carm. sel. 1843.]

II. 16 (III, 8), 23 sqq. Permire cum sententiæ interitu negligitur optima codicum scriptura:

Non quia septenas noctes seiuncta cubaris,
candida tam fœdo brachia fusa viro,
non quia *peccarim* (testor te), sed quia vulgo
formosis levitas semper amica fuit.

Cynthiam queritur fœdo viro se dedisse brachiaque ei circumfudisse, nec id ideo factum, quod neglecta seorsum cubuerit, aut quod ipse Propertius peccarit (alia femina sectanda), sed sola, quæ formosarum propria sit, levitate. Editur *peccaris.* (Non ideo cum fœdo homine cubuisti, quod peccaris!)[1])

II, 25 (III, 20). 1 et 2:

Unica nata meo pulcherrima cura dolori,
excludit quoniam sors mea „Sæpe veni",
ista meis fiet notissima forma libellis,
Calve, tua venia, pace, Catulle, tua.

In illa, quæ fingitur, invitandi formula perverse abundat *sæpe*, neque is dolor erat, quod non sæpe venire iuberetur, sed quod non reciperetur et quod excluderetur a puella. Codex optimus (Neapolitanus) a prima manu habet *venit.* Fuerat:

---

[1]) Quod II, 13 (III, 5) 47 nunc editur: *Cui si longaeva* cet., video a me ante a. 1840 annotatum, et item quod III (IV), 20 (al. 19), 4: *Tantine, ut lacrimes, Africa tota fuit?*

excludi quoniam sors mea sæpe venit,

hoc est, quod sæpe mihi ea sors obvenit, ut excludar.[1])

III (IV) 8 (al. 9), 35 et 36:

Non ego velifera tumidum mare findo carina:
tuta (sic cod. G.) sub exiguo flumine nostra morast.

Scio dici *sub alta valle* similiaque, quod in valle simul cogitatur de collibus eam cingentibus; scio, *sub imo corde premere aliquid*, eminente occultandi sub aliquo significatione; navigantem dici a Propertio potuisse morari sub exiguo flumine, non credo; Lucanum video eo progressum, ut IX, 435 hoc poneret: *nulla sub illa Cura Iovis terra est*, et X, 66: *Leucadioque fuit dubius sub gurgite casus.* Una vocali mutata fit:

tuta sub exiguo *flamine* nostra morast.

IV (V) 4, 55 (in Tarpeiæ oratione) hæc est codicum scriptura:

Sic hospes pariamne tua (G. pariam tua ne) regina sub aula,
dos tibi non humilis prodita Roma venit,

ex qua leniter iuvando nascitur hæc et verbis et sententia perapta:

Si *hoc spectas*, *par eamne tuam* regina sub *aulam*,
dos tibi non humilis prodita Roma venit.

Ibd. 59:

Commissas acies ego possum solvere: nuptæ,
vos medium palla fœdus inite mea.

Non nuptas alloquitur Tarpeia, sed viros, Sabinos Romanosque, inter quos fœdus confici suis et Tatii nuptiis

---

[1]) II, 33 (III, 31) 37 cum in duobus, quibus solis utimur fide dignis, codicibus scribatur *demissa in pocula serta*, semper miratus sum, cur edatur contra omnium usum *demissæ . . sertæ.* Sed subest fortasse aliquid reconditioris sapientiæ, quod ego non intelligam.

vult, ut et res ipsa et proximi versus declarant. Scripserat Propertius:

Commissas acies ego possum solvere *nupta*;
vos medium cet.

Ovidii opera primus severius e codicibus ad veriorem certioremque formam revocare instituit Nic. Heinsius, homo et in codicibus investigandis conferendisque acerrimi studii et ingeniosus et multa poetarum Latinorum lectione exercitatus. Grammaticorum veterum testimonia de Ovidii scriptura non valde multa exstant, quod et minus honoris auctoritatisque habuit quam Horatius, ne Vergilium dicam, multoque minus tractatus in scholis est, scholia nulla; videturque omnino in eius scriptis ad posteritatem propagandis antiquitus aliquanto plus casui loci fuisse. Sed Heinsius neque ipse accurata artis norma codices discreverat scripturæve delectum coniecturæque usum rexerat, et copiæ eius negligenter a Burmanno editæ sunt. Itaque bene meruit R. Merkelius, quod, cum post Burmannum in hoc critico genere nihil fere, quod operæ pretium esset, in Ovidio effectum esset, Keilii aliorumque opera adiutus codices recenti temporum litteris renascentibus proximorum interpolatione multiplici et valde libera antiquiores aut iterum aut primus ad usum vocavit et in iis fundamentum Ovidianæ scripturæ constituit; sed neque plene codicum scripturas edere potuit neque, quas edidit, commode et perspicue semper exposuit, in textu recensendo ipse iudicii contortioris et ad artificiosa et obscura inclinantis, non ita raro certissimarum emendationum ab aliis factarum contemptor, novarum inventor subabsurdarum et prope incredibilium. Sunt autem illi codices omnino pauci nec eiusdem in omnibus operibus antiquitatis bonitatisque, alii Horatianis (sed huius generis pluribus) ætate vix cedentes, alii inferiores, unus et alter nondum totus collatus. Ego quæ in Ovidii scriptis videbar mihi meliora superioribus repperisse, cum alia legerem sæpius et diligentius

[redacted]

(epistolas heroidum etiam cum adolescentibus pertractarem, eas, quæ veræ sunt), alia semel et celerius, infra ponam, librorum tempora et ordinem sequens. Nonnulla, in quæ putabam me primum incidisse, iam margo editionis Bersmanni præceperat, quod ideo dico, ne ab aliis ea negligatur. Rectas scripturas a Merkelio eiectas plurimas omitto.

Amorum lib. I, 6, 23 sqq. primum codicum scriptura, quam Merkelius mutavit, retinenda, sed sic interpungenda est:

Redde vicem meritis; grato licet esse, quod optas.
Tempora noctis eunt.

Ipsum ianitorem gratum esse cupere dicit; eius rei nunc occasionem esse. Sed quod sequitur:

excute poste seram,
excute! sic umquam longa relevere catena,

ferri in optando *unquam* pro *aliquando* nullo pacto potest, scribique debet *utinam.*

Ibd. I, 7, 58:

Suspensæque diu lacrimæ fluxere per ora,
qualiter abiecta de nive manat aqua.

Sic codices boni, in *abiecta* corrupti, pro quo Merkelius *umecta* posuit, vocem valde dissimilem nec Ovidianæ ætatis nec satis aptam; scribendum erat *adfecta*, hoc est, solis vi iam tacta et labefactata (*angegriffen*).

Ibd. I, 8, 31 oratio sic interpungenda est:

Signo nunc Venus apta suo.
Prosit ut adveniens, en aspice! Dives amator
te cupiit.

Effectus hic est Veneris advenientis.[1] [Sic quædam edd.]

---

[1]) Indignum est, sperni v. 45 egregiam et necessariam Burmanni emendationem (etsi nulla bona est, nisi necessaria): *Has quoque, quæ frontis rugas in vertice portant* (pro *quas . . portas*), *excute.* Non suas puella, quam Dipsas maga alloquitur, præter

Ibd. I, 13, 19 et 20. Hoc distichon in codice optimo P (Parisino Puteaneo) sic scribitur:

Atque eadem sponsum cultos ante atria mittis,
unius ut verbi grandia damna ferant;

qui ei proximus est, S (Sangallensis), *sponsum consulti* habet. Quod Merkelius e Lachmanni coniectura posuit *sponsu vinctos*, neque usitate dicitur et tempore pravum est; Aurora enim non iam sponsione alligatos ad atria mittit (in quo non Aurora, sed id tempus, quo se alligavissent, reprehendi posset), sed ut sponsionem faciant, unde post damnum oriatur. Itaque omni modo retinendum *sponsum*. Veri simillimum videtur:

Atque eadem sponsum *incautos* ante atria mittis.

Prima syllaba vocabuli *incautos* hausta est præcedente *m*. Atria sunt Licinia, auctionaria.

Ibd. I, 13, 39:

At si, quem malis, Cephalum complexa teneres
clamares: Lente currite, noctis equi!

Pravus coniunctivus est; codices *magis*; scribendum igitur: *quem mavis*.

Ibd. II, 9, 1:

O numquam pro me satis indignate Cupido,
o in corde meo desidiose puer,
quid me cet.

Quomodo poeta postulat, ut Cupido pro se indignetur (et de qua re?), et, quod non satis id fecerit, reprehendit? Se ipsum nunquam satis pro eo, ac debeat, indignari posse de iis, quæ Cupido in se fecerit faciatque, dicit:

---

alia rugas *quoque* excutere (quod esset *explicare*) iubetur, sed etiam eas fœminas, quæ severitatem affectent, excutere. Nec minus fœde v. 65 relinquitur *quinquatria*, cum nihil certius cogitari possit quam hoc: *Nec te decipiant veteres circa atria ceræ*, maiorum imagines et nobilitas.

[redacted]

O numquam pro *re* satis *indignande* Cupido,

hoc est: pro veritate et rerum gravitate.[1])

Ibd. II, 15, 11: Poeta vellet se in anulum, quem puellæ mittit, subito mutari et digito eius inseri:

Tunc (si anulus sim) ego te cupiam dominæ tetigisse papillas
et lævam tunicis inseruisse manum.

Sic codices antiqui (PS). Una littera addenda est; dominam enim poeta alloquitur:

Tunc ego te cupiam, *domina*, et tetigisse papillas cet.

Si enim hoc fecerit domina, poeta sub anuli forma latens corporis puellæ partes attrectabit.

Ibd. III, 8, 28 (ubi militem bello ditatum sibi carminibusque præferri queritur):

Discite, qui sapitis, non quæ nos scimus inertes,
sed trepidas acies et fera castra sequi;
proque bono versu primum deducite pilum;
hoc tibi, si velles, possit, Homere, dari.

Sic codices; orationis lex *posset*, ut olim edebant, postulat; sed perit sic imago Homeri tanquam præsentis et integræ etiamnunc condicionis. Nec satis erat velle, sed, omissa poesi, ea agenda erant, quæ huic rei necessaria essent. Rectum est:

hoc tibi, si *belles*, possit, Homere, dari.

Ibd. III, 11, 49 sqq.:

tu selige tantum,
me quoque velle velis, anne coactus amem.
Lintea dem potius ventisque ferentibus utar,
ut, quamvis nolim, cogar, amare velim.

Ultimi versus sententia et oratio sic constabit:

ut, quam, si nolim, cogar amare, velim,

---

[1]) Hanc et proximam coniecturam de III, 8, 28 prodidi in annal. philol. Dan. V p. 21 et 159. *Pro re* iam Burmannus.

hoc est: ut velim eam amare, quam, si nolim, cogar tamen; priore ex condicionibus v. 50 positis uti vult.

Ibd. III, 13, 29 (in descriptione solemnium Iunonis Faliscæ):

Ore favent populi tunc, cum venit aurea pompa.

Unus significatur populus Faliscus. Scripsitne Ovidius:

Ora favent populi tunc, c. v. a. p.,

ut alibi *os favens*, Propertius *ora faventia* dixit?

Ibd. III, 14, 41 et 42:

Nil equidem inquiram, nec, quæ celare parabis,
insequar, et falsis muneris instar erit.

Sic optimus codex (aut *falsi*, si Heinsio credimus), e qua scriptura quod Merkelius effecit:

insequar, et falsum muneris instar erit,

ut sententia recta sit, *falsum* pro substantivo accipi debet, ut sit: fraus mihi oblata. Scribendum erat:

insequar, et *falli* muneris instar erit.

Heroid. epistol. II, 103[1]):

Quid precor infelix? Te iam tenet altera coniux
forsitan et, nobis qui male favit, amor.
Utque tibi excidimus, nullam, puto, Phyllida nosti.

Ineptum est *ut*, inepte in protasin et apodosin dividuntur, quæ eandem sententiam continent; scribendum:

amor,
Atque tibi excidimus; nullam, puto, Phyllida nosti.

Gravius priori idem superponit. [Sic Gu. 3 apud Iahn.]

Ibd. (II), 107 sqq. Prorsus intolerabiliter in enumeratione meritorum Phyllidis, quæ per anaphoram pronominis relativi fit (v. 107 *quæ tibi*, v. 111 *quæ tibi)*, interponitur pronomen relativum ad Demophoonta relatum (v. 109, 110:

[1]) Quod in prima epistola v. 103 Merkelius sua coniectura repertum posuit, idem ego iam a. 1843 in eclogis poetarum Latinorum posueram: *Hinc faciunt cet.*

[redacted]

cuius opes auxere meæ, *cui dives egenti* cet.); nec minus incommode v. 115 subito ad eundem Demophoonta relativum redit. Manifestum est, v. 109 et 110 transponendos esse ante v. 115, proque relativa forma, quæ nusquam refertur, in transeundo a Phyllide ad Demophoonta substituendam esse interrogativam, ut primum hæc se excipiant:

Quæ tibi, Demophoon, longis erroribus acto
Threicios portus hospitiumque dedi,
quæ tibi subieci latissima regna Lycurgi, cet.,

tum hæc:

Cuius opes auxere meæ? Cui dives egenti
munera multa dedi, multa datura fui?
Cui mea virginitas avibus libata sinistris
castaque fallaci zona recincta manu?
(manust?)

Ep. III, 19 Ovidius, in hoc genere liberrimus, verba, si nostris notis usus esset, sic interpunxisset:

Si progressa forem, caperer ne, nocte, timebam,

ut hæc *nocte progressa forem* coniungerentur.

(De v. 30 sqq. dictum est vol. I. p. 76.)

Ibd. (III) 136 e codice P, in quo est *ad arma tuus patris*, scribendum videtur:

sic eat auspiciis Pyrrhus ad arma *patris*.

Lusit Ovidius in patris appellatione, quæ superiore versu ad Pelea accommodata erat, hoc versu ad ipsum Achillem accommodanda. (V. 132 notabile habet, sed nihil aliis notabilius, exemplum scripturæ a Merkelio boni codicis auxilio depravatæ; nihil enim verius quam *admonuisse sui.)*

Ep. IV, 137 verba sic interpungenda sunt et scribenda:

Nec labor est celare; licet; pete munus ab *ipsa*
(Venere, pro *illa*).

Cfr. remed. am. 409 *(Nec labor efficere est)* et art. am. II, 575.

Ep. V, 3 cum annotassem, nihil esse, cur Œnone Pegasis appellaretur, scribendumque esse *Pedasis Œnone*,

nomine ab oppido patrio ducto, multo post casu vidi, idem suspicatum esse veterem simplicemque hominem, Micyllum, cui Burmannus stulte obloquitur, quod Musæ a Pegaso Pegasides, ipse autem Pegasus a $\pi\eta\gamma\tilde{\eta}$ dictus sit, etiam Cebrenis fluvii patris (non $\pi\eta\gamma\tilde{\eta}\varsigma$ matris) filiam Pegasida appellari posse. Et satisfecit insecutis editoribus.

Ep. VI, 100 (Hypsipyle de Medea loquitur):

Adde, quod adscribi factis procerumque tuisque
Se favet, et titulo coniugis uxor obest.

Nihil esse *faveo me adscribi*, concessuros prudentes scio; Latinum et rectum est, una littera mutata:

Adde, quod adscribi factis procerumque tuisque
Sese avet, cet.

Ibd. (VI) 140. Codicis optimo proximi G (Guelferbytani, apud Jahnium Guelf. I) scriptura unius litteræ mutatione adiuvanda est:

Quodlibet ad facinus *iste* (pro *ipse*) dat arma dolor,

qui læsa fide coniugali suscipitur. In optimo a prima manu dicitur esse *quamlibet ipse dat arma dolor*, postea additum post *quamlibet* (modo de eo recte taceatur) *iratis*, quod in ceteros transiit; est autem prorsus perversum, quoniam hic dolor non iræ repugnat (*quamlibet iratis*), sed ex ira oritur ipsaque est. Paulo post v. 156 ocius e codicibus bonis et mediocribus revocanda hæc scriptura est:

Utque ego destituor coniunx materque duorum,
a totidem natis orba sit illa viro,

hoc est, post totidem filios genitos orbetur viro. Multus est Ovidius in præpositione *ab* pro *post* ponenda (quomodo Livius *ab hac contione*, *ab hac oratione* dixit XXIV, 22, 6, XXXI, 8, 1). A. am. III, 226: *Aptius a summa conspiciere manu* (hoc est, summa manu imposita), metam. VIII, 611: *amnis ab his tacuit*, ibd. XII, 578: *a sermone senis repetito munere Bacchi*, ex Pont. IV, 15, 4: *a superis hic mihi primus erit*, et 5, 26: *a magnis hunc colit ille deis*, Fast. III, 94: *a tribus primus*. Simillimum Ovidiano loco est, quod Pli-

[redacted]

nius H. N. VIII, 15 (17), 45 scripsit, leænam tradi primo fetu parere quinque catulos ac per annos singulos uno minus, *ab uno sterilescere*, hoc est, postquam unum edidit. Sed eadem brevitate in altera præpositione Suetonius dixit Iul. 50: *post tres liberos exegisset uxorem*, hoc est, trium iam liberorum matrem. Quod editur:

A totidem natis orba sit aque viro,

sententia prorsus pravum est; Hypsipyle enim suam fortunam Medeæ imprecatur, ipsa autem filiis orba non erat, sed habebat. *Orba ab optimatibus contio* apud Ciceronem pro Flacco § 54 dicitur; qui alius præpositionem addiderit, non reperio [1]. [Recte iam enarravit U. Huberus.]

Ep. VII, 33:

Aut ego quæ cœpi neque enim dedignor amare
Materiam curæ præbeat ille meæ.

Sic e codicibus Merkelius edidit, apposito obelo; neque quidquam nos superiorum conatus adiuvant. Facili emendatione et certa acumen Ovidio redditur:

Aut ego, quæ cœpi, — neque enim dedignor, — *amorem*,
Materiam curæ præbeat ille meæ.

Si fieri non possit, ut mutuo inter se Dido et Æneas ament, ut partes sic dividantur, optat, ut ipsa, quæ prior amare cœperit, amorem præbeat, Æneas tantum materiam, hoc est, ut ipsa amet, ille tantum patiatur se amari, quemadmodum Amor. I, 3, 3 prorsus simili loco poeta dicit.

Ibd. (VII) 45:

---

[1]) Eiusdem epistolæ v. 118 utinam tenuissent editores, quod Salmasius aut alius invenerat: *Me quoque dotalis inter habere potes*, (Pq . . *lis*, G *quod talis*), non sane pro dotatis, sed in parte dotis, tanquam unam e servis dotalibus. Nam v. 110 ante Merkelium recte tenebant ab Heinsio e codicibus deterioribus, hoc est, e coniectura vetere *pollicito pondere*.

Non ego sum tanti, quod non verearis, inique,
Ut pereas, dum me per freta longa fugis.

His quoque Merkelius obelum merito apposuit, neque eo carere poterimus, recepta communi scriptura: *tanti, quamvis merearis, inique,* in qua nulla recta sententia est. In P est *quid non mereris,* syllaba tamen *mer* incerta, in G *quod non censeris,* etsi sub rasura videtur esse *cenaris.* Quoniam hæc: *Non sum tanti, ut pereas, dum me fugis,* plenam et rectam habent sententiam, apparet *inique* pertinere ad interpositam sententiam, eaque contineri iniquæ æstimationis significationem ad verba *non sum tanti* apte adiunctam. Scripsisse Ovidius videtur:

Non ego sum tanti, (*quid nos metiris* inique?)
ut pereas, dum me per freta longa fugis.

Inique et se et Æneam æstimari dicit. (De v. 71 s. qq. dixi vol. I p. 114).

Ibd. (VII) 85:

Hæc mihi narraras. a . . me . . nouere merentem
ure minor culpa pœna futura mea est.

Posui, quod in P est; in G scribitur *narraras at me nouere.* Manifestum est intellectumque ab aliis, Dido se incusare, quod non admonita ipsius Æneæ de se narratione fraudem caverit, pœnamque non recusare. Duplex iniri potest corrigendi via, altera, quam, aliis ex parte præeuntibus, Burmannus ingressus est, ut scribatur:

Hæc mihi narraras, *nec* me *movere;* merentem
ure; minor culpa pœna futura mea est,

altera hæc:

Hæc mihi narraras; *di* me *monuere;* merentem
ure, cet.

Ibd. (VII) 159 (in obsecratione et voto Didus):

Sic superent, quoscumque tua de gente reportas,
Mars ferus et damni sit modus ille tui.

Manifestum est, hæc extrema: *et damni s. m. i. tui* per se accipienda esse; itaque una littera mutata scribi debet:

[redacted]

Sic superent, quoscumque tua de gente *reportat*
Mars ferus, et damni sit modus ille tui,

hoc est: Sic vivant et salvi maneant, quos ferus Mars ex excidio Troiano superstites fecit et reportat, nec plus cladis ac damni patiare. Mars, quos in bello et prœliis non delet, reportat.

Ibd. (VII) 172:

Nunc levis eiectam continet alga ratem.

Non eiecta (in littus undarum et tempestatis vi) navis significatur, sed e portu egressa et enavigare nitens. Scribendum igitur videtur *evectam*.

(De disticho in ep. VIII inter v. 21 et 22 omisso dixi vol. I p. 46.)

Ep. IX, 106:

Quod tu non esses iure, vir illa fuit.

P *quem*. Scribendum et interpungendum sic:

Quum tu non esses, iure vir illa fuit[1]).

Ibd. (IX) 141:

Semivir occubuit in letifero Eueno
Nessus, et infecit sanguis equinus aquas.

Sagittis Herculis Lernæo veneno tinctis Nessus periit; fluminis pestiferam aut omnino insalubrem naturam neque in hac re neque alioquin quisquam commemoravit, hoc loco

---

[1]) V. 111 editur e bonis codicibus commendaturque ab Heinsio ut eleganter dictum *costas exuta leonis vellera*, magno hactenus certe cum errore, quod non animadvertunt accusativi participiis passivis (pro mediis) additi genus et naturam (Gr. Lat. § 237 a); nam *exutus aliquid* (etiam in omnibus Heinsii exemplis) est, qui aliquid sibi exuit et exuendo deposuit. Itaque si *vellera costas exuta* Ovidius dixit, nova sane imagine de costis cogitavit pelli et velleri tanquam (intrinsecus) superpositis et ea tegentibus. Quod quoniam vix credi potest, utendum est vetere (in codicibus interpolatis) emendatione, ut *costis* exuta vellera dicantur, id est, detracta. [Ita Bentleius ad Hor. od. III, 5, 38.]

autem, si ulla esset, tamen incommodissime in memoriam revocaretur, cum de altera illa mortis causa poeta cogitari vellet. Scripserat Ovidius:

in *lentifero* Eueno,

appellatione sumpta a lentium palustrium supra aquam natantium (*τῶν ἐπὶ τῶν τελμάτων φακῶν*) copia, nomine ficto ea forma, qua et alii poetæ et Ovidius permulta finxerunt et semel aut bis posuerunt, ut *laborifer*, *lentiscifer*, cetera, quæ enumerat Nevius in libro de formis vocabulorum Latinorum (Lat. Formenlehre) vol. II. p. 1. Hanc emendationem, quamquam confirmatione non eget, tamen etiam codicum vestigiis confirmari puto; certe e G apud Iahnium profertur *lenfero*.

Ep. X, 31:

Aut vidi aut tamquam quæ me vidisse putarem,
Frigidior glacie semianimisque fui.

Sic P sub rasura habere „videtur"; G *putavi*. Sententia, quæ in his nulla est, nascetur non discedens ab ea, quæ ab aliis interpolando effecta est, si sic scripserimus:

Aut vidi aut *tantum quia* me vidisse putavi,
Frigidior glacie semianimisque fui.

Ep. XII, 17 (de Iasone dentes serpentis serente) in P prima manu scriptum dicitur:

Semina.... totidemque et seminat et hostes,

in spatio et rasura ab altera manu *sensisset;* in G est:

Semina iecisset totidem quod seminat hostes.

Efficitur:

Semina iecisset, *totidem, quot semina*, et hostes,

hoc est, quæ totidem hostes erant (et progenitura erant), quot semina, Ovidiana in appositione arte et brevitate. (Ep. III, 73: *digna nurus socero, Iovis Æginæque nepote*, hoc est, eo socero, qui est I. Æ. nepos.)

Ibd. (XII) 85:

Spiritus ante meus tenues vanescat in auras.

[redacted]

Non optat Iason, sed cum summa asseveratione et fidei specie promittit. Itaque e G (apud Iahnium) scribendum est *vanescet.* Contra ep. I, 79 Penelope optat, ut falsum crimen reperiatur. [Sic Heusinger.]

Ep. XIII, 100:

Non est, quo properes, terra paterna tibi.

Hoc significat, Protesilaum non habere terram paternam, quo properet. Quod dici debet, hoc est:

Non est, quo *properas*, terra paterna tibi,

et hoc Iahnius e duobus codicibus annotat, rectum esse non attendit. [Attendit Loersius.] Sed etiam paulo ante, v. 72, necessario scribendum:

Te quoque non ullum vulnus habente *cadet*,

non *cadat.*

Ibd. (XIII) 110 scribendum est:

Cur venit, *ah*, (pro *a*) verbis multa querela tuis.

Ibd. (XIII), 121:

Semper in his (osculis) apte narrantia verba resistunt;
Promptior est dulci lingua referre mora.

Nihil est lingua mora promptior referre, h. e., ad referendum, quod pro *narrare* non ponitur apud bonos scriptores; in P scribitur *refere.* Scribi debet:

dulci lingua *refecta* mora.

Referri pro *refici* scriptum est in codice Vindob. Livii XLV, 28, 10.

Ep. XIV, 14 Ovidii consuetudo cum sermonis naturali forma consentiens, postulare videtur:

Non est, quam piget esse, *pia* (pro *esse piam*).

Ibd. (XIV), 86:

Scilicet ex illo Iunonia permanet ira,
quo bos ex homine est, ex bove facta dea.

Non sic omittitur *tempore (quo).* Scribendum: *quom* bos cet.[1])

[1]) Reliquas epistolas, quia ab Ovidio abiudicantibus plane assentior, non attingo. Annotabo tamen, scriptorem in Helenæ

Art. amat. (nam has quoque nequitiæ sordes percurrere grammatici officium me iussit) lib. I, 114 iam Burmannus intellexit, inepte Romulum dici populo prædæ signa petenda dedisse, cum petendæ prædæ signa significarentur. Scribendum videtur:

rex populo præda signa *petita* dedit.

Ibd. 133:

Scilicet ex illo sollemnia more theatra
nunc quoque formosis insidiosa manent.

Neque *sollemnia theatra* ferenda sunt neque *ex illo more*, qui non mos fuit, sed res semel acta. Scripserat Ovidius:

Scilicet ex illo *sollemni* more theatra.

ex illo ut alibi (velut ep. XIV, 86, quem locum proxime attigi, metam. III, 394, IV, 259, cet., pro eo, quod est *ex illo tempore*, posuit.

Ibd. II, 217:

Ille, fatigatæ perimendo monstra novercæ
qui meruit cælum, quod prior ipse tulit.

Non recte Iuno absolute *fatigata* dicitur, neque monstra fatigatæ Iunonis erant; desita sunt creari, cum fatigata creando esset. Boni codices non *perimendo* habent, sed *præbendo*. Scripserat igitur Ovidius:

Ille, *fatigata* præbendo monstra *noverca* cet.

Ibd. II, 556 primum restituendum est, quod etiam codex R (Parisinus, in hoc opere princeps) habet, *fassus pudor*, hoc est, culpam confiteri coactus, pro quo Merkelius

---

epistola (XVII, apud Merk. XVI) v. 100 sic verba interpungi voluisse:

Quam multos credis iuvenes optare, quod optas?
Qui sapiant, oculos, an Paris unus habes?

Quas præterea Lachmannus a. 1848 de epistolis 3, 8, 9, 12, 13, 14 movit dubitationes, eæ infirmissimis nituntur argumentis, a falso initio profectæ, quod omnes, quas Ovidius edidisset epistolas, nominatim ab eo Amor. II, 18, 21 sqq. appellatas putat.

[redacted]

læsus posuit, quæ in illo codice scriptura annotatur tantum. Sed *victum* os in tali re quid sit, non intelligo, putoque sublato pronuntiandi errore scribendum:

ne fugiat *ficto* fassus ab ore pudor,

hoc est, hactenus ad fallendum composito.

Ibd. II, 609 sqq.:

Condita si non sunt Veneris mysteria cistis,
nec cava vesanis ictibus æra sonant,
attamen inter nos medio versantur in usu,
sed sic, inter nos ut latuisse velint.

Perversissime hæc coniunguntur, quamquam mysteria Veneris cistis non condantur, tamen in medio usu versari, contrariumque est per se Ovidii sententiæ, in medio usu ea versari; inter nos enim versari dicit, verum non medio in usu, sed ita ut lateant inter ipsos nos. Scribendum igitur est:

Haut tamen inter nos medio versantur in usu.

Sed hoc cum ante multos annos annotassem, nunc Iahnii indicio cognosco ab Heusingero præceptum.

Ibd. III, 231:

Aurea quæ pendent ornato signa theatro,
inspice, quam tenuis bractea ligna tegat.

Tegat vitiosum esse constat, quoniam, qui proximus præcedit versus pentameter, in *tegas* cadit. In codice R, qui unus longe ceteros vincit, scribitur *inspice contempnens brattea.* De priore parte nulla dubitatio relinquitur; extremum verbum admodum probabiliter corrigi potest:

Aurea quæ pendent ornato signa theatro,
inspice: *contemnes;* bractea ligna *beat,*

hoc est, divitiarum specie ornat.

(De v. 440 dictum est vol. I p. 114, ubi *Priami* scriptum oportuit, non *Priamei.*)

Ibd. III, 475:

Sed neque te facilem iuveni promitte roganti,
nec tamen eduro, quod petit, ore nega.

Interpolatum hoc; nam codices non solum boni, sed fere

omnes habent: *quod petit ille, nega.* Neque *edurus*, quod Vergilius semel de arbore dixit, huc transferri facile ab Ovidio potuit. Litteræ rectius dividendæ sic:

nec tamen *e duro*, quod petit ille, nega.

E duro pro *dure* Ovidius dixit, ut *e facili* (tria exempla Ovidiana Schellerus habet p. 3673), *ex æquo* (met. III, 145, IV, 62), *ex alto* (am. II, 4, 16), *ex toto* (ex Pont. I, 6, 28). Senecæ exempla, quæ plurima sunt, Valerii Maximi, Taciti, aliorum omitto. De Livio, Ovidii æquali, dixi in præfat. Livii vol. I fasc. 2 p. 18.

Ibd. III, 591 in scriptura optimi codicis verba sic distinguenda sunt:

Dum cadit in laqueos, captus quoque nuper, amator
solum se thalamos speret habere tuos.

Duo temporis momenta notantur, sed vicina: dum capitur amator, atque etiam dum nuper captus est.

Ibd. III, 758 in codicum scriptura una littera mutanda est:

Sive domi præsume dapes, seu desine citra,
quam cupis; *es* (pro et) paulo, quam potes esse, minus.

Imperativus et infinitivus *(es—esse)* apte componuntur.

Remed. amoris 521. E codicis optimi scriptura, quæ hæc est:

Posse pati facile est, ubi sapientia desit,
protinus ex facili gaudia ferre licet,

facillime efficitur verum:

Posse pati facile est, ubi, *si patientia* desit,
protinus ex facili gaudia ferre licet.

Ibd. 565, 566, ubi agitur de cogitatione rerum ingratarum ad expellendum amorem adhibenda, codices et boni et longe plurimi:

Hic male dotata pauper cum coniuge vivit;
uxorem facto credat adesse suo.

[redacted]

Scribendum:

Hic male dotata pauper cum coniuge vivit;
uxorem *facito* credat adesse *suam*.

Facito tu, poeta, præcipiendo.

Ibd. 719 (de scriptis delendis) codices non interpolati:

Omnia pone feros pones invitus (R *invictus*) in ignes
et dic: ardoris sit rogus iste mei,

e quo fit:

Omnia pone *fero* (pones invitus) in *igne*.

Parenthesis prorsus Ovidiano more interposita est.

Venio ad clarissimum Ovidii opus, cui ipse quoque paulo plus quam ceteris (si epistolas heroidum excipio) studii tribui, **metamorphoseon** libros. In iis quales subesse possint in omnibus, etiam optimis, codicibus interpolationes, ostendit protractum illud nostra demum ætate ab Hauptio e grammatici scripto in libro VIII, 237 *limoso... ab elice*, pro quo substitutum erat ad rem absurdissime *ramosa ab ilice*. Quam antiqua sit etiam libera et longe progressa interpolatio, ostendit codicis Laurentiani sec. XI (L apud Merkelium) cum codice Marciano (M) contentio; nam hunc ceteris longe præstare integritate post Heinsium Merkelius intellexit. Codicis L eam partem, quam Keilius non contulerat (a libro IX ad XII, ubi desinit), ipse a. 1869 contuli.

In primo libro nihil coniectura emendavi; itaque tantum annotabo, v. 663 e melioribus codicibus revocandum esse *mœrenti*; prave enim, cum inde a v. 653 Inachi querelæ fuerint, subiicitur de Io *talia mœrentem*. (Nam Inachum Argus submovere non potuit.) Verba autem sic cohærent: Talia mœrenti patri Argus submovet natam ereptamque diversa in pascua abstrahit. Etiam

II, 153 e codicibus scribendum est, rectiore copulatione:

Interea volucres Pyrois et Eous et Æthon.

In editionibus prius *et* omittitur.

II, 774 editur pravissime:

ingemuit (Invidia) vultumque deæ ad suspiria duxit.

E vestigiis optimorum codicum, in quibus est: *vultumque ima ad suspiria duxit*, faciendum videtur:

ingemuit, *vultuque minans* suspiria duxit.

IV, 46:

Derceti, quam versa squamis velantibus artus
stagna Palæstini credunt mutasse figura.

Sic codices fide digni; puto subesse *natasse. Natare freta* Vergilius dixit, *aquas* Iuvenalis (VIII, 265) et Martialis, *aquas, undam natari* Ovidius ipse.

(De IV, 140 dixi vol. I p. 25.)

IV, 259:

Tabuit ex illo dementer amoribus usa
nympharum impatiens et sub Iove nocte dieque
sedit humo nuda, nudis incompta capillis.

Sic codices; nihil est *nympharum impatiens;* scribendum videtur:

nympha, operum impatiens.

IV, 504, 505:

Omnia trita simul, quæ sanguine mixta recenti
coxerat ære cavo, viridi versata cicuta.

Ineptum et ridiculum est, ceteras potionis venenatæ particulas versari cicuta, nimirum quasi trulla. Rectum est *mersata,* cicuta copiose affusa.

V, 1, 2:

Dumque ea Cephenum medio Danaeius heros
agmine commemorat, fremida regalia turba
atria complentur.

Pro voce corrupta interpolator *fremitu (turbæ)* posuit; faciendum erat, ad rem aptissime,

trepida regalia turba
atria complentur.

Cum trepidatione enim et tumultu conveniunt.

VI, 203' Niobæ cultores Latonæ increpantis et omittere sacra cœpta iubentis oratio sic concluditur in codice Marciano, optimorum altero:

[redacted]

Itesati. s propere sacris aurumque capillis
ponite;

Laurentianus habet *itesatis* et (recte) *laurumque.* Hinc effici videtur:

Ite *(sat est)* propere *a* sacris laurumque capillis
ponite.

Neque enim aptum participii ablativum *(abiectis propere sacris)* ad litteras et versum accommodari posse puto.

VI, 233 e codicibus scribendum est:

carbasa *diducit* (pro *deducit*), ne qua levis effluat
aura.

Non agitur de velis contrahendis, sed de iis, ne quid auræ pereat, explicandis et in latera extrahendis.

VI, 488, 489:

Regales epulæ mensis et Bacchus in auro
ponitur; hinc placido dantur sua corpora somno.

Barbarum, ut quod maxime, *sua* pro *eorum,* quod præterea totum abundat. Credo scriptum olim fuisse:

hinc placido dant *turgida* corpora somno,

hoc est, cibo vinoque impleta.

VII, 186 quod in antiquis codicibus scribitur:

Homines volucresque ferasque
solverat alta quies nullo cum murmure sepes
immotæque silent frondes,

id iam in deterioribus codicibus rectissime emendatum est, sed adiecto aliunde versu spurio:

Homines volucresque ferasque
solverat alta quies nullo cum murmure *serpens,*
immotæque silent frondes.

Tacite serpit quies.

VII, 194 sqq.:

Tuque triceps Hecate, quæ cœptis conscia nostris
adiutrixque venis, cantusque artesque magorum,
quæque magos, Tellus, pollentibus instruis herbis.

Ineptissime inter deas his artibus præpositas appel-

lantur cantus artesque magorum; si quis autem, sublato post *magorum* commate, *cantusque artesque* accusativos esse velit et ab *instruis* pendere (quamquam id fieri nullo pacto potest, quia necessario in *quæque* demum ad alterius deæ mentionem transitur), nihil sit cantus magorum instruere herbis, perversiusque, si fieri potest, coniungantur *cantus artesque magorum magosque.* Una littera mutata sententiam restituet et orationem:

quæ cœptis conscia nostris
adiutrixque venis *cantusque artisque* magorum.

VII, 223 (de Medea):

subiectaque Thessala Tempe
despicit et cretis (cod. optimus *cretes*) regionibus
applicat angues.

Recte iam in aliquot codicibus scriptum est:

et *certis* regionibus applicat angues.

Non incerta Medea vagatur, sed eas regiones petit, ubi, quæ opus sint, se reperturam scit[1]).

(De VII, 275 sqq. dictum est vol. I p. 79.)

VII, 509 sqq. (in Æaci oratione Atheniensibus auxilium pollicentis) in bonis codicibus sic scribitur:

Nec dubie vires, quas hæc habet insula, vestras
ducite et omnia quæ rerum (M; L: *et omnis ait rerum*) status iste mearum,
robora non desunt; superat mihi miles et hosti
gratia dis, felix et inexcusabile tempus.

Priora Gronovius vere emendavit:

ducite, et (*o, maneat* rerum status iste mearum!)
robora non desunt;

---

[1]) In multis ex iis locis, quos emendavi, pravas Merkelii coniecturas commemorare poteram; hoc loco quod *Threces regionibus* posuit, quæ sequuntur montium fluviorumque nomina, omnia ad Thessaliam pertinent.

[redacted]

is adiungenda hæc sunt faciliore etiam emendatione:

superat mihi miles, et *hoc est,*
gratia dis, felix et inexcusabile tempus.

ıt copias sibi superesse ait, et tempus hoc opportunum esse t quod nullam excusationem det ferendi auxilii.

VII, 558 (de ægris pestilentia):

Non stratum, non ulla pati velamina possunt,
dura sed in terra ponunt præcordia.

'erverse præcordiorum duritia, quæ nulla erat, commemoatur, omittitur terræ. Manifestum est, poetam posuisse:

dura sed terra ponunt præcordia,

dque addita præpositione corruptum esse; cfr., si opus est, V, 261 *(sedit humo nuda)*, IX, 650 *(dura positis tellure apillis)*.

VII, 612:

indefletæque vagantur
natarum matrumque animæ, iuvenumque senumque.

nusitate et perverse in communi clade feminæ primo loco eparatim nominantur, deinde transitur ad mares. In codicibus est *natorumque*, dein *virumque* (M) aut *utrumque*. Scribendum igitur [quod etiam Heinsio in menten venit]:

natorumque patrumque animæ, iuvenumque senumque.

Masculino genere feminæ comprehenduntur.

VII, 687 in codice Marciano sic scribitur:

Quæ petit, ille refert ceterum narrare pudori est,
qua tulerit mercede,

e qua scriptura, cum *ceterum* versus non ferret, reliquæ interpolando natæ sunt. In illa puto subesse nomen ignotæ Phoco arboris (v. 672) scribendumque:

Quæ petit, ille refert; *cedrum*, narrare pudori est,
qua tulerit mercede.

VII, 741. Codex Marcianus (apud Merkel. p. IV):

Exclamo male fictor adest male fictus adulter,
verus eram coniunx.

Laurentianus: Exclamo mala pectora detego tectus
adulter,

in quo (et ceteris, qui eum sequuntur) hæ litteræ *mala pector- adet* aperte respondent illis *male fictor adest*, sed post has restat *ego*, recte hic servatum, prave repetito *male* in Marciano. Certum est scribi debere:

Exclamo male *victor: Ah, en* ego fictus adulter,
verus eram coniunx,

aptissime notata mala infelicique victoria, aptissime contrarie relatis *fictus* et *verus*. Interiectionem *ah (a)* ante *en* corripuit Ovidius, ut Vergilius *o (Corydon, o Alexi)*. Neque enim aptum est *At*.

VIII, 117. In *exponimur (orbe)*, quod codices boni habent, subesse perfectum, satis ostendit subiectum *ut pateret*. Videtur Ovidius audaci imagine quasi de venditione et emptione dixisse:

expendimus orbem,
terrarum, nobis ut Crete sola pateret.

(De VIII, 640 vid. vol. I p. 68.)

IX, 74 (Hercules de hydra Lernæa):

crescentemque malo domui domitamque reduxi.

Sic optimi codices verbo inepto, cui interpolatores multa substituunt: *redegi*, *revolvi*, *subegi*, *revinxi*, *repressi*, cet. Aususne est Ovidius novo verbo uti *redussi?* ut Cicero *redamare* dixit, alii alia.

IX, 179 (in Herculis ad Iunonem oratione) in codice M sic scribitur (Merkel. p. VII):

vel si miserandus et hosti
hoc est tibi sum, diris cruciatibus ægram
invisamque animam natamque laboribus aufer,

ex quo fieri, acumine Ovidiano restituto, annotaveram:

vel si miserandus et hosti,
hoc est, *si* tibi sum, diris cet.

Nunc scio, hoc omnibus apicibus in codice L exstare. (Quod Merkelius posuit *hoc æstu*, nimis leve per se est *æstus*

[redacted]

nomen de summis cruciatibus Herculis, intolerabileque fit superposito in eodem versu *diris cruciatibus.*)

IX, 413 sqq.:

Tum demum magno petet hos Acheloia supplex
ab Iove Calirrhoe natis infantibus annos,
neve necem sinat esse diu victoris inultam.

Sic recte Merkelius ex bonis codicibus edidit, nisi quod *victoris* retinuit. Nam neque *victor* ultione eget, neque vicit Alcmæon a Phegeo interfectus, neque omnino illo nomine significari potest. Invectum id est manifesta interpolatione ad occultandum hiatum tolerabilem in arsi et in eiusdem longæ vocalis concursu. Et *ultoris* nomen necessarium est non solum ad personam significandam, sed ad acumen efficiendum (*ultoris inultam*), et *diu;* nam celeritas ultionis petebatur; ulcisci patrem poterant filii, etiamsi exspectassent communem adolescendi legem. (Laurentianus hic ut sæpe cum interpolatis facit, qui v. 413 *hoc* habent, tum 415: *addat*, neve necem sinat esse ultoris inultam.)

IX, 728 sqq. (in Iphidis querelis) editur nunc:

Si di mihi parcere vellent,
naturale malum saltem et de more dedissent,

eiecto versu, qui in codicibus interponitur hic:

parcere (al. *perdere*) debuerant si non et perdere vellent,

sententia manifesto vitiosa; nam cui di parcere volunt (nisi sceleratus gravissimam pœnam meruit, quæ mitiore mutatur, cuiusmodi nihil hic significatur), non naturale malum dant, sed nullum. Sed illud *vellent* ortum est ex illo altero versu, qui nullam habuit nisi ab Ovidio nascendi causam adhibitaque correctione apte et cum acumine ponitur:

Si di mihi parcere *nollent* —
parcere debuerant; — si non, et perdere vellent,
naturale malum saltem et de more dedissent.

Interrumpit orationem Iphis, nec tamen plane parenthesin

efficit, sed illi ipsi *debuerant* adiungit de integro condicionem: *si non* (hoc est, quod præcessit: *si nollent*), *et si me perdere vellent*. *Dedissent* iussive dici nihil opus est addi (hätten sie mir wenigstens...geben sollen).[1]).

X, 224:

Ante fores horum stabat Iovis hospitis ara
Lugubris sceleris, quam si quis sanguine tinctam
advena vidisset, mactatos crederet illic
lactantes vitulos, cet.

Admodum inusitate scelus *lugubre* appellatur, nec recte iam hic præcipitur, quod v. demum 228 superioribus præparatum ponitur: *Hospes erat cæsus*. Codices habent omnes, quibus aliquid fidei est, *inlugubris*, mendum ipsi ostendentes. Puto poetam scripsisse:

ara,
ignarus sceleris quam si quis sanguine tinctam
advena vidisset, mactatos crederet, cet.

(*Sceletis* Merkelii, si non typotheta erravit, nihil potest esse pravius)[2]).

X, 467:

Forsitan ætatis quoque nomine „filia" dixit,
dicat et illa „pater", sceleri ne nomina desint.

Manifestum est, in eadem prorsus sententia rhetoricum quoque orationis artificium eandem verbi formam postulare; itaque, quoniam *dicat* h. l. pro *dixit* substitutum esse pror-

---

1) Si usquam ex solo L coniecturam ducere auderem, ex eo, quod IX, 779 in eo scribitur:

quod videt hæc lucem, thalamo quod non ego ponor,

efficerem ad sententiam aptissime:

quod videt hæc lucem, thalamo quod non ego *pellor*,

h. e. non repudiata sum a marito.

2) V. 115 quid subsit sub *ætate*, reperire non potui. Si in M esset, quod ex uno Mediceo annotatur, *in core*, teneremus *parilique decore*.

[redacted]

sus improbabile est, scribendum cum „castigatioribus“ Heinsii (et L) utrobique *dicat*.

XI, 135 quod ipse conieceram:

restituit, *pactique* fide data munera solvit,

in uno aut altero codice novitio præceptum corrigendo video. *Facti* nihil est; sed munera perniciosa Bacchus dederat, ut pacti fidem servaret, nunc idem solvit. Heinsius inutiliter plus tentavit nec recte; nam de fide solvenda h. l. non agitur.

XI, 291 sqq.:

Forsitan hanc volucrem, rapto quæ vivit et omnes
terret aves, semper pennas habuisse putetis.
Vir fuit et tanta est animi constantia, quantum
acer erat belloque ferox ad vimque paratus.

Vitiatum esse versum 293, in quo alii codices (L) *tantum* habent, et oratio et sententia tam manifesto declarat, ut Merkelius Heinsii desperationem secutus obelum apposuerit. Nihil tamen certius faciliusve emendatu:

Vir fuit, et (tanta est animi constantia) *iam tum*
acer erat belloque ferox cet.

Quem nunc habet volucris animum, habuit vir; tanta est animi ingeniique constantia. Forma hæc epiphonematis parenthesi interpositi apud Ovidium frequens est; vid. IX, 630, ubi mirifice Merkelius orationem interpungendo perdidit, X, 573, XIV, 285. *Iam tum* in *tantum* transiit in multis codicibus XIII, 921 et alibi sæpe, ut apud Quintilianum in procemio libri VI, 7, ubi scribi debet emendatione certissima: *quam substantiam placidæ et, quamquam* (pro *quam*) *scio vix posse credi, iam tum altæ mentis ostenderit*[1]).

---

[1]) V. 328 in codicis optimi scriptura una littera mutanda est:

Quam miser amplexans ego tum *patruique* (pro *patruoque*) dolorem
corde tuli fratrique pio solatia dixi.

Patruo ob *fratri* natum est. Ex *ego tum* facere *pariter* cuius est pravitatis! [*Patruique* codices quinque Heinsii.]

XI, 393 in codicibus scribitur:

Erat ardua turris,
arce locus summa, fessis loca grata carinis.

Corruptum esse *locus* consentitur; sed turris alta et arx, ad quam adscenditur (394), non est locus gratus (nedum loca grata) carinis. Describi pharum iam alii intellexerunt. Eius significatio facillime eruitur primum in *locus*, deinde in *loca*, priore loco reperta iam ab aliis:

Erat ardua turris,
arce *focus* summa, fessis *nota* grata carinis.

(Cum a. 1869 in bibliotheca Laurentiana codicem cum exemplo Tauchnitziano a. 1868 conferrem nec ullum præterea librum adhiberem, annotavi v. 618 pro *sacra* scribendum esse *atra;* redux id Heinsio iam in mentem venisse vidi. *Sacra* domus somni cur appelletur, nulla causa est; aptissime *atra* domus subito vestis fulgore reluxisse dicitur. V. 714 adolescentulus annotaveram legendum esse:

dumque notata locis reminiscitur acta,

ita ut exemplis tribus universæ rei significatio superadderetur, adscripseramque confirmationis causa (quoniam philologi testimoniis utimur in rebus, quas natura ipsa et communis sensus docet) Quintiliani verba XI, 2, 17: *cum in loca aliqua post tempus reversi sumus, ... etiam, quæ in his fecerimus, reminiscimur personæque subeunt* cet. Neque nunc aliter sentio; sed in codicibus aliquot emendationem præceptam video.)

XII, 23:

Ille, ut erat, virides amplexus in arbore ramos
fit lapis et servat serpentis imagine saxum.

Ridicule serpens ipse mutatus sui imagine saxum servare dicitur, cum hoc significetur, saxum servare imaginem serpentis (aut serpentem in saxo sui imaginem servare). Sed ne *superat* quidem, quod nuper coniectura substitutum est, satis aptum est; nam *imagine serpentis saxum superare* videtur esse perfectiorem imaginem serpentis reddere,

[redacted]

quam saxum reddat, non, quod requiritur, efficere, ut imago per saxum emineat. Nihil propius effici posse videtur quam hoc:

et *signat* serpentis imagine saxum.

XIII, 329 sqq.:

Dure Philoctete, licet exsecrere meumque
devoveas sine fine caput, cupiasque dolenti
me tibi forte dari nostrumque haurire cruorem,
utque tui mihi, sic fiat tibi copia nostri,
te tamen aggrediar mecumque reducere nitar,
tamque tuis potiar, faveat fortuna, sagittis
quam sum Dardanio, quem cepi, vate potitus.

Versus 333 (*Te tamen* cet.), qui in codice optimo et eo loco, quo posuimus, et ita scriptus legitur, apparet, quod aliqua ex parte iam Gierigius suspicatus est, in eo codice, ex quo interpolati originem trahunt, posteriorem partem legi non potuisse varieque esse suppletam, cum verum initium retineretur; in aliquot tamen codicibus id quoque, quod reliqua desiderarentur, omissum esse; est autem prorsus necessarius; nam illa *tamque tuis potiar* ostendunt, præcedere iam aliam, quid facturus sit Ulixes, significationem futuro tempore conceptam post illam permissionem, quæ in *licet* (329) cœpta finitur in *fiat* (332). Sed in v. 332 minus recte tamquam æqualia comparari videntur et simul permitti, quæ æqualia non sunt, quoniam alterum (*utque tui mihi*) non permittitur, sed ab Ulixe expetitur; neque recte post illa *utque tui mihi* subiungitur *tamen*, aut inter *licet* .... *tamen* interponitur alia permittendi forma per particulam *que* (*licet* .... *utque* .... *sic* .... *fiat*). Itaque suspicor, hunc versum sic scriptum ab Ovidio interpositum esse (*παρεντεθῆναι*):

(utque tui mihi *sit*, fiat tibi copia nostri),

hoc est: et sane fiat tibi copia nostri ea condicione, ut mihi tui sit. [Sic unus cod. Heinsii.]

XIII, 692 (de effictis cælando Orionis Thebani filia-

bus, quæ se ad patriam ex oraculo peste liberandam telæ instrumentis interemerant) sic scribendum est proxime ad codicem M:

Ecce facit (Alcon) mediis natas Orione Thebis,
agmen (cett. codd. et edd. *hanc non*) femineum, iugulo dare vulnus aperto;
illas (cett. codd. et edd. *illam*) demisso per *inerti* (cod. M *inertia*, cet. *fortia*) vulnera telo
pro populo cecidisse suo pulchrisque per urbem
funeribus ferri celebrique in parte cremari,
tum de virginea geminos exire favilla,
ne genus intereat, iuvenes, cet.

Primum artifex expresserat Orionis filias se ipsas interimentes; deinde alia imagine finxerat, illas interfectas iam (*cecidisse*, ad cuius verbi tempus editores non attenderunt) sepeliri, et simul iuvenes e favilla surgere. *Iners* autem *telum* per vulnera demiserant, radium textorium (*τὴν κερκίδα*, Anton. Liber. 25). *Agmen femineum* de duabus simul Ovidius dixit Vergilii exemplo Æn. II, 212, quem locum soli recte enarrant, qui de coniunctis serpentibus certa via incedentibus accipiunt.

XIII, 794, ubi Cyclops Galateæ laudes comparatione multiplici extollit, hæc quoque ponitur:

nobilior forma, platano conspectior alta.

Prorsus perverse inter medias pulchritudinis et venustatis laudes interponitur hæc nescio quæ nobilitas, pro qua certum est Ovidium, una littera aliter scripta, mobilitatem commemorasse; cum *forma* quidem comparationem, quæcumque sit laus, ineptam esse omnes consentiunt; sed in nobilitate difficile erat, quid ad comparandum adsumeretur, reperire; (quamquam raræ est et omnia superantis pravitatis *fordam* bovem in nobilitatis comparatione ponere, etiam *fordam* solum pro substantivo). Reperto in altera voce vero scribendum videtur:

Mobilior dama.

[redacted]

XIV, 55 sqq.:

Hunc (gurgitem) dea prævitiat portentificisque venenis
inquinat; hic pressos latices radice nocenti
spargit, cet.

Codex M *hic fusis latices* (Merkel. p. XIII), cuius scripturæ etiam in aliis codicibus vestigia sunt. Efficitur:

portentificisque venenis
inquinat *effusis;* latices radice nocenti
spargit, et obscurum cet.

XIV, 739, 740 (de Iphide, qui se laqueo ab interiore parte ianuæ religato suspendit):

Icta pedum motu trepidantum et multa gementem
visa dedisse sonum est adapertaque ianua factum
prodidit.

Sic fere codices (quorum quidem optimus, omissis errore duobus hemistichiis, habet tantum *icta pedum motu est adoperta ianua factum)*, nisi quod nonnulli *trepidantem*, alii *et morte timentem.* In *multa* tenetur frequens error, quo sublato efficitur cum arguto lusu et Ovidiano:

Icta pedum motu trepidantum *muta* gementem
visa dedisse sonum est adapertaque ianua factum
prodidit.

(Nihil est *trepidantum morte;* poterat ferri *in morte.*)

XV, 153 sqq. (in Pythagoræ oratione):

O genus attonitum gelidæ formidine mortis,
quid Styga, quid tenebras et nomina vana timetis,
materiem vatum falsique pericula mundi.

Quæ, quæso, hæc sunt mundi pericula, quæ Pythagoras, qui omnia de inferis inanissime ficta docet esse, tamen et esse docet et timeri vetat? Et quo *falsi* mundi appellatio pertinet? Terrores illi sunt hominum falsa opinione fidem iis adhibentium. Ovidius scripserat:

materiem vatum, *falsi terricula* mundi.

Rarior vox, quæ e poetis testem habet Accium, ex Ovidii

æqualibus Livium, cessit pervagatæ, additumque est ad versum fulciendum *que*. Iam *falsus* est *deceptus* vana specie, quo significatu posuit Terentius Eun. II, 2, 43 (274)[1]).

XV, 270, 271:

Hic fontes natura novos emisit, at illic
clausit, et antiquis tam multa tremoribus orbis
flumina prosiliunt aut excæcata residunt.

Scribendum esse *antiqui* Batavus aliquis superioris sæculi intellexit; nam orbis vetustas est et sæcula, non tremorum; recta omnia erunt, una præterea littera mutata:

et *antiqui iam* multa tremoribus orbis
flumina prosiliunt aut excæcata residunt.

Inter se referuntur *antiqui* et *iam* (nunc). (V. 322 vulgare mendum codicibus aliquot præeuntibus tollendum, ut scribatur:

Clitorio quicumque sitim de fonte *levavit*,
vina fugit gaudetque meris abstemius undis,

non *levarit*.)

XV, 364:

I quoque, deiectos (all. codd. *delectos*) mactatos obrue tauros;
cognita res usu: de putri viscere passim
Florilegæ nascentur apes.

Recte a pluribus intellectum est, non solum prave

---

[1]) Vereor, ne, si uno in loco errorem nuper commissum sine nova emendatione corrigam, infinita, quæ prætermitto, probare aut mediocriter improbare videar. Non possum tamen tacere, quam admirer, in facillima re in huius libri v. 73 pro *arcuit*, quod ab Heinsio restitutum ceteri tenuerant, revocatum esse *arguit*, ut dicatur Pythagoras primus insimulasse, ab hominibus animalia mensis imponi. Et tamen XII, 427 iidem scribunt: *quas clamor ad aures arcuit ire meas.* Apud Tacitum etiam ann. III, 72 non deerit, qui *arguerat* pro *arcuerat* a Lipsio posito revocet, alia promendi ingenii materia deficiente.

[redacted]

hæc iuxta sine copula poni *deiectos mactatos*, sed neque deiectos neque delectos boves recte h. l. appellari, tum autem *quoque* adverbium alienissimum esse; neque enim eundi verbum alteri præcedenti adiungitur. Quid res et sententia postularet, iidem viderunt; in participio exquirendo dissentiunt; mihi non spernendum videtur, quod codicum vestigiis monstratur:

I, scrobe *deiecto* mactatos obrue tauros.

Nam scrobem *deiicere* pro eo, quod est alte defodere, non improbabile facit locorum *deiectorum* apud Cæsarem appellatio et apud eundem substantivi *deiectus* similis usus.

XV, 838, 839 (de Augusto):

Nec nisi cum senior similes æquaverit annos
ætherias sedes cognataque sidera tanget.

Hærent merito in *similes* et *æquaverit*, quæ nihil habent, quo referantur; id ibi latere manifestum est, ubi scribitur *senior*, quo comparativo nihil perversius fingi potest in longissimæ vitæ summæque senectutis augurio. Sed ut Pylii senis anni adulatoriæ exaggerationi sufficiant (quod non faciunt, nec omnino quicquam humanæ comparationis), a litteris longissime recedit *Pylio*. Artificiosius adulatus Ovidius est; scripsit enim sic:

Nec nisi cum *imperio* similes æquaverit annos,

hoc est, magnitudini aucti a se imperii similem annorum numerum æquaverit. Ac propter hoc ipsum, quod proprie imperii mensura et annorum numerus conferri nequeunt, non dixit simpliciter *æquaverit annos*, sed *similes* (non minus immensos).

Minus sibi quam metamorphoses vindicasse studii et operæ poemata ab Ovidio in exilio scripta, nemo mirabitur. Legi tamen non incuriose annotavique quædam, quæ iterum pensitata probataque expromam. In tristium libris et multa de codicibus incerta sunt, et eius, qui ceteros antiquitate superat, exiguæ particulæ collatæ sunt (Florentini, olim

Marciani, nunc Laurentiani sæc. X aut XI; vid. Merkel. præf. vol. 3 operum Ovidii).

Trist. I, 1, 111, 112:

Tres procul obscura latitantes parte videbis;
hi quoque, quod nemo nescit, amare docent.

Hæretur iure in *hi quoque*, quoniam nullos alios eiusdem generis libros ante poeta nominavit; sed coniecturæ infelices fuerunt, perinfelix Merkelii, qui miram excogitavit ellipticam orationis figuram *si quoque*. Scribendum est:

Sic quoque (etsi obscura parte latent)....amare docent.

Ibd. I, 3, 99:

et voluisse mori, moriendo ponere sensus.

Hoc verum et elegans esse Merkelius affirmat; ego neque quid hac geminatione (*mori*, *moriendo p. s.*) efficiatur, video, neque usitate dici puto, nulla re adiecta, *ponere sensus*. Itaque Ovidium scripsisse opinor:

et voluisse *mali* moriendo ponere sensus.

Ibd. I, 5, 1 annotaveram, usum loquendi videri postulare:

O mihi post *nullos umquam* memorande sodales

pro eo, quod editur *ullos numquam*, quoniam, ut dixi in præfat. Livii vol. I, I p. 22, *quisquam* et *ullus* negationi non præponuntur; postea vidi ita in codicibus aliquot esse. (Apud Ciceronem de orat. II, 229 prave nuper editum est: *artem esse facetiarum*, *Iule*, *ullam negares* pro eo, quod recte ante scribebatur: *facetiarum*, *Iule*, *negares*.)

Ibd. I, 5, 23:

Si non Euryalus Rutulos cecidisset in hostes,
Hyrtacidæ Nisi gloria nulla foret.

Cadere in hostem neque sic dicitur, ut sit *incidere*, neque ut *pugnantem contra hostem cadere*. Scribi videtur debere:

Rutulo cecidisset in *hoste*,

hoc est, a Rutulo hoste circumventus.

Ibd. 1, 10, 1 et 2 verba sic interpungenda sunt:

Est mihi sitque, precor, flavæ tutela Minervæ,
navis et a picta casside nomen habet.

Ibd. II, 79, 80. Recte Merkelius in priore tristium editione scribendum coniecerat:

Ah, ferus et nobis nimium crudeliter hostis,
delicias legit qui tibi cumque meas,
carmina *de* (pro *ne*) nostris quum te venerantia libris
Iudicio possent candidiore legi,

nisi quod *indicio possint* retinuit. Candor iudicii est, non indicii.

Ibd. II, 275 sqq.

Sic igitur carmen, recta si mente legatur,
constabit nulli posse nocere meum;
at quoddam vitium quicumque hinc concipit, errat
et nimium scriptis arrogat ille meis.

Sic meliores codices (non *vitii*), nisi quod pro *arrogat* (tribuit, nimiam illa potestatem habere putat) vulgari errore *abrogat* habent. Non agitur de vitio concipiendo, sed de iudicio eius, qui vitium ex Ovidii libris originem habere putat, scribendumque est ad hanc formam:

atque *ortum* vitium quicunque hinc concipit, errat.

Paulo post v. 285 necessario scribendum, ut est in uno et altero codice:

Cum quædam spatientur in *hoc* (pro *hac*), ut amator eodem
conveniat, quare porticus ulla patet?

hoc est, eo consilio. (Handii Tursell. III, 321.)

Ibd. II, 542:

Carminaque edideram, cum te delicta notantem
præterii totiens irrequietus eques.

In apertissima sententia, Ovidii carmina edita iam tum fuisse, cum sine ulla nota in recognitione equitum dimitteretur ab Augusto, nihil dico de *præteriit*, quod fortasse errore in Merkelii posteriorem editionem irrepsit. Sed *irrequietus* mendi manifestum est, nec multo melius, quod

Heinsius substitui voluit, *iure quietus*; nam neque quietis nomen animi ex bona conscientia securitati significandæ aptum est, nec *iure* recte additur. Scribendum opinor:

praeterii totiens *irrevocatus* eques.

Revocatur enim et retinetur, ceteris prætereuntibus, in quo aliquid reprehenditur ac notatur.

Ibd. III, 3, 21:

Si iam deficiam suppressaque lingua palato
vix instillato restituenda mero,
nuntiet huc aliquis dominam venisse, resurgam.

Corrupta hæc esse iam Heinsius et Burmannus intellexerunt. Nam et post *suppressaque* verbum deest, nec *lingua suppressa palato* quæ sit, dici potest, nec apta omnino palati mentio in voce amissa redituraque. Venam (hoc est, ut nos loquimur, pulsum) deficientem vino instillato revocari solitam videmus ex Pont I, 3, 10 (cfr. Senec. de benef, III, 9, 2, epist. 95, 22). Scripsit igitur sine dubio Ovidius:

Si iam deficiam suppressaque *vena paletur*,
vix instillato restituenda mero, cet.

Nam venæ non solum deficere et *cadere* dicuntur (apud Senecam l. c. et Celsum), sed etiam *fugere* (ex Pont. III, 1, 69), quod hoc loco *palari* Ovidius appellavit, nisi *vagetur* scripsit.

Ibd. III, 5, 1 sqq.:

Usus amicitiæ tecum mihi parvus, ut illam
non ægre posses dissimulare, fuit,
ni me complexus vinclis propioribus esses
nave mea vento, forsan, eunte suo.

Et totam condicio sententiam pervertit (quid est enim hoc, exiguam fuisse amicitiam et dissimulari potuisse, nisi arctior fuisset?) et pravior ipsa fit, adiecta mentione bonæ fortunæ et *forsan*. Una littera mutata, una addita renascetur, quod Ovidius scripserat:

Nec me complexus vinclis propioribus esses
nave mea vento, forsan, eunte suo.

[redacted]

Fortasse ne futurum quidem fuisse dicit, ut is, ad quem scribit, se propioribus vinclis complecteretur, si bona fortuna perpetuo usus esset; ipsum suum casum optimo homini initium fuisse arctioris amicitiæ.

Ibd. III, 10, 9 sqq.

At cum tristis hiems squalentia protulit ora
terraque marmoreo candida facta gelu est,
dum vetat et boreas et nix habitare sub arcto,
tum liquet, has gentes axe tremente premi.

Versum 11 corruptum esse consentitur, in quo *vetat* coniectura Merkelii editur, sententia minime recta, quæ hæc efficitur, dum ob boream et nivem habitari sub arcto non possit, tum liquere gentes, quæ ibi habitent (!), axe tremente premi. Codicum scriptura non satis certo tenetur; videtur tamen in plerisque fuisse *dum patet*, deinde *habitare*, quod in uno erasum videtur, supra scripto *iniecta*. Si *habitare* antiqua scriptura est, sententiæ forma hæc fuit:

dum *volat* et boreas et nix, habitare sub arcto
tum liquet has gentes, axe tremente premi.

Ibd. V, 8, 29 et 30 (de Augusto):

Exemploque deum, quibus accessurus et ipse est,
cum pœnæ venia plura roganda petam.

Sic fere codices, etsi et in *roganda* leviter variatur, et pro *petam* unus et alter *putat* habere traditur. Coniecturæ infelices fuerunt; quid est enim, ut hoc exemplo utar, Augustum *cum pœnæ venia plura rogare daturum* (*rogare dabit*)? Ac tamen initium emendationis et fundamentum facile est repertu ac certum, Augustum, ut deos, non solum pœnæ imponendæ sed etiam veniæ dandæ ius nosse et habere. Itaque Ovidius aut sic scripsit:

cum pœnæ *veniæ iura rogata putat*,

hoc est, cum pœnæ iure (iuribus) etiam veniæ iura lege constituta et sibi data, aut proxime, *veniæ iura* quidem certe.

Ibd. V, 10, 9 sqq. Postquam poeta dixit, numquam sibi aut noctes breves aut dies fieri ad levandam et con-

Ibd. I, 9, 45 et 46:

Hoc est, quod possim Geticis tibi mittere ab arvis,
Hoc solum est, istic quod liquet esse meum.

Non quæritur, quid certum sit Ovidii esse, sed quid solum Ovidii Romæ esse possit, cum ipsi ibi esse non liceat. Codices *licet.* Egregie igitur Siesbyeus meus:

Hoc solum est, istic *quoi* licet esse, meum,

usus eo genere corrigendi, de quo dixi vol. I. p. 68.

Ibd. II, 3, 15 et 16:

Nec nisi quod prodest, carum est et, detrahe menti
spem fructus avidæ, nemo petendus erit.

Neque *petere* pro *colere*, *appetere* recte dicitur et, si diceretur, debebat esse: *nemo petetur.* Opinor fuisse:

nemo *verendus* erit.

Nam id pro adiectivo ponitur (*venerabilis*).

Ibd. II, 5, 67, ubi Ovidius se poetam, Salanum (?) oratorem non eodem divini afflatus instrumento tactos esse, sed tamen utrique calorem inesse debere dicit, sic in codice Sarraviano scribitur (vid. Merkel. præf. p. V):

Thyrsus sublestate, gustata est laurea nobis,
sed tamen ambobus debet inesse calor.

in Combiano autem, Heinsio teste: *Thyrsus ubi est a te.* Recte Burmannus, qui inanissimis de causis distichon eiicere volebat, intellexit tamen, lauream ad oratores pertinere, thyrsum ad poetas, itaque scribendum esse:

gustata est laurea *vobis*,

(etsi is cum vulgaribus codicibus *gestata* legebat); ita in priore parte versus duo manifesto tenentur: *thyrsus...me*; superest, ut inveniatur verbum duarum syllabarum (nam trium, quarum ultima littera *t* terminetur, versus non recipit, nisi quod a vocali brevi incipiat), quod thyrsi vim significet, accusativum regens. Mihi unum in mentem venit:

Thyrsus *pulsat me*, gustata est laurea vobis.

Quod paulo post legitur v. 73 sqq., ubi Ovidius et Salano (?) perpetuam Germanici amicitiam et præterea

[redacted]

aliquid ipsi Germanico vovet, quid hæc verba significent:

succedatque tuis orbis moderator habenis,

neque ab aliis expositum video neque ipse intelligo; quamquàm hoc non prorsus vere dico; significant enim Germanicum in moderando orbe (in quo habenas teneat) succedere habenis, quas antea Salanus tenuerit, quod ridiculum est. Sed salvam rem præstat codex Sarravianus, in quo Heinsius *moderatus* scribi annotat (et *suis*, quo non utor). Precatur igitur Ovidius, ut habenis, quibus Germanicus nunc Salanum amicum teneat et regat, succedat olim orbis ab eo moderatus, hoc est, regimen orbis terrarum.

Ibd. II, 6, 23:

Turpe sequi casum et fortunæ cedere amicum
et, nisi sit felix, esse negare suum.

Cedere cum accusativo rei coniunctum paucissimis et incertissimæ fidei testimoniis defenditur (positis in littera *m*, ut *victoriam* apud Velleium Pat. II, 85, *possessionem*) nec bonam h. l. habet sententiam, quasi de usu ac possessione agatur. Codex Sarravianus et duo alii *fortunæ accedere;* sed *amicum*, postposito et in alterum versum reiecto *et*, ad sequentia trahere non licet. Fuitne:

fortunæ *addicere* amicum?

Ibd. III, 1, 152:

Plura quidem subeunt; sed s'turbata timore
hæc quoque vix poteris voce tremente loqui.
Suspicor hoc damno fore non tibi; sentiet illa
te maiestatem pertimuisse suam.

Sic Sarravianus, ex quo Merkelius *disturbata*, quod de unius hominis perturbatione non dicitur; ceteri fere: *sed sunt turbata.* Scribendum videtur:

sed *si* turbata timore
hæc quoque vix poteris ore tremente loqui,
suspicor hoc, cet.

III, 9, 25:

Hæc animum lento curarum frigore lædit.

Sic Merkelius, ut opinor, e coniectura. Verum *hæc,* quo referatur, omnino non habet. Sed etiam in codicum, quam ceteri tenent, scriptura *Sic animum* subiectum deest. *Curarum frigus* iam Burmanno displicebat. Scribendum videtur:

Hæc animum lento *cura acrem* frigore lædit,
ut cupidi cursor frena retentat equi.

Ibd. IV, 2, 17:

Scilicet ut limus venas excæcat in undis,
læsaque suppresso fonte resistit aqua,
pectora sic mea sunt limo vitiata malorum,
et carmen vena pauperiore fluit.

Nescio quas undas significari putaverint editores; agitur enim de venis fontis, quæ non sunt in undis. Scribendum est:

Scilicet ut limus venas excæcat *inundans.*

Ibd. IV, 10, 75 et 76 e codicibus scribendum est:

Qui quamquam est factis ingens et conditur a te,
Vir *tantus* quanto debuit ore cani.

Ibd. IV, 16, 31 sqq. in enumeratione poetarum brevique operum cuiusque significatione hæc leguntur:

Cum Varus Gracchusque darent fera dicta tyrannis,
Callimachi Proculus molle teneret iter,
Tityrus antiquas et erat qui pasceret herbas,
aptaque venanti Gratius arma daret.

Hæc se Heinsius non intelligere confessus est. Nam neque quid sit *antiquas herbas pascere*, quisquam dixerit, neque qui ferri inter coniunctivos (*darent*, *tenerent*, *daret*) possit *erat* (ne quid dicam de hac ipsa circumlocutione *et erat Tityrus*, *qui*). Sed omnia prava exsuperat Tityrus e Græci nominis pastore Vergiliano in Latinum conversus poetam. Ovidius ceteros poetas singulos singulis versibus absolvit, Gratio, ut supra Largo (17 et 18) et Varroni Atacino, cuius nomen pressit (21 et 22), duos dedit, eo magis, quod duo carminum genera tractaverat, Bucolica et Cynegetica:

[redacted]

Tityrus antiquas *capras ubi* pasceret, herbas
aptaque venanti Gratius arma daret,

hoc est: et cum Gratius daret herbas, ubi Tityrus pasceret antiquas (iam apud Vergilium cantatas) capras, et arma venanti apta.

In fastorum libris, in quibus, extremis maxime, quædam Ovidius ipse minus eleganter et perspicue scripta reliquisse videtur, in lubrico scripturæ fundamento pauca se obtulerunt, in quibus aliquid efficere nova emendatione mihi viderer. Quæ alios occupasse video (ut III, 716 Heinsium *partus*, V, 158 Gierigium *suum*), hic quoque tollo.

Lib. I, 231 (ubi Ianus causam reddit, cur in altera nummorum parte forma biceps sit):

Noscere me duplici posses ut imagine, dixit,
ni vetus ipsa dies extenuasset opus.

Neque per se consilii significatio (*ut*) ferri potest neque cum adiecta condicionis significatione conciliari. Sed *in*, quod in aliquot codicibus substituitur, vix in *ut* transisset. Scribendum videtur, geminata *s* littera,

posses *sub* imagine.

Ibd. 541, 542:

Nec mora longa fuit; stabant nova tecta, neque alter
montibus Ausoniis Arcade maior erat.

Parum recte universa Italia eiusque gentes montium appellatione significantur; opinor Ovidium scripsisse:

mentibus Ausoniis,

hoc est, apud animos Ausonum et eorum iudicio atque æstimatione.

II, 282 flamen Dialis *fuisse* (præterito etiam tempore) *ad* sola sacra Panis perinepte dicitur. Sed *erat* repetitum e v. 280 apparet, eique in quibusdam codicibus substitutum *erit*. Excidit igitur verbum ab Ovidio positum, nec facile reperiri, quod etiam versui satisfaciat, potest nisi unum:

Inde deum colimus, devectaque sacra Pelasgis
Flamen *adhuc* prisco more Dialis *obit.*

III, 124:

Seu quia bis quino femina mense parit.

Non magis hoc ferendum puto quam *deno mense* pro *decimo*, reponendumque *bis quinto*, ut VI, 768 scribitur:

Quartus ab extremo mense bis ille dies.

Ibd. 208 (in Sabinæ apud reliquas Sabinas Romanis nuptas verbis):

Non ultra lente possumus esse piæ.

Neque *lente pius* recte dicitur, neque, si diceretur, hoc negandum Sabinæ esset, posse se pietatem lente exercere, sed hoc, posse se sine impietate lentas esse, lento et patienti animo bellum patrum et maritorum spectare. Scripserat poeta:

Non ultra *lentæ* possumus esse *pie.*

Ibd. 451:

Creditur hic (Pegasus) cæsæ gravida cervice Medusæ
Sanguine respersis prosiluisse iubis.

Ridicule cervix gravida dicitur, non Medusa, prave Medusa cæsa, non cervix. Scribendum:

cæsa gravidæ cervice Medusæ.

Ibd. 500 (in Ariadnæ querelis):

Ceperunt matrem formosi cornua tauri,
me tua. et hic lædit, ille pudendus amor.

Sic Merkelius edidit cum obelo, versu vitioso (in verbo *lædit*), sententia prava (dicendum enim erat *et hic*...*et ille*, et eiusdem generis dicuntur esse amores, quos separare Ariadne velle debet), contra indicium codicum, in quorum optimo est *me uiat et lædit*, in ceteris hinc *me iuvat et lædit.* Longius tamen abit, quod Heinsius commendavit: *me tua. At hic laudi est, ille p. a.* Multo lenius est:

me *tua. Te lædis;* ille p. a.,

hoc est: Iniuriam tibi ipse facis, cum meum amorem cum pudendo illo comparas et spernis. Non animadversa

[redacted]

sententiarum separatione ad *ille p. amor* accommodatum est *lædit*.

IV, 236 (de Atti furente et furias se videre putanti):

Et modo „Tolle faces“, „Remove“, modo, „verbera“, clamat;
sæpe Palæstinas iurat adesse deas.

Palæstinæ deæ quæ sint et quid ad hanc rem pertineant, omnes ignorant; nam quod Palæsten, Epiri oppidum, Marsus commemorat, nihil quisquam de furiis ibi cultis inaudivit. Nihil dico de miro Merkelii commento, qui ex Melete fluvio *Meletinas* deas nescio quas aut cuiusmodi effinxit. Scilicet ludit nos inanis nominis proprii species, conflatis duabus vocibus orta, cum olim fuisset:

sæpe *palam trinas* iurat adesse deas.

Attis modo facibus tantum et verberibus se incessi clamabat, non addens, a quibus, modo palam trinas deas sibi instare. Debuit hic locus poni vol. I p. 152; sed postea hæc emendatio a me reperta est.

V, 230:

Iuppiter hoc ut adhuc nesciat, usque precor.

Adhuc nescire non est porro et posthac etiam nescire. Rectam sententiam verba sic interpuncta habebunt:

Iuppiter hoc, ut adhuc, nesciat usque, precor.

VI, 317:

Inde focum servat pistor dominamque focorum.

Non agitur de foco et Vesta servanda, hoc est, de assidua ad focum commoratione, sed de honore et cultu. Itaque scribi debet:

Inde focum *observat* pistor dominamque focorum.

Paulo etiam ante, v. 313 (307), vereor, ne mendum sit. Neque enim ad rem pertinere videtur, olim sola farra furnis torreri solita (neque aliud ullum frumenti genus), sed farra solida nec molendo comminuta. Itaque opinor scriptum fuisse:

Tota (*Solda?*) prius furnis torrebant farra coloni.

Ibd. 345 sqq.:

Lampsacos hoc animal solita est mactare Priapo:
apta asini flammis indicis exta damus.
Quem tu, diva, memor de pane monilibus ornas.

Perversum adeo, qualia nunc cetera sunt, illud *damus*, quod de Romanis intelligi necesse est (etsi manifestum est; in *quem tu* orationem converti a Lampsacenis, suo deo asinum indicem, qui eius consilia perturbarit, mactantibus, ad honorem, qui eidem animali Vestæ causa habeatur), ut Heinsius totum distichon tolli voluerit, quod si fit, *quem* ad Priapum (v. 344 *ille*) referre cogimur; neque enim prorsus superioribus ignotum erat hoc delendi, quæ expediri nequirent, remedium. Pro *apta* codex E (Bavaricus), in hac parte inter minime malos, a prima manu *apata*. Scripserat Ovidius:

Lampsacos hoc animal solita est mactare Priapo,
fata: Asini flammis indicis exta damus.

Iam Lampsacenorum hæc sunt verba, sui sacrificii rationem reddentium. (Paulo ante v. 341 vellem scriberetur:

Ibat, ut *institerat*, longi deus Hellesponti.

Nam incipiendi consilium inepte significatur.)

Ibd. 395, 396:

Forte revertebar festis Vestalibus illa,
qua nova Romano nunc via iuncta foro est.

Ipsa nova via Ovidius revertebatur:

Forte revertebar festis Vestalibus illa,
quæ nova Romano nunc via iuncta foro est,

hoc est „illa via, quæ“, substantivo in sententiam relativam subsequentem reiecto. (Horat. epod. 2, 37: *malarum, quas amor curas habet, obliviscitur.* Vel Livius XXI, 29, 6: *cum eo, qui primus se obtulisset Romanus exercitus,* ubi alia similia annotata sunt.)

Ibd. 433, 434:

Seu genus Adrasti, seu furtis aptus Ulixes,
seu pius Æneas eripuisse datur.

[redacted]

Neque *eripuisse datur* pro *traditur* Ovidius dixit, neque (de quo omnes tacent) sic *seu—seu* in nominibus diiungendis dicitur (*seu Adrastus seu Æneas hoc fecit*, pro eo, quod est: *Aut A. aut Æn.*). Restituendum est igitur, quod in omnibus præter unum vulgarem codicibus est, oratione sic interpuncta:

Seu genus Adrasti, seu furtis aptus Ulixes
seu pius Æneas, eripuisse ferunt,

ut ad *seu—seu* audiatur *eripuit*.

Ibd. 557:

Ipsa quidem fecisse negat, sed fama recepit;
hoc est, cur odio sit tibi serva manus.

In hac scriptura *negat* necessario refertur ad servam, quæ Athamanti indicavit tosta semina agricolis dari, non ad Ino, quam poeta ipsam alloquitur (*tibi* et v. 554 *tui*). Sed ancilla nihil negabat; Ino non poterat hoc, quod serva indicaverat, de se credi velle. Scripserat Ovidius:

Ipsa quidem fecisse *negas*, sed fama recepit;
hoc est, cur odio sit tibi serva manus.

Cap. III.

Poetæ Augusti ætate inferiores. Seneca. Persius. Lucanus. Valerius Flaccus. Statius. (Silius. Iuvenalis. Martialis.)

Poetæ Latini, qui post Augustum fuerunt, quamquam omnino non sane nostra ætate in multorum manibus sunt, vellem tamen in iis expromendis, quæ in eorum quoque scriptis emendavi, cum ea philologi et grammatici officio satisfaciens tractarem, ab aliquo ordiri, qui paulo plus haberet ad animos hominum commendationis et ipsis philologis paulo legendo notior esset, quam tumidæ argutiæ Senecæ tragœdiarum. Sed quoniam sequendus est temporum ordo, primum hæ sibi locum vindicant, eas, quas vere Seneca scripsit, comitantibus, si quæ præter Octaviam alienæ originis genere similes adhæserunt, velut Hercules

Œtæus, quæ fabula non solum supra modum inepta et earundem rerum sententiarumque repetitione molestissima est, sed etiam oratione multo ceteris deterior. De his tragœdiis nuper bene meruerunt *R. Peiper* et *G. Richter*, codicum scripturis, maximeque omnium principis Laurentiani, quem ipsi E appellant, diligentius et fidelius editis, sed huius meriti laudem duobus prorsus inanibus commentis abusi corruperunt, altero de strophis, in quas non modo lyrica carmina, sed etiam, si dis placet, senarios (in iis tragœdiis, quas Senecæ ipsius esse iudicabant) mirabili artificio descripserunt, neque antiquum ullum testimonium neque minimum codicum vestigium neque rei naturam indiciave in ipsa carminum forma, si non eminentia, at latentia saltem secuti neque ulla minima effecta verarum stropharum similitudine; ea enim tum nascitur, cum versus varii generis certa lege copulati atque eadem forma et ordine iterati rhythmum unitate effecta absolvunt, (adiuvante spectatores in forma sentienda et percipienda musica et saltatione ad eandem varietatis unitatem composita). Nam nihil aliud quam arrepta levissima ac minima sententiæ aut vocis cum altera post maius minusve intervallum subsequenti similitudine versuum eodem genere decurrentium seriem in minutas quasdam particulas concidunt, alias plurium, alias pauciorum versuum, quarum binæ ternæve non eodem ordine, sed plane incerto et confuso inter se respondeant. Et tamen ad hanc inauditam stropharum speciem efficiendam, quam fortasse succedet, qui in Græcarum tragœdiarum diverbia inferat, incredibili temeritate versus transponunt vel potius disiiciunt, mutant, tollunt, cuius rei si quis exemplum habere cupit, velim inspici Troadum canticum, quod a v. 824 incipit. Itaque hæc perversitas, coniuncta cum somniis quibusdam Gruppii aliorumque iam oblivione obrutis de poetis antiquis, velut Hesiodo non minus quam Tibullo, opera sua certo versuum numero (eine Compositions-Zahl) dimensis, etsi similiter

[redacted]

ludere nuper Ribbeckio et aliis placuit in Vergilii Bucolicis, tota cum risu eiicienda est, nisi quis mavult indignari talia et proferri in lucem nec statim explodi. Sed huic invento, ne quid ad licentiam mutandi et omnia vertendi deesset, adiunxerunt alterum, Senecæ tragœdias ad posteritatem propagatas esse ex chirographo ipsius omni genere liturarum, correctionum, dittographiarum oppleto, ita ut in nostris codicibus non raro binæ superessent ipsius auctoris scripturæ, quod totum adeo leviter confictum est e scribendi erroribus vulgaribus et ex antiquæ scripturæ difficilis aut nonnihil corruptæ interpolationibus et correctionibus nihil omnino ab iis, quæ in omnibus antiquorum operibus accidunt, diversis, adeo veterum consuetudini libros evulgandi repugnat, ut refutari non opus sit[1]. His itaque opinionum commentis dimissis eiectisque transpositionibus infinitis, lacunarum notis, coniecturisque cum quæ hinc natæ sunt tum aliis præterea permultis inutilibus et partim absurdis[2], utamur Peiperi et Richteri copiis et, si quid iis quoque adiuti, quod traditis aut ab aliis inventis melius sit, effecisse nobis videmur, proponamus.

Herculi Fur. 27:

Non sic abibunt odia; vivaces aget
violentus iras animus et sævus dolor
æterna bella pace sublata geret.

---

[1] Ut illius de numeris, quos scriptores secuti sint, somnii origo ad Lachmannum referri potest, qui in iuvenili libro de choricis tragicorum systematis Æschylum omnia chororum carmina septenario versuum numero conclusisse statuebat, sic hæc opinio de codicum nostrorum discrepantia ex confuso scriptoris chirographo orta auctorem quodammodo habet C. O. Muellerum, qui eam in Varronis de lingua Latina libris protulit.

[2] Statim Herc. Fur. 19 mirifice Peiper, sublato v. 20, quem prius corrupit, coniectura Senecam dicentem facit Dircen Iunonem novercam sæpe fecisse, quasi e Dirca Iupiter liberos sæpe procreasse tradatur. Hoc unum pro multis sit.

Neque per se rectum est *iras agere*, neque cum vivacitatis nomine hoc verbum convenit; conveniet *alet* (neque interire patietur).

Ibd. 350:

Una sed nostras potest
fundare vires iuncta regali face
thalamisque Megara, ducet et genere inclyto
novitas colorem nostra.

Non potest Lycus, qui de sua novitate queritur, cum Megaram antiqua regum stirpe ortam uxorem ducere cupit, eam *regali* face iunctum iri dicere, quasi ipsa inferiore loco nata in regiam domum innubat. Sententia recta erit, ubi restituerimus *regalis*, ut regia virgo ducta ipsum Lycum nobilitatura esse significetur. Adiectivum a librario ad proximum substantivum accommodatum est.

Ibd. 663:

teque, quam tota irrita
quæsivit Ætna mater.

Non tota Ætna Ceres Proserpinam quæsivit (ac potius omnino non in Ætna), sed tota terra, facibus ex Ætna accensis. Scribendum igitur:

teque, quam *mota* irrita
quæsivit Ætna.

Ætnam movit et in auxilium advocavit Ceres. (*Qua mota*, inde *quam ota, quam tota.*)

Ibd. 697:

Metus Pavorque, Funus et frendens Dolor
Aterque Luctus sequitur et Morbus tremens.

Inter animi illos affectus malaque vitæ nihil habere loci *funus* apparet, et, si non appareret, monstraret membrorum copulatio uno asyndeto turbata (metus pavorque, funus et fr. dolor). In eo, quod scribitur *funus*, subest adiectivum; sed ex iis, quæ apta sunt pavori, non reperio, quod satis prope ad litteras accedat (*fœdus*, *falsus?*). (V. 797 emendavi vol. I p. 115.).

[redacted]

Ibd. 1203 sqq. (Hercules quærit, quis liberos occiderit):

Iam tela video nostra; non quæro manum.
Quis potuit arcum flectere aut quæ dextera
sinuare nervos ui cedente mihi?

Sic codex E, non nervum, ut ceteri, nec cedentem. Ubi ui scribitur, versus aut syllabam longam et brevem aut tres breves requirit. Alienum est recedere; itaque excluditur etiam uix. Iusta aut invita cedere barbara sunt, quoniam huiusmodi adiectivi neutrum huiusmodi verbo pro adverbio adiungi nequit. Relinqui videtur:

sinuare nervos rite cedentes mihi.

Sed in v. 1203 fortasse scribendum: num quæro manum? (Codd. quidam recentiores nunc). Etiamnunc enim dubitat Hercules et v. demum 1206 genitorem interrogat et illo tacente suum esse scelus affirmat.

Ibd. 1290 sqq.:

Ignave, cessas, fortis in pueros modo
pavidamque matrem? Arma nisi dantur mihi,
aut omne Pindi Thracis excidam nemus,
Bacchique lucos et Cithæronis iuga
mecum cremabo, aut tota cum domibus suis
dominisque tecta, cum deis templa omnibus
Thebana supra corpus excipiam meum.

Ignave vocativum, quo se Hercules appellat, sine necessitate Gronovius in *ignava* mutavit, ut ad dextram (v. 1288) referretur. In v. 1294 *aut* recte Bothius addidit (et cod. Vratisl.). *Domibus* satis apparet corruptum esse (*tecta cum domibus suis*); sed quæ substituunt, longius discedunt; scribendum sine dubio est:

aut tota cum *hominibus* suis
dominisque tecta.

Huic acute contrarium redditur *cum deis templa.* Pindum Thracem vix fero, fero tamen in hoc inani strepitu etiam nominum. (Othryn in Thraciam transtulit Statius Theb. IV, 655.)

Thyest. 48 sqq.:

Non sit a vestris malis
immune cælum. Cum micant stellæ polo
flammæque servant debitum mundo decus,
nox atra (E alia) fiat, excidat cælo dies.

Medio die noctem futuram optando furia prædicit. Ineptæ igitur *stellæ*. Sed *stellæ* pro *solis* substitutum minime est probabile, cum præsertim v. 50 maior simul mutatio adhibenda sit (*servantque flammæ*). Probabilius videtur, scriptum fuisse:

Cum micant *altæ* polo
flammæ atque servant d. m. d.

Altas flammas aliquis, inscite sane, stellas interpretatus est. (V. 51 abiiciendus codicis E error.)

Ibd. 255:

Nil, quod doloris capiat assueti modum.

Non malum doloris modum capit, sed modus assuetus doloris malum capit (*χωρεῖ*, *fasst*), cum malum modum non excedit; si excedit, modus assuetus id non capit. Itaque scribendum prorsus puto:

Nil, quod doloris capiat assueti *modus*.

Cum *quod* pro nominativo haberetur, mutatus verus nominativus est.

Ibd. 314 oratio sic interpungenda est:

Ne mali fiant, times?
Nascuntur. Istud, quod vocas sævum, asperum cet.

Scio enim, quomodo pronomen neutri generis pro superiore adiectivo ponatur (*hoc sum*; vid. ad Cic. de fin. p. 558 et 579 ed. alterius); sed inde non sequitur, dici *nascuntur hoc*, cum præsertim sola *nascuntur* et *fiant* inter se respondeant.

Ibd. 486:

TANT. Decipi captus times?
THY. Serum est cavendi tempus in mediis malis.

Nec *captus* quo spectet, nec unde in Thyestæ verbis ca-

[redacted]

vendi mentio oriatur, apparet. Apparebit facile, opinor, si scripserimus:

Decipi *cautus* times?

Ibd. 819:

Stupet Eoos adsueta deo
tradere frenos genetrix primæ
roscida lucis, perversa sui
limina regni; nescit fessos
tingvere currus, cet.

Limina regni Auroræ nullo modo perversa aut loco mota erant, sed ordo rerum et muneris perturbatus, die et nocte permutatis. Scripserat Seneca:

perversa sui
munia regni.

Ibd. 920 sqq.:

Mixtum suorum sanguinem genitor bibat;
meum bibisset. Ecce, iam cantus ciet
festasque voces nec satis menti imperat.

Frustra conatus sum excogitare, quid sibi vellet post votum, ut Thyestes insciens filiorum sanguinem bibat, adiectum illud de ipsius Atrei sanguine: *meum bibisset*, sive condicionaliter id dictum putatur sive iussivo modo. Scribendum opinor:

merum bibisset;

ut hoc contrarium sit illi *mixtum*. Vellet Atreus, merum, non mixtum, sanguinem frater iam bibisset.

In Phœnissarum fragmentis (quæ nunc recte, ut videtur, in Œdipum et Phoenissas dividuntur) duos tantum locos attigi Nam v. 55 scribendum est:

Pars summa *magno* patris e regno mea est
pater ipse,

ubi editur *magni*. Regni magnitudo in hac sententia ad rem pertinet.

Ibd. 434 sqq., ubi sic editur:

Victa materna prece
hæsere bella, iamque in alternam necem
illinc et hinc miscere cupientes manus
librata dextra tela suspensa tenent,

duo postremi versus transponendi sunt:

iamque in alternam necem
librata dextra tela suspensa tenent,
illinc et hinc miscere cupientes manus,

hoc est, dextras iungere pace facta.

Phædr. (*Hippolyt.*) 274, 275:

Fama vix vero favet
peius merenti melior et peior bono.

Neque *vix* in tali sententia ferri potest neque *vero favere*. Manifestum est requiri *ex vero* (vere, ad veritatem). Scribendum:

Fama *ubi ex* vero favet?
Peius merenti melior *est*, peior bono.

Ibd. 1031:

Latuere rupes numen Epidauri dei
et scelere petræ nobiles Scironides
et quæ duobus terra comprimitur fretis.

In primo versu *numen* corruptum esse et manifestum est et consentitur. Redduntur vertendo, quæ apud Euripidem leguntur hæc:

ὥστ' ἀφῃρέθη
Σκείρωνος ἀκτὰς ὄμμα τοὐμὸν εἰσορᾶν,
ἔκρυπτε δ' Ἰσθμὸν καὶ πέτραν Ἀσκληπιοῦ.

Itaque *rupes Epidauri dei* tenemus. Una littera mutata fiet:

Latuere rupes *lumen* Epidauri dei,

hoc est, oculos (*ὄμμ' ἀφῃρέθη εἰσορᾶν*). (*Rupes*, *limen Epidauri dei*, quid sit, Richterne sciat, nescio; ego non intelligo.)

Œdip. 196 sqq. (in descriptione pestilentiæ):

[redacted]

Iamque amplexu frigida presso
saxa fatigant. Quos liberior
domus elato custode sinit,
petitis fontes aliturque sitis
latice ingesto.

Prava omnino (magis etiam, si totum carmen comparaveris) secunda persona verbi *petitis*. Sed primum interpunctio emendanda sic est:

Iamque amplexu frigida presso
saxa fatigant, quos liberior
domus elato custode sinit.

Deinde scribendum:

Petit at fontes aliturque sitis
latice ingesto.

Alii saxa amplectuntur frigida, alios sitis ad fontes rapit.

Ibd. 286 sqq.:

At una bimaris Sisyphi terras adit;
Olenia in arva tertius trames cava
convalle serpens tangit errantes aquas
gelidumque dirimit amnis Elei vadum.

Sic codices boni, *Elei* omnes. (Peiperi versuum transpositionem, qua nihil omnino consequitur, nisi ut praviora omnia faciat, omitto.) Vulgo sic oratio interpungitur, ut verba *Olenia in arva* prorsus perverse ad *Sisyphi terras* trahantur; manifestum est, tertia via quo ferat, iis indicari. *Eleum* flumen ex remotissima Peloponnesi parte hoc loco in mentem scriptori venire non potuisse, certum est. Sed quoniam Oleniorum arvorum mentio ostendit eum, confusa locorum imagine, quod illa ætate homini Romano facile accidere potuit, de Ætolia cogitasse, videtur posuisse:

amnis *Eueni* vadum.

Ibd. 714 sqq.

ŒD. Quisquis in culpa fuit,
dimissus odit omne, quod dubium putat.

CR. Sic odia fiunt. ŒD. Odia qui nimium timet,
regnare nescit; regna custodit metus.

Qui in culpa fuit, is, cum dimissus est, odit eum, qui ei culpam intulit (itaque Œdipus Creontem semel insimulatum dimittere non vult), non omne, quod dubium putat, quod quid sit, nescio, nec omnino, quid *dubii* mentio hic agat, recte posita v. 712. Deinde inanis est ille Creontis assensus: *Sic od. f.* In codice optimo scribitur: *quod obuium ē. eat.* Scribendum est igitur:

ŒD. Quisquis in culpa fuit,
dimissus odit. CR. Omne, quod *pium* est, eat;
sic odia fiunt. ŒD. Odia cet.

Creon, Œdipum corrigens et quasi experimentum fieri iubens, odia tum nasci ait, cum pietas negligatur, quam Œdipus est neglecturus, si Creontem affinem et innocentem vinxerit et puniverit. (Paulo post perverse Peiper Creonti eripuit hæc verba: *metus in auctorem redit*, quæ proximorum *timet timentes* sententiam colligunt et explent. Oedipus respondere ultra dedignatus duci in carcerem Creontem iubet. Sed cur hunc unum errorem attingo?)

Ibd. 970 sqq.

Quæratur via,
qua nec sepultis mixtus et vivis tamen
exemptus erres. Morere, sed citra patrem.

Quomodo, qui, ut nec vivis nec sepultis intersit et tamen vita careat, carcere perpetuo includitur, *citra patrem* mori dicatur, nemo explicaverit. Verum est:

Morere, sed citra *ratem*,

hoc est, ita ut ad inferos non descendas nec Charonis ratem conscendas.

Ibd. 977:

Et flere satis est? Hactenus fundent levem
oculi liquorem; sedibus pulsi suis

[redacted]

lacrimas sequantur; hi maritales statim
fodiantur oculi.

Neque maritales oculi qui sint, quisquam expediet, neque *hi* ferri potest. Scribendum:

sedibus pulsi suis
lacrimas sequantur! *Di* maritales, statim
fodiantur oculi!

Invocat, quos incesto læserat, ut pœnam adiuvent. Sed pravum etiam *fundent* in significando eo, quod hactenus factum posthac Œdipus fieri non vult. Necessario postulatur:

Hactenus *fundunt* levem
oculi liquorem!

Ibd. 992 (de Œdipodc, qui vi et ægre oculos effodit):

Tantum est periclum lucis. Attollit caput
cavisque lustrans orbibus cæli plagas
noctem experitur.

Quod periculum lucis significatur? Mendum subesse sensit N. Heinsius, sed corrigendo aberravit. Scribi oportet:

Factum est periclum lucis.

Luditur (inepte, sed ut in his tragœdiis fieri solet) in lucis periculo hactenus facto et noctis experimento, quod nunc capitur.

Troad. 255 (in Pyrrhi ad Agamemnonem verbis):

Dubitatur etiam? Placita nunc subito improbas
Priamique natam Pelei gnato ferum
mactare credis?

Nihil in superioribus significatur de pacta antea re et placita, contraque omnia sic dicuntur, ut nunc demum Pyrrhus huius rei mentionem iniicere fingatur. Scripserat poeta:

Placida nunc subito *probas*
Priamique natam Pelei gnato ferum
mactare credis?

Ibd. 288:

Equidem fatebor (pace dixisse hoc tua,
Argiva tellus, liceat); affligi Phrygas
vincique volui; ruere et æquari solo
etiam arcuissem. Sed regi frenis nequit
et ira et ardens hostis et victoria
commissa nocti.

Neque *etiam* ferri potest neque ipse modus condicionalis *arcuissem* ad sententiam recte accommodari, neque hæc recte cum proximis cohærent. (Swobodæ coniectura *etiam* removetur, cetera manent acceditque novum vitium, quod *Phryges* et *Troia* inepte contraria ponuntur.) Emendatio facilis et certa est:

Equidem fatebor (pace dixisse hoc tua,
Argiva tellus, liceat); affligi Phrygas
vincique volui; ruere et æquari solo
utinam arcuissem!

Iam aptissime huic *utinam* adiunguntur illa: *Sed regi*, cet.

Ibd. 798:

Concede, parvos ut mea condam manu
viventis oculos.

Sic vulgares codices; sed inepte parvitas oculorum nominari videtur; et in optimo codice *paucos* scribitur. Puto colorem significari; etsi *glaucos* in puero laudari oculos miror. (Paulo ante v. 785 recte *tenera* pueri manu *parva* arma in venando tractari dicuntur; *patria* Hectoris arma a tenera manu aliena sunt.)

Ibd. 854 sqq.:

Numquid Aiacis Salamina veri
aut fera notam Calydona sæva,
quasque perfundit, subiturus æquor,
segnibus terras Titaressos undis,
Bessan et Scarphen?

In pravo illo *veri* inest verbum, unde pendent accusativi. Id *pergam* an *visam* fuerit an aliud, non definio; nam ap-

[redacted]

tissimum quod erat (*vehar*), versus excludit. Potest etiam perfectum positum fuisse verbi, quod significaret *sortita sum*; sed non reperio, quod litteris simile sit. (*Cepi?*)[1])

Ibd. 975 sqq. Postquam Hecuba Polyxenæ, quæ tacita offirmato animo adest (vid. v. 955 sqq.), sortem deflevit, ad extremum lacrimas eius se conspicere ait:

Irrigat fletus genas
imberque victo subitus e vultu cadit,

(quos versus Peiper Andromachæ dedit). Sequuntur hæc:

Lætare, gaude, gnata! Quam vellet tuos
Cassandra thalamos, vellet Andromache tuos!

Hos versus apertum est ab Hecuba dici non posse, quæ summo luctu Polyxenam prosequatur; contra aptissime ab Andromacha dicuntur, Polyxenæ sortem longe Cassandræ suæque et ceterarum præferenti, nec, nisi ii ad eam transferuntur, recte pergitur 979: *nos, Hecuba, nos, nos, Hecuba, lugendæ sumus*, quoniam, si illa Hecuba dicit, prorsus cum Andromacha consentit. Sed obstat, quod *gnata* Polyxena appellatur. Scribendum igitur una littera mutata:

Lætare, gaude, *grata*! Quam vellet cet.[2])

Ibd. v. 1028 sqq.:

Nemo se credet miserum, licet sit.
Tolle felices, removete multo

---

[1]) Peiper post v. 854 posuit v. 838, 830, 836, 837, *veri* in *sævi* mutato, nec accusativo (*Salamina*) inter nominativos offensus est; 855 sic scripsit: *aut fera notam ad Calydona versa*, deinde trium versuum lacuna notata in medio spatio posuit *vocor*, 856 autem et 857 ante 839 posuit. Serione hæc fiunt, et potuit quisquam hæc somnia pro veris aut veri similibus habere? Ne id quidem eum intellexisse, post longum nominum splendidorum strepitum nominativo casu positorum alteram seriem accusativorum studio et arte a tumido declamatore subiici!

[2]) Gust. Richter Peipero persuasit, ut hos duos versus post 988 transferret, ubi iam nemo de Polyxena cogitare potest.

divites auro, removete centum
rura qui scindunt opulenta bubus:
pauperi surgent animi iacentes.

Primus versus sine condicione positus perversissimam habet sententiam; in altera parte duæ sunt (imperativo expressæ) condiciones, quarum altera tantum (de divitiis) ad paupertatis sensum tollendum pertinet, prior (*tolle felices*) universe ad miseriæ sensum. Duo hemistichia locum permutarunt, rectaque omnia erunt sic scripta:

Tolle felices: miserum, licet sit,
nemo se credet; removete multo
divites auro, cet.

Ibd. 1181 sqq.:

Mors, votum meum,
infantibus violenta, virginibus venis,
ubique properas, sæva; me solam times
vitasque cet.

Miror nihil dici de anapæsto tertiæ sedis, qui manifesto versum vitiat, nihil de copula prave omissa (*infantibus violenta, virginibus*). Scribendum certissime:

Mors, votum meum,
infantibus *nec lenta* virginibus venis;
ubique properas, cet.,

hoc est: infantibus et virginibus non lenta, aut: nec infantibus nec virginibus lenta. Prorsus eodem modo negationem ponit Valerius Flaccus I, 381: *Mycenæis olim qui candida velis Æquora nec stantes mirabere mille magistros*, hoc est, nec æquora nec magistros, et II, 231: *Immanes quos sternere Bessi Nec Geticæ potuere manus aut æquoris iræ*, hoc est, nec Bessi nec Geticæ manus. Non memini hanc imitationem Græci poetarum usus, quo interdum prius οὔτε omittunt (vid. Matth. Gr. Gr. § 609 p. 1227 ed. II, interpp. ad Sophoclis Philoct. 771; cfr. οὐδέ apud Herod. V, 92, Thucyd. VIII, 99), sive similitudo est casu nata, a quoquam me annotatam legere. Simile est ex

[redacted]

aliqua parte Terentianum illud: *Agrum his regionibus meliorem neque preti maioris nemo habet* (Heautont. 64, Eun. 1077); sed ibi subiecta negatio communis (*nemo*) prioris absentiam compensat. (Cfr. Herod. IV, 28: *ἡμίονοι δὲ οὐδὲ ὄνοι οὐκ ἀνέχονται.*)

Med. 342:

Hinc atque illinc cum duo montes,
claustra profundi, subito impulsu
velut ætherio gemerent sonitu,
spargeret astra nubesque ipsas
mare deprensum.

Asyndeton in *gemerent, spargeret* ferendum videtur. Sed præterquam quod *astra* versum corrumpit, astris nubes *ipsæ* tanquam maius et altius superponi non possunt; accedit, quod in codice optimo non *astra,* sed *astris* scribitur. Itaque in mentem venit scribi posse:

spargeret *arcis* nubesque ipsas m. d.,

ut significentur rupium cacumina. Sed dubito.

Ibd. 369:

Non Palladia compacta manu
regum referens inclita remos
quæritur Argo.

In *referendi* verbo quo præpositio spectet, non video, scribendumque puto: *regumque ferens incl. r.*

Ibd. 401:

Si quæris, odio misera quem statuas modum,
imitare amorem.

Quantum sit odium, Medea intelligi posse dicit ex ipsius amoris, qui ante fuerit, magnitudine. In hac re imitatio nihil omnino loci habet; contra aptissimum erit:

metire amorem.

Ibd. 409 sqq.:

Numquam meus cessabit in pœnas furor
crescetque semper. Quæ ferarum immanitas,

quæ Scylla, quæ Charybdis Ausonium mare
Siculumque sorbens quæve anhelantem premens
Titana tantis Ætna fervebit minis?

Medea futurum suum furorem non cum aliis futuris rebus, sed cum iis, quæ unquam fuerint cognitæque sint vehementissimæ, comparare debet. Quod cum Lipsius aliqua ex parte sentiret, *fervescit* scribi voluit; debebat *ferbuit* (*fervuit*), quod et unum ad rem aptum est et facillime in *feruebit* transiit.

Ibd. 518:

IAS. Quid facere possim, loquere. MED. pro me? vel scelus.
IAS. Hinc rex et illinc. MED. Est et his maior metus,
Medea.

Prorsus inane illud *pro me?* nec aptum in Medeæ persona *vel*; sed totum responsum perversum est; neque enim Medeæ satis est aut prodest, scelus aliquod Iasonem facere, qualecumque demum sit. Iason se ad omnia Medeæ causa facienda paratum dicit, etiam ad scelus, modo ne cum regibus pugnandum sit. Nulla littera mutata verum nascitur:

IAS. Quid facere possim, loquere; *prome* vel scelus.
Hinc rex et illinc.

(Hoc extremum certis nominibus infra v. 524 Iason repetit: *Acastus instat*; *propior est hostis Creo*, cui Medea respondet: *Utrumque profuge.* Perverse Richterus codicem E secutus verba hæc *propior e. h. Creo* Medeæ dedit, quæ æque utrumque contemni vult.)

Agamemn. 208:

Hunc fraude nunc conaris et furto aggredi.

Non affirmat nutrix hoc Clytemnestram facturam, nec hoc tempus (*nunc*) ei rei minus aptum dicit, sed deterret interrogando:

Hunc fraude *num* conaris et furto aggredi?

[redacted]

Ibd. 561 sqq. Aiax Oileus, nave a Pallade fulmine fracta, ipse in undas excussus navem repetit:

dirimit insanum mare
fluctusque rumpit pectore et navem manu
complexus in se traxit et cæco mari
collucet Aiax; omne resplendet fretum.

Nihil est navem, quam iam complexus erat, *in se* trahere; nec significatur, unde colluceat et ardeat Aiax. Ardentem navem complexus ipse flamma correptus est:

et navem manu
complexus *ignes* traxit et cæco mari
collucet Aiax.

Hercul. Œt.[1]) 123 chorus captivorum loca et ædificia sacra ad profanum et humilem usum traductum iri queritur:

Stamus nunc patriis messibus heu locus
et silvis dabitur lapsaque sordidæ
fient templa casæ.

Nihil est *stamus*, nec malum est messibus et silvis locum dari, nisi indignus tam humili usu datur. Scriptum olim erat:

Fanis nunc patriis messibus heu locus
et silvis dabitur lapsaque sordidæ
fient templa casæ.

Fanorum patriorum, cum eversa sint, areas consitum iri dicunt.

Ibd. 315 Deianira dolorem et iram ad perseverandum hortatur:

Pares eramus; non erat votis opus;
aderit noverca, quæ manus nostras regat
nec invocata.

Pravum esse illud *non erat opus*, si per se non

---

[1]) Hæc fabula etiam in E valde corrupta est.

intelligeretur, ostenderet subiectum *aderit*; et est in codicibus (etiam E) *erit*. In priore etiam versus parte E et alii *erimus*, contra versus legem, sed mendum indicantes, quod sic tollendum est:

Pares *eamus*; non erit votis opus;
aderit noverca, cet.

Ibd. 384, ubi vernantium silvarum forma laudatur, sed hieme et tempestatibus perire dicitur, scribendum videtur:

Ut *læta* (pro *alta*) silvas forma vernantes habet.

Ibd. 902:

Si te ipsa damnas, scelere te misera arguis.

Recte Heinsius sensit, nihil esse *scelere aliquem arguere*. Sed una addenda lineola, ut sit:

scelere te *miseram* arguis,

hoc est, arguis te scelere et culpa miseram esse.

Ibd. 943:

Scelera, quæ quisque ausus est,
hic vincit error.

Sententia et sermonis lex postulat: quæ *quisquam* (unquam) a. e.

Ibd. 1007:

Quænam ista torquens angue vipereo comam
temporibus atras squalidis pinnas quatit?

Temporibus pinnas quatere satis dure dicitur; cod. E pro *atras* habet *hastas*. Videtur fuisse:

temporibus *aptas* squalidis pinnas quatit?

Quid in *angue* subsit, non reperio.

Ibd. 1179:

Herculem vestrum placet
morte ferire? Dirus, o, nobis pudor,
o turpe fatum!

Sic E, pro quo quod nuper substitutum est *perire inertem*, transpositionem cum duplici mutatione parum probabiliter coniunctam habet. Opinor scribendum esse:

forte interire,
casu et sine consilio effectuque ullo.

Ibd. 1312:

emitte Siculo vertice ardentes, pater,
Titanas in me, qui manus Pindo ferat
aut te, Ossa, qui me monte prorupto opprimat.

Sic E; sed singularis numerus verborum (*ferat*, *opprimat*) ferri non potest; perridicule enim Hercules, nominatis Titanibus, quasi parcens permittit, ut unus mittatur, qui aut Pindon aut Ossam moliatur; quamquam ne sic quidem tolerabiliter diceretur *Titanas, qui ferat.* Neque *manus Pindo ferre* (etiamsi *inferat* scribas) ad rem aptum est. (Vulgares codices *manu Pindum ferant.*) Puto fabulæ auctorem, totum Titanum agmen significantem, scripsisse:

Titanas in me, *quæ* manus *Pindon* ferat
aut te, Ossa, *quæ* me monte prorupto opprimat.

Ibd. 1331 sqq.:

Ita nulla sævas terra concipiat feras
post me, sepulti (sic Heinsius pro *sepulto*) nec meas
umquam manus
imploret orbis; si qua nascentur mala,
nascetur odium; undique infelix caput
mactate saxis, vincite ærumnas meas.

V. 1334 in voto scribendum esse *nascatur*, a multis intellectum est; in *odium* vitium et versus et sententiæ manifestum est. Scribi debet:

nascatur *otium.*

Vovet Hercules, ut malorum medicina et interitus statim simul nascatur.

Ibd. 1756:

et qua plurimus
exundat ignis, recipit intrepidus ferox.

Codex E *repedit*; scribendum *repetit.*

Octaviam emendando non attigi.

Persii satiras, quarum tumida et contorta obscuritas enarrationem involuta ratione et via evolventem desiderat et aliquot locis scripturæ rectiorem delectum, coniecturæ ope non multum eget, ne tacitus prætercam, unus facit locus, cuius veram scripturam iam tum coniectura repertam, cum nondum Iahnii apparatu utebar, postea non carere teste vidi. Nam I, 23 Persius, poetas molliter recitantes ita insectans, ut aperte ipsa carmina lasciva impudicaque significet, vetulum inducit poetam et sic alloquitur:

Tun', vetule, auriculis alienis colligis escas,
auriculis, quibus et dicas cute perditus „ohe"?

Ex his quomodo editores enarratoresque se expediverint, prorsus non intelligo. *Ohe* de homine laudantium plausibus et clamoribus obruto accipiunt, qui ubi significetur, frustra quæro. Sed *quibus* pronomen necessario ad *auriculis* geminatum refertur; qui si dativus est, cur alienis auriculis (quæ sane non laudabant nec clamabant) „ohe" poeta dicat, non magis video, quam quid ad eam rem pertineat cutis mentio; *et* prorsus vitiosum est; sin ablativus putatur, ut omittam copulationis insolentiam (*quibus et cute*), supra modum ridicule poeta alienis auriculis et cute (sua, opinor) perditus dicitur; de cute idem quæro, quod antea. Sed omittamus nugas. Vetulus ille alienis auriculis escas colligit, quibus ipse „ohe" dicere cogitur, corpore fracto et debili libidinosæ voluptati ineptus. Debile autem corpus eo significatur, quod cute perditus dicitur, hoc est, aqua intercute æger; huic adiungitur alter morbus, articulorum arthritide fractorum. Scripserat enim Persius:

colligis escas,
Articulis quibus et dicas cute perditus „ohe"?

Atque hoc, quo nihil esse certius statim iudicaveram, Priscianus legit, proferturque apud Iahnium e quattuor codicibus, uno undecimi, altero duodecimi seculi,

proferreturque fortasse e pluribus, nisi conferentes simillimi vocabuli præcedentis speciem ad hoc transtulissent.

Eiusdem satiræ v. 88 et 89 sic interpungendi sunt:

Men' moveat? Quippe et, cantet si naufragus, assem protulerim.

Interrogat poeta, moverine se fas et probabile sit talibus, qualia descripsit, oratorum plausum captantium artificiis; deinde cum ironia affirmat additque, consentaneum tum esse, ut etiam naufrago non flenti et vere misero sed flexa artificiose voce cantanti assem porrigat. (Apud Heinrichium verba recte interpunguntur, male enarrantur.)

Lucani Pharsaliam legi celeriter, in corruptis et dubiis non valde insistens. Sed tamen sensim lentius legens et codicum scripturas subinde examinans in posterioribus libris unum et alterum annotavi locum, cui opem ferre posse viderer.[1])

Lib. I, 100 sqq., ubi Crassus inter Cæsarem et Pompeium tertius interpositus cum isthmo maria separante comparatur, sic scribitur:

Qualiter undas
qui secat et geminum gracilis mare separat isthmos
nec patitur conferre fretum; si terra recedat,
Ionium Ægæo frangat mare; sic ubi sæva, cet.

Hæc si vera sunt, terra aut isthmos Ionium mare Ægæo fracturus esse dicitur, quod qui terra (recedens) efficere dici possit, non intelligo. Alterum mare altero irruente et potentiore frangi poterat. Itaque suspicor scribendum:

---

[1]) Weberianum Lucani exemplum toto consilio prave institutum, in delectu scripturæ et interpunctione vitiosissimum est.

Ionium *Ægæo frangatur*; sic ubi sæva, cet.,

et *mare* mala manu additum puto ad *Ionium*.

Lib. IV, 671 sqq.:

qua sunt longissima regna,
cardine ab occiduo vicinus Gadibus Atlas
terminat, a medio confinis Syrtibus Ammon.

Qui longitudinem aut regni aut alius rei metitur, non occidentalem et medium finem indicat, sed occidentalem et orientalem. Scripsit Lucanus:

terminat, *Eoo* confinis Syrtibus Ammon.

Deinde v. 675, 676 vulgo sic interpunguntur (apud Oudendorpium, Burmannum, Weberum), nulla omnino ut sit sententia; interpungi debent sic:

At qua lata iacet, vasti plaga fervida regni
distinet Oceanum zonæque exusta calentis.
Sufficiunt spatio populi tot; castra sequuntur
Autololes, cet.

Iubæ terram, qua latissima sit, extendi poeta dicit ab Oceano (mari mediterraneo) ad zonæ calentis deserta; spatio (quod longitudine et latitudine indicata declaravit) explendo sufficere tot (quot ibi sint) populos; nam castra secutos esse Autololes, cet.

Lib. V, 533 sqq., ubi Cæsar Amyclam, pauperem nautam, promissis ad se in Italiam transvehendum exhortatur, sic scribitur:

si iussa secutus
me vehis Hesperiam, non ultra cuncta carinæ
debebis, manibusque inopem duxisse senectam:

Frustra laborant, ut ex his sensum extundant, *debebis* contra sermonis naturam alio significatu in altero membro repetito (non cuncta carinæ debebis, nec debebis duxisse, hoc est, nec opus tibi erit duxisse). Apparet cohærere, ut divelli non possint, *carinæ manibusque*. Reliqua sanabit facillima et certa emendatio:

[redacted]

non ultra cuncta carinæ
debebis manibusque, inopem *ducesve* senectam[1]).

Ibd. (V), 771 (in oratione Corneliæ ad Pompeium) verba sic interpungenda sunt:

Secura videtur
Sors tibi, cum facias etiam nunc vota, perisse?

Hæc enim sententia est: Securane sors tibi videtur, quæ mihi fortasse obtinget, si a te afuero, ut iam te victo perierim, cum ignara cladis tuæ etiam nunc vota pro te faciam? (In generali sententia secunda persona ponitur.) Aberraverunt Bentleius et alii.

Lib. VI, 663:

Si vero Stygiosque lacus ripamque sonantem
ignibus ostendam, si me præsente videri
Eumenides possint villosaque colla colubris
Cerberus excutiens, cet.

Non agitur de præsentia magæ Thessalæ, sed hoc dicit: „si efficere possim, ut Eumenides videatis.“ Scribendum igitur:

si me *præbente* videri
Eumenides possint,

hoc est, si videndas præbere possim. Quid requireretur, senserat Grotius, sed in verbum litteris remotius nec ipsum aptum incidit, *præstante*.

Lib. VII, 586, 587:

Illic plebeia contectus casside vultus
ignotusque hosti quod ferrum, Brute, tenebas?

Hoc perinepte interrogatur; suum enim gladium Brutus tenebat; aptissime contra:

---

[1]) V, 375 non *revocare*, sed *evocare* scribendum esset, nisi optimi codices, etiam rescriptus Neapolitanus (Philolog. XXVI p. 177), *retinere* haberent, quod restituendum est.

quo ferrum, Brute, tenebas?

hoc est, in quem dirigebas? Significat enim poeta, Cæsarem eum petisse. (V. 592: *nil proficis istic Cæsaris intentus iugulo.*)

Lib. VIII, 450, 451. Sublata prava litteræ geminatione, quæ aliam quoque vocem in mendum traxit, scribendum est:

ne iura fidemque
respectumque deum *veteri* speraveris *aula.*

Editur: *veteris speraveris aulæ*, pravo genetivo. Sed coniectura non opus, quoniam in cod. Voss. secundo perantiquo recte scribitur.

Ibd. (VIII), 663 sqq.:

At Magni cum terga sonent et pectora ferro,
permansisse decus sacræ venerabile formæ
iratamque deis faciem, nihil ultima mortis
ex habitu vultuque viri mutasse fatentur, cet.

Perversissime immota in morte venerabilis decoris et maiestatis facies *deis irata* dicitur. Scribendum videtur:

Æquatamque deis faciem.

Lib. IX, 566 sqq., ubi Cato Labieno Iovem Ammonem consulere iubenti respondet, omnia se ea, quæ hominis plurimum intersit scire, iam ita tenere (decretis Stoicorum stabilita), ut nihil addere Ammon possit, hæc leguntur:

Quid quæri, Labiene, iubes? an liber in armis
occubuisse velim potius quam regna videre?
An sit vita nihil, sed longam differat ætas?

Posterius hoc intelligi nequit; nam neque nihil esse vitam Stoici dicebant, neque, quid sit, ætatem differre longam vitam, explicari potest nec, quomodo hoc contrarium sit priori. Hoc Cato dicere debet, nihil interesse, longa an brevis sit vita; (vid., si tanti est, Ciceronis de fin. lib. III § 46 et quæ ibi adscripsi). Per totum autem

locum (usque ad v. 571) ea est orationis forma, ut per *an* interrogetur de ipso decreto Stoico. E codicibus unum affertur *longa an* pro *longam*. Manifestum est primum hæc cohærere: *an nihil differat*, deinde hinc pendere disiunctivam interrogationem, ad quam explendam deest alterum vocabulum longitudini contrarium. Scriptum fuerat sine dubio:

an, sit vita *brevis*, nil, *longane*, differat, ætas,

usitatissima poetis Latinis verborum et sententiarum implicatione. Sed ex illa, quam dixi, orationis forma sequitur etiam, ut v. 569 scribendum sit:

an noceat vis *nulla* bono?

pro *ulla*. [Sic iam Cortius, cod. Thuan. II.] Sequitur enim:

fortunaque perdat
opposita virtute minas? laudandaque velle
sit satis, et numquam successu crescat honestum?

quæ omnia a Stoicis sublata interrogatione item affirmantur ut illud, nullam vim nocere bono.

Ibd. (IX) 925 (de Psyllo serpentis morsum sanante):

Nam primum tacta designat membra saliva.

Nihil est *tacta saliva*; membra saliva tanguntur. Addenda una littera:

tacita designat membra saliva,

nullis etiamtum verbis comitantibus. Sequitur v. 925:

Plurima tum volvit spumanti carmina lingua.

X, 19, ubi Cæsar Alexandri sepulcrum visisse narratur, scribendum est:

Effossum *tumuli* cupide descendit in antrum,

non *tumulis*; nam ut pluralis numerus feratur, tumulis effossum dicitur, quod inde erutum et extractum est. (Et video proferri *tumuli* e codicibus, sed apud Oudendorpium ambigua nota).

Valerii Flacci Argonauticon unus superest codex antiquus (noni seculi esse traditur), Vaticanus, nuper ad plenam notitiam protractus a G. Thilone, mendosissime

scriptus, cui coniunctissimus et simillimus fuit, ex cuius apographo primum editum poema est, Sangallensis. Itaque infinita est coniecturæ necessitas. Sed ipsum poema, quod tritam materiam communi et tradito genere persequitur, ut fit in imitatione adventicio ornatu commendanda, adeo sæpe tumidam habet sententiarum et imaginum formam, adeo molestam et affectatam elocutionem, ut difficile multis locis sit statuere, quid poetæ ipsi tribui debeat, enarratione utcumque leniendum, quid scribarum errori, in qua dubitatione cautiorem partem sequi par est. Legeram partem aliquam olim, Harlesii (Burmanni) exemplo utens; deinde in reliquis, inde a tertio libro, absolvendis Thilonem adhibui. In celeri lectione nec in difficilibus ac dubiis valde immoranti tamen nonnullorum locorum aut certa aut probabilis correctio se obtulit præter eas, quæ in Heinsii maxime annotationibus inter permagnum numerum suspicionum temere et sine causa aut nulla certa via rationeve iactarum latent. Unum et alterum, quod in primis libris ipse annotaveram, vidi ab aliis occupatum.[1])

Lib. I., 51:

Si mihi, quæ quondam, vires, vel pendere pœnas
Colchida iam et regis caput hic et arma videres.

Nihil significat *vel*; scribendum est: *tu pendere pœnas.*

Ibd. 64 sqq.:

Mox taciti patuere doli nec vellera curæ
esse viro, sed sese odiis immania cogi
in freta, qua iussos sectantem quærere Colchos
Arte queat.

Nullo modo postrema hæc cum superioribus cohærent, nec structura expediri potest. Scripserat poeta:

---

[1]) [Cum hæc iam typothetæ tradidissem, accepi editionem a Schenklio curatam (Berol. 1871), ex qua tres quattuorve coniecturas meas ab aliis præceptas vidi.]

[redacted]

sed sese odiis immania cogi
in freta. Qua iussos, *scitatur*, quærere Colchos
arte queat.[1])

Ibd. 635 sqq.:

miscent suprema paventes
verba alii iunguntque manus atque ora fatigant
aspectu tota in misero, cum protinus alnus
solvitur et vasto puppis mare sorbet hiatu.

Sic codex; corrigunt: *aspectu toti in misero.* Sed *totus in aspectu* dicitur, qui spectaculo animum omnem intendit, quod ab interitum timentibus alienum est, nimisque infinite ponitur *ora fatigant.* Scribendum videtur:

atque ora fatigant
aspectu *vota* in misero, cet.

Votis vix ora sufficiunt.

Ibd. 670 sqq.:

seu casus nox ista fuit, seu volvitur axis
ut superum sic staret opus tollique vicissim
pontus habet, seu te subitæ nova puppis imago
armorumque hominumque truces consurgere in iras
impulit, cet.

Recte Gronovius intellexit necessario requiri *stare*, ut pontus simili lege stare et vicissim tolli diceretur, quemadmodum cœlum (axis superum) certo motu volveretur. Præ-

---

[1]) Hauptius nuper *sectatur* eadem orationis forma. Sed apud Horatium Od. I, 38, 8 *sectari* significationem habet circumcursando quærendi, non simpliciter quærendi. In proximis Burmannus incidit in verum, sed non tenuit:

nunc aerii plantaria vellet
Perseos aut curru *ut* sævos frenasse dracones
creditur, ignaras Cereris qui vomere terras
imbuit,

hoc est: aut curru dracones frenasse, ut is fecisse creditur, qui cet.

terea in *habet* subesse, a quo infinitivi (*stare tollique vicissim*) pendeant, *avet*, A. Schottus vidit. Unum restat, quod orationem et sententiam turbet, *opus*, quod sic amovendum est:

seu, volvitur axis
ut superum, sic *stare loco* tollique vicissim
pontus *avet*.

Ibd. 755, 756 (de Thessala sacra magica faciente):

flagrantes aras vestemque nemusque sacerdos
præcipitat.

Iure offenditur in nemoris nomine; sed quod apte cum veste coniungeretur, nondum repertum est; nam ne *pecus* quidem aptum est neque sic nude dicitur. Posuerat poeta:

vestemque *penusque*.

Ibd. 821 sqq. (de Æsone et Alcimede hausto venenato poculo morientibus):

In media iam morte senes suffectaque leto
lumina et undanti revomentes veste cruorem
conspiciunt.

Ut *revomere veste cruorem* dicatur de veste cruoris vomitu conspurcanda (quod non concedo neque ablativum fero), ineptissima tamen eius rei hoc loco mentio est, nedum undantis vestis. Scriptum fuerat:

et undanti revomentes *peste* cruorem.

Undabat et æstuabat pestis hausta.

Lib. II, 72:

Iamque sub Eoæ dubios Atlantidis ignes
albet ager.

Aurora nusquam Atlantis appellatur nec ulla cognatione cum Atlante coniungitur. In codice Vaticano scribitur *Altantidis*, ex quo facile eruitur *Pallantidis*, quo nomine (et *Pallantiadis*) Ovidium aliquoties deam illam appellasse notum est.

[redacted]

Ibd. 102 sqq. (de Venere interdum sævam naturam et speciem sumente):

> neque enim alma videri
> iam tum ea, cum reti crinem subnectitur aureo,
> sidereos diffusa sinus; eadem effera et ingens
> et maculis suffecta genas pinumque sonantem
> virginibus Stygiis nigramque simillima pallam.

Ineptæ particulæ *iam tum*, sequente præsertim *cum*, ut necessario hæc efficiatur sententia (nisi quod *iam* abundat), Venerem non tum almam videri, cum aureo reti crinem subnectat; neque his particulis recte redditur *eadem*. Una littera in simillimam mutata nascetur verum:

> neque enim alma videri
> *tantum* ea, cum reti crinem subnectitur aureo,
> sidereos diffusa sinus; eadem effera et ingens cet.

ut audiatur: *eadem videri* (etiam).

Ibd. 200 sqq.:

> Inde novam pavidas vocem furibunda per auras
> congeminat, qua primus Athos et pontus et ingens
> Thraca palus pariterque toris exhorruit omnis
> mater, cet.

Neque *Thraca* pro adiectivo (*Thracia*) positum credi potest, repugnante (si quis Gellium obiicit) constantissima poetarum Latinorum consuetudine, neque *palus Thracia* ullo modo ferri, quoniam montana ea regio et est et a poetis semper describitur, neque (duplici adiectivo) *ingens Thracia palus*. Contra cum Atho et ponto coniungitur *ingens Thraca*. Sed neque ad Athon neque ad pontum aut Thraciam aptum verbum *exhorruit* proxime cum *toris* conflatum. Latet aliud verbum sub illo *palus* nec aptius reperio quam *salit* (concutitur). Ne parum quidem peritos offendent *salit* præsenti tempore et *exhorruit* in narrando

coniuncta. *Primus Athos* non sine causa Peerlkampo mirus visus est.[1])

Ibd. 449, 450:

> citum strictis alius de cautibus ignem
> ostendit foliis et sulfure pascit amico.

Non ostendebatur ignis foliis, ut eum illa viderent, neque hominibus foliorum ope; sed, ut sulfure, ita foliis aridis supra iniectis obsternebatur et alebatur, hoc est:

> strictis alius de cautibus ignem
> *obtendit* foliis.

Ibd. 642, 643 Cyzicus rex eandem fere sententiam, quæ est apud Vergilium in his: *Nec tam aversus equos Tyria sol iungit ab urbe*, sic exprimit:

> Non tamen hæc adeo semota neque ardua tellus
> longaque iam populis inpervia lucis Eoæ.

Pro *longa* Thilo *regna* scripsit neque probabili mutatione neque quæ rectam efficeret sententiam. Scribendum erat:

> Longaque *tam* populis *inter via* lucis Eoæ.

Non tam longam viam populis lucis Eoæ (hoc est suis, Asiaticis) interiacere et eos a ceteris occidentalibusque separare dicit. Nam sic, non *populos inter via*, paulo minus apte ad sententiam, scripsisse Valerium puto, *inter* pro adverbio posito, ut *interest* intelligatur. Est enim hic proprius Valerii huius vocabuli usus, quattuor exemplis confirmatus, quorum tria apud Freundium annotata video (V, 337, VI, 220, VIII, 382), quartum est in VIII, 303: *nec longius inter, quam quod tela vetet, superest mare,*

---

[1]) V. 439, ubi perverse Samothraca vates appellatur, scribendum annotaveram, quod nunc video a Schradero præceptum:

> Hactenus in populos *vati*, Samothraca, diemque
> missa mane, sacrisque metum servemus opertis.

Sibi, vati, hactenus dictam esse vult Samothracam.

[redacted]

non recte tentatum ab Heinsio; significatur enim: *superest inter eos et intervallum facit.*

Lib. III, 75, 76:

nec, quæ regio aut discrimina, cernunt,
cur galeæ clipeique micent, num pervigil armis.

Post hos versus, quia sententia non plena sit, intercidisse versum Thilo aliis præeuntibus statuit. Nihil desiderabitur, si pro *num*, quod ferri ne suppleto quidem versu potest (nam num in armis pervigilaretur, quæri non poterat, cum id omnes viderent, sed causa incerta erat), substituerimus id nomen, quod adiectivum ipsum subiicit ac poscit:

cur galeæ clipeique micent, *nox* pervigil armis.[1])

Ibd. 223, postquam poeta Cyzicum dixit vano gaudio elatum esse, cum putaret Argonautas pulsos fugere, subiicit, ut quidem in codicibus scribitur:

tales auditus, ea gaudia fingit
ira deum.

Mendum in *auditus* manifestum non feliciter nec superiores correxerunt nec Thilo, qui *reditus* scripsit; neque enim *reditus* de fuga dici potest nec *fingere reditus* de falsa fugæ (aliorum) specie animo obiicienda. Requiritur vocabulum coniunctæ cum gaudiis significationis, nonnihil variatæ. Scribendum opinor:

tales *flatus*, ea gaudia fingit
ira deum,

ut inflata vanaque superbia significetur prorsus Valeriano usu, qui vel in hoc libro v. 631 et 699 (*non hi tum flatus, non ista superbia dictis*) perspici potest.

Ibd. 224 sqq. Cyzicus vana victoriæ opinione elatus

[1]) V. 140 ex *delicataque ora securi* faciendum esse *deiectaque ora securi*, quod apte respondet *elatæ dextræ* in v. 139, ante annotaveram, quam id in editione Bononiensi præceptum vidi.

comparatur cum Cœo Titane apud inferos libertatis spem concipiente et se relevante, tum rursus in veterem supplicii formam redacto:

fundo veluti cum Cœus in imo
vincla Iovis fractoque trahens adamante catenas
Saturnum Tityumque vocat spemque ætheris amens
concipit, ast illum fluviis et nocte remensa
Eumenidum canis et sparsæ iuba reppulit hydræ.

Neque *remensa* ullam habet sententiam neque *fluviis et nocte* ullo pacto cum *reppulit* coniungi potest. Certa et facilis emendatio locum sanabit:

ast illum fluviis et nocte *remersat*
Eumenidum canis.

Ibd. 345, 346 (de Cyzico sepulto):

Nam quia nec proles alius nec denique sanguis,
ipse decus regnique refert insigne paterni.

Sic ex Itali alicuius coniectura scribitur, non recte omissa significatione eius, ad quem, locive, quo referat Cyzicus insigne. Codices *insigne parentis*. Restituendum igitur est:

refert insigne *parenti*,

a quo ipse acceperat.

Ibd. 598 (de Argonautis Herculem constanti fide opperientibus):

At sociis immota fides austrisque secundis
certa mora est: nec parvus Hylas, quamquam omnibus æque
grata rudimenta; Herculeo sub nomine pendent.

Sic Thilo edidit, Eyssenhardtii coniecturam secutus; sed pridem intellectum erat, nec orationem nec sententiam plenam esse in illis *nec parvus Hylas*. Neque mora certa erat, sed fides. Codex Vat. *moraes*. Scribendum:

At sociis immota fides austrisque secundis

[redacted]

certa; *moræ est* nec parvus Hylas, quamquam omnibus æque
grata rudimenta; Herculeo sub nomine pendent.[1])

Ibd. 670 et 671, ubi Meleager et alios et semetipsum Herculis desiderium expleturos promittit, hi in codice Vaticano ponuntur versus:

Et ego et quocunque voces qua tegmina ferro
plura metam; tibi dicta manus, tibi, quicquid in ipso
sanguine erit, iamque hinc operum quæ maxima posco,

e quibus primi menda non latent. Et *tegmina* quidem hic aliena esse substituendaque *agmina* plures viderunt; cetera non expedierunt, quæ sic videntur scribenda:

En, ego *eo*, quocunque *vocas*. *Quanta* agmina? ferro
plura metam; tibi dicta manus, cet.

Ibd. 703 Telamon indignabundus socios, qui antea tantopere Herculem sibi prætulerant, interrogat, ut quidem in cod. Vat. scribitur, sic:

Iamne animis, iam gente pares? atque inclita vulgi
dextera?

In *atque* subesse *æque* Vossius vidit, ut ab animis et gente ad manum eadem transferretur interrogatio. Restat *vulgi*, in quo latet verbum pro nimis tenui *est* („iamne æque inclita dextera vestra est?") substitutum; fuit, opinor:

æque inclita *fulgit*
dextera?[2])

---

[1]) V. 489 vix puto ferri posse *consortem curis* pro eo, quod est *curarum*, scribendumque opinor Ciceroniano exemplo *consortem in curis*.

[2]) V. 734 restituendum e codicibus: *comitis nec fata parenti Quæ referat, videt*, hoc est, matri. Peremptusne esset Hylas an aberrasset an alio casu detineretur, Hercules ipse ignorabat.

Lib. IV, 174 sqq. Postquam hospes Argonautis in littore Bebrycio oblatus eos dehortatus est, ne Amycum peterent, sic pergitur:

Hæc ubi non ulla iuvenes formidine moti
accipiunt, dolet et dura sic pergere mente,
terga sequi properosque iubet coniungere gressus.

Ita enim hæc codices scripta habent. Primum apparet (in quo post alios Thilo aberravit, post v. 175 plene interpungens), v. 176 contineri apodosin recteque narrari hospitem, postquam nihil dehortando profici intellexerit, præcedere viæ ducem ceterosque iubere se pone sequi. In v. 175, in quo infeliciter Thilo Burmannum secutus *stat* pro *sic* scripsit, vitiosissime *dolet* ad hospitem relato, *stat* ad Argonautas, quoniam huiusmodi sententia: „videtque eos dura mente pergere" neque facile corrigendo effici potest et ignavam habet repetitionem eius, quod v. 174 dictum est, ad hanc deducimur emendationis formam, viam monstrante etiam mendoso illo *sic*:

Hæc ubi non ulla iuvenes formidine moti
accipiunt, *uellent* dura *si* pergere mente,
terga sequi properosque iubet coniungere gressus.

Neque enim *uellent* cum præsenti historico *(iubet)* coniunctum iure offendat. Si quis tamen propius ad scripturam codicum *(dolet et)* accedet, libenter cedam.

Ibd. 181 sqq., ubi describitur fœdus aspectus loci ante speluncam Amyci, hæc leguntur:

hinc (recte Ald. *hic*) trunca rotatis
brachia rapta viris strictoque immortua cæstu
ossaque tætra situ et capitum mæstissimus ordo,
respicias quibus adverso sub vulnere nulla
iam facies nec nomen erat,

in quibus manifesto corruptum est *respicias.* Nam quod enarrare conantur *si respicias*, ut omittam, quam inaniter hoc addatur, quam pravum sit *respiciendi* verbum (pro *inspiciendi*), quam non huic condicionis ellipticæ formæ in

[redacted]

hac sententia (*quibus* . . . *erat*) locus sit, vel ordo verborum totam rem prorsus evertit; debebat enim saltem dici: *quibus*, *respicias*, . . . *nulla facies erat*; ante relativum poni nullo pacto condicio illa poterat. In codice Vat. est *respiceas*. Ex unius litteræ *e* indicio emergit veritas:

et capitum mæstissimus ordo
per piceas, quibus, cet.

Arboribus circa crescentibus affixus erat ille ordo (et hoc ipsum ordinis nomen significat); arborum certa species a poeta ponitur.[1])

Ibd. 240 (ubi Amycus Pollucem alloquitur):

Quisquis es, infelix celera puer; haud tibi pulchræ
manserit hoc ultra frontis decus orave matri
nota feres.

Non celerare iubet ad interitum, sed irridens miseratur:

Quisquis es, infelix *celeras*, puer.

Ibd. 252:

Dixit (Amycus) et urguentis post sera piacula fati
nescius extremum hoc armis innectere palmas
dat famulis.

Si piacula scelera appellarentur, non sera, sed longa et multa erant; nunc apparet, exsoluta dici scelerum piacula, sed sero, quæ multo ante debuissent; itaque non *post* piacula fatum urguebat, sed piacula urguebat et propinqua admovebat, eheu, sera:

urguentis (*pro*, sera piacula!) fati.

Ibd. 449:

consuetis serum est ex ordine fatis
ingemere.

---

[1]) V. 218 e cod. Vat. restitutum oportuit a Thilone:
Nec lacrimæ (ne ferte preces!) superive vocati
pectora nostra movent.

Ridicule et *consueta* fata Phineus appellat, quorum ne similia quidem quisquam passus erat, et *consueta ex ordine.* Loquitur de præteritis iam et sensim exhaustis:

consumptis serum est ex ordine fatis
ingemere.

(Paulo ante v. 439 in *rebar sic*, quorum neutrum tolerabile est, puto subesse perfectum (in *si* cadens), quod computandi significationem vicinamve habeat, sed ipsum non reperio; nam *digessi* nimis discedit, *decerpsi* non satis aptum est.)

Ibd. 474:

Teque, ait, iniusti, quæ nunc premis, ira Tonantis
ante precor, nostræ tandem iam parce senectæ.

Hærent in *ante*: sed aliud est incommodum; neque enim Phineus Tonantem, cuius iram submisse deprecatur, iniustum appellare potest. Scribendum est, sublata permutatione non rara:

Teque ait, *iniuste* quæ *non* premis, ira Tonantis,
ante, precor, nostræ tandem iam parce senectæ.

Concedit antea non sine causa iratum fuisse Iovem; nunc (*iam*) tandem senectæ venia ut detur, precatur. *Premis ante* præsenti tempore dixit de ira etiamnunc durante.

Ibd. 601:

Proxima Thermodon hic iam secat arva.

Opinor fuisse: *Proxima . . . hinc.*

Ibd. 714 sqq. (de ponto Euxino):

Non alibi effusis cesserunt longius undis
litora, nec tantas quamvis Tyrrhenus et Ægon
volvat aquas, geminis et desint Syrtibus undæ.

Secundi versus vitium manifestum est; sed infeliciter rem gesserunt, qui primum pro *et desint* violenter *nec desint* scripserunt, deinde *quamvis* certatim tentarunt, quod non solum coniunctivi tuentur, sed apertissime sententia, quæ hæc est, etiamsi alteri mari aliquid concedatur, tamen

[redacted]

non vinci in comparando pontum Euxinum. Magnam partem veri vidit Fr. Iacobsius, qui pro *tantas* scribendum coniecit *iunctas*; sed retento *nec* structuram rectam non effecit, et in altero membro minus bene ei res successit. Absolvetur, opinor, emendatio, nec ultra ægram partem medicina progredietur, si sic scripserimus:

Non alibi effusis cesserunt longius undis
litora, *coniunctas* quamvis Tyrrhenus et Ægon
volvat aquas geminis et desint Syrtibus undæ.

Etiamsi mare Tyrrhenum et Ægæum in unum contrahantur iisque ad augendum spatium longitudinis (sive latitudinem dicere malis) adiungantur undæ, quæ Syrtes tegant, inde retractæ, æquatura tamen hæc poeta negat ponti Euxini longitudinem. Quam hoc geographorum rationibus congruat, non quærimus, quoniam et veterum in dimetiendo ponto Euxino opiniones valde discrepabant, et poeta etiam liberius rem auxit.

Lib. V, 484 sqq.:

Sceptra tui toto Pelias sub nomine Phœbi
maxima sorte tenens totque illa cremantia divos
oppida, tot vigili pulcherrima flumina cornu,
ille meum imperiis urguet caput.

Non sub *nomine*, sed sub *lumine* Phœbi regna et sceptra Peliæ maxima fuisse, iam Sabellicus vidit; utrum *toto sub lumine Phœbi* an *tui occiduo . . . sub lumine Phœbi* poeta scripserit, non definio. Certius videtur, proximo versu scribendum esse *totque illa p r e c a n t i a divos Oppida*, nec quidquam præterea movendum.[1])

Ibd. 628 (in Martis apud Iovem de Minerva querela):

[1]) V. 197 recte Iason se dicit *tot freta, tot dure properantia sidera passum*, hoc est, tot dies cum ærumnis et laboribus euntes.

Num queror, exstructa quod vexerit ipsa carina
vellera sacra meis sperantem avertere lucis,
quodque palam tutata viros? Sic cetera pergat,
si valet.

Non potest Mars negare se id queri, quod vel maxime queritur. Scribendum est, sublata interrogatione:

Nunc queror,

cui respondet illud *sic cetera pergat*; plura mox Palladem molituram esse sibique querenda fore significat.

Ibd. 671 (ubi Palladis responsum finitur):

Fas aliquæ nequeat. Sic femina. Cœperat ardens
hic iterum alternis Mavors insurgere dictis.
Excipit hinc contra pater, cett.

Æstuant editores in primis verbis, quæ sane absurdam habent sententiam; illud non animadvertunt, perversissime poetam ipsum sic induci de dea loquentem: *Sic femina.* Quo animadverso cum apparuerit, hæc quoque duo verba Palladis esse, exoritur clarum toti loco lumen. Scripserat enim poeta:

Mas aliquæ nequeat, *si* femina!

Æquum Minerva censet, si deæ non omnia efficere possint, esse etiam, quæ di efficere nequeant, utiturque in hac sententia propriis sexuum nominibus. Nam *aliquæ* neutro genere ausum esse Valerium dicere puto nec *aliquid* substituo. V. 673 *hunc* pro *hinc* ponendum puto.

Lib. VI, 285 Gesander rex Iazygas hortatur:

Aut mecum mediam, iuvenes, agite, ite per urbem
Argolicamque manum aut caris occumbite natis.

Postrema verba recte emendavit Carrion: *aut claris occumbite fatis.* In prioribus quid esset vitii, Heinsius sensit, sed violenter mutando aberravit. Neque enim agitur de urbe Ææa intranda, quod non recte significaretur verbis *ite per urbem*, neque apte coniungitur urbs Argolicaque manus, quasi hæc una urbem defendat; perrumpi et

[redacted]

Ææam et Argolicam manum Gesander vult, ut ad urbem veniatur. Scribendum igitur:

ite per *urbis*
Argolicamque manum.[1])

Ibd. 385:

aut ut machina muri,
quæ scopulis trabibusque diu confectaque flammis
procubuit tandem atque ingentem propulit urbem.

Recte Heinsius intellexit, neque machinam de muro delabentem ipsam urbem evertere neque ullo modo *urbem propellere* dici posse, quasi protrudatur et porro agatur. Sed coniectura usus est non bona; nam umbra simul cum machina ipsa mota nihil ad casum describendum admodum pertinet, neque ea propellitur. Una littera mutanda videtur, ut sit:

ingentem propulit *orbem.*

Omnia enim, quæ circa sunt, quoquo versus in orbem disiicit et propellit machina prolapsa. (V. 382 restituendum est e codicibus *gravior nutuque carens,* hoc est, nondum nutans, sed firmiter stans. Post demum cadit et ruit.)

Ibd. 449:

Ergo opibus magicis et virginitate tremendam
Iuno duci sociam coniungere quærit Achivo.

Virginitas Medeam tremendam non sane faciebat nec quicquam ad eius potentiam pertinebat. Scribendum videtur:

et virga atque arte tremendam.

Virgam magicam significari certum est; in ceteris litteris potest latere participium. (Heinsius, cum mendum animadvertisset, adscripserat: *et dira . . . arte tremendam,* tentata, non perfecta emendatione.)

---

[1]) V. 313 scripseram *omnis,* ut Kochius.

Ibd. 600:

Tantum effata magis campis intendere suadet,
dum datur, ardentesque viri percurrere pugnas.

Medeam Iuno sub Chalciopæ sororis specie latens hortatur, ut oculos intendat in campos et Iasonis pugnas contempletur. *Intendere libro* de attenta lectione Plinius minor dixit (VIII, 19) usu perraro; (nam *intentus rei* suam habet legem;) *intendere loco*, *campis* de intente contemplando qui dixerit, novi neminem, putoque scriptum a Valerio esse:

Tantum effata *aciem* campis intendere suadet.

Lib. VII, 32, 33:

Ille autem iam iam vultus vocesque paratas
ante aperit rumpitque moras inque ipsa morantis
prosilit ora viri talique effunditur ira.

Sic editur coniectura, ut Æetes vultus suos vocesque iam ante paratas aperuisse dicatur. Sed in hac sententia *iamiam . . . ante* pro *iam ante* non recte ponitur. Et codex Vat. habet *parentem*, supra prius *e* scripto *a* (apographa *parantem*). Recte igitur Heinsius Iasonem, qui, sacris occupato Æeta, modeste tacuerat, iamiam vultus vocesque parantem (nunc ipsum loqui parantem) significari putavit. Sed *ante capit* longius discedit, videturque potius scriptum fuisse:

parantem
Antevenit.[1])

Ibd. 156:

Quando ardor hebet, leviorque pudori
mensque obnixa malo, tenues sublimis in auras
tollitur (Iuno).

Hæc neque structuram verborum tolerabilem habent neque sententiam, pravissimeque ex malo (et morbo animi,

[1]) V. 20 scripseram *huc* ut nunc Schenkl.

[redacted]

amore) et pudore ei repugnante conficitur malus pudor. Scribendum est:

Quando ardor hebet leviorque *pudorest*
mensque obnixa malo, cet.

Et *pudore* Vossius; sed tamen in ceteris aberravit. Mox v. 159 lacuna ex syllabarum vicinarum similitudine orta sic explenda videtur:

Sum memor, ut tecum *sim tum* partita laborem.

Tum, ut apud Græcos sæpe *τότε*, idem est fere atque *paulo ante*, „tempore, quo nosti".

Ibd. 259 sqq. Venus Circen mentita sic Medeam alloquitur:

Cum levis a superis ad te modo laberer auris,
forte ratem primo fugientem litore cerno,
qualem nostra suo nunquam dimittere portu
vellet, adhuc omnes quæ detinet insula nautas.

Circe non *ab* auris lapsa erat, sed per auras; codex Vat. habet *levis asperis*, e quo faciendum *levis aeriis*. Deinde, quoniam non fugiebat Argo, sed in ancora stabat quieta, Argonautis pro urbe pugnantibus, aut cum Heinsio *fulgentem* aut potius *fluitantem* scribendum est. Sed restat maior difficultas. Neque enim ullo pacto ad Argo laudandam aut omnino aliquid, quod eius proprium sit, indicandum pertinet, quod talem navem Circes insula dicitur nunquam portu dimissura, quæ adhuc omnes nautas retinuerit; ita enim prorsus eodem loco, quo ceteras omnes naves, Argo Circe et insula habituræ sunt. Manifestum est, tam egregiam dici Argo, ut in eiusmodi nave Circe gloriandi causa aliquando a sua consuetudine discedere parata sit. Atque huic uni sententiæ aptum est *vellet* (möchte). Scriptum sine dubio a poeta fuerat:

qualem nostra suo *nonnunquam mittere* portu
vellet, adhuc omnes quæ detinet insula nautas.

Ibd. 317 sqq. (de Medea inter contrarias sententias fluctuante):

Sæpe suas misero promittere destinat artes,
denegat atque una potius decernit in ira.

Pro *denegat* recte Dorvillius *dein negat*; pro *in ira*, quod eo manifestius est corruptum esse, quod v. 316 terminatur voce *ira*, Heinsius substituit *in hora*; sed alienum ab hac sententia est *potius* (pro quo alius *totiens*); neque *decernere* recte dicitur de ea, quæ in diversas partes et sententias iactatur. Retinenda reliqua, quæ nullam mendi suspicionem habent (*atque una potius decernit*), quærendumque, quod ad *potius decernit* aptum sit et ab illo *in ira* ex superiore versu huc delato deiectum suo loco putari possit. Id huiusmodi esse videtur:

atque una potius decernit *obire*.

Et in *ira* et *obire* facilis error erat.

Ibd. 519 sqq.:

Sævior ingenti Mavortis in arbore restat,
crede, labor; quem — tanta utinam fiducia nostri
sit mihi nocturnæque Hecates vestrique vigoris.

Sic Thilo Burmannum secutus verba interpunxit, ut abruptus sermo esset. Quæ abruptio hoc loco neque ullam affectus et animi alio conversi causam habet neque ullam in ceteris notam, et prorsus ridicula est, quoniam eadem ipsa, quæ abrumpi fingitur, continuatur sententia. Sed præterea quæro, quo referatur *tanta*; nam sine ulla comparatione sibi fiduciam in ea, quæ supersint, Medea optat. Scribendum igitur censeo:

quæ in tanta utinam fiducia nostri
sit mihi, cet.

Ab uno *laboris* nomine transit ad universam rerum ei coniunctarum significationem (in quas tantas res). Potest huius scripturæ indicium videri esse in Vaticano, in quo scribitur *quaem*, quod VIII, 189 pro *quæ* ponitur.

Ibd. 547 pro *in flammas*, quod apparet ex proximo versu in hunc irrepsisse, substituitur *in glebas*. Mihi et

[redacted]

rarius vocabulum facilius loco cessisse videtur et ad rem multo aptius esse:

Vos mihi nunc primum in *liras* invertite, tauri,
æquora.

Ibd. 640 (de viris e terra natis in se irruentibus, cum Iasonem se petere putarent):

Omnis ibi Æsoniden sterni putat, omnibus ira
talis erat.

Ignavum et perversum *talis*; qualis enim ira significata est? Et vitium alii senserunt, in corrigendo aberrarunt et a vestigiis scripturæ et ab apta sententia. Scribendum videtur:

omnibus ira
Falsa errat.

Lib. VIII, 7, 8 cod. Vaticanus:

crinemque genasque
ante per anticarsit vestigia somni.

Editur *per antiqui carpsit*; faciendum potius videtur:

ante per antiqui (antici) *rasit* vestigia somni.

Radere genas notum est in luctu proprie et antique dici.

Ibd. 67:

Ille silet, tantus subiit ut virginis horror.

Inane esse *tantus* iam Heinsius sensit; sed prava prorsus temporis significatio est (*ut*). Scribendum:

Ille silet, *tacitus* subiit *et* virginis horror.

Tacitus Heinsii est.

Ibd. 285, 286:

Dixerat atque orans iterum ventosque virosque
Perque ratis supplex et remigis vexilla magistris.

Sic codex V., præter alia menda altero versu fracto et mensuram excedente. Pro *atque* Aldus *itque;* in *uexilla* subesse *vox illa* plures viderunt, modo ne verbis traiectis et huius mendi originem obscurassent et cetera fecissent mendosiora. Sublata voce, quæ addita reliqua perturbavit, scribendum est:

Dixerat itque orans iterum ventosque virosque,
perque rates *it remigii vox illa* magistris.

Absyrtus in sua nave ibat ventos et viros obtestans, eaque orantis vox per omnes naves ivit et evagata est ad remigii magistros. In ipsa geminatione verbi *it* elegantia quæsita est.[1])

Statium quoque cognoscere officii mei duxi; ad perlegenda scripta hominis ingenii et veri affectus sterilitatem inani tralaticiorum ornamentorum fuco occultantis et sententiarum elocutionisque, dum omnia, quæ imitatur, variando, exaggerando, longius ab origine transferendo superiacere studet, obscuro et difficili tumore fastidium moventis patientia defuit. Itaque legi Thebaidos quattuor libros, silvarum duos, cetera pervolutavi tantum. In iis, quæ legi, etsi caute omnia attingebam (facile enim intelligebam permulta sibi Statium permisisse, quæ apud alios incredibilia viderentur, velut initio statim libri primi Thebaidos v. 22 *defensa bella Iovis* de defenso templo Iovis contra bellum inferentes), cum præsertim exiguo et parum, quod ad codices attinebat, certo instrumento uterer (quod nunc in priore Thebaidos parte multis partibus locupletius

---

[1]) Extremo libro (qualis quidem nunc superest) recte vidit homo alioquin non sane criticæ artis peritus, Lemærius, versum, qui in codice Vaticano subiicitur versui 459, post v. 440 ponendum esse sine ulla mutatione, ut sic Medea dicat:

O utinam ergo meus pro te non omnia posset
atque aliquid dubitaret amor! Quin nunc quoque quære,
quid iubeas! Heu, dure, siles, magnumque minatur
nescio quid tuus iste pudor.

Adeo se nihil Iasoni negare posse dicit, ut vel nunc quærere iubeat, quid fieri velit, parata ad faciendum. (Præparatur iam Absyrti cædis postulatio et executio.) Deinde veretur, ne Iasonis pudor iubendi magnum aliquod malum portendat.

[redacted]

O. Muelleri opera factum est), tamen pauca quædam emendavi, quorum nonnulla post intellexi ab aliis occupata (ut Theb. I, 480 *lassatis* ab Heinsio, *tandem* a Peyraredo, 704 *parentis* iam a Barthio); iis, quæ restant, unam et alteram paginam non invidebo.

Theb. I, 266 sqq.:

Quod si prisca luunt auctorum crimina gentes,
subvenitque tuis sera hæc sententia curis,
percensere ævi senium, quo tempore tandem
terrarum furias abolere et sæcula retro
emendare sat est?

Non quæritur, quando emendatio fiat, sed quam longe retro agatur. Scribendum est:

percensere ævi senium, *a* quo tempore tandem, cet.

Ibd. 630, 631 (Apollo):

pestifera arma iacit camposque et celsa Cyclopum
tecta superiecto nebularum incendit amictu.

Campos et montes superiecto nebularum amictu *incendi* adeo est contra rerum naturam, ut ne Statio quidem in mentem venire potuerit; nec sane hoc loco omnia luxisse, sed tristibus tenebris obducta poeta significat, eaque sententia una littera mutata restituetur:

nebularum *intendit* amictu.

Montes tenebris et nebularum amictu intenduntur, ut tabernacula velis, locus sertis.

Lib. II, 235:

Tunc ora rigantur honestis
imbribus et teneros lacrimæ iuvere parentes.

Ferri nequit *parentes*, quoniam neque matrem Argiæ vivam fingi totum poema clamat, neque pater senex tener appellari poterat. Neque quicquam Muelleri sententia perversius, Tydeum et Polynicen significari, qui nondum mariti, nedum parentes erant; neque quisquam antiquus poeta eos *teneros* appellasset. Scribendum esse *pavores* (ut *tener dolor* Argiæ v. 353 appellatur), non dicerem,

quoniam nunc video sic Barthium scribi voluisse, nisi Muellerus, cui huius rei indicium debeo, aberrasset.

Ibd. 251 sqq.:

Innuptam lumine adibant
Pallada, Munychiis cui non Argiva per urbes
posthabita est Larissa iugis.

Quid sit h. l. *per urbes* neque ego intelligo neque Lachmannus videtur intellexisse, qui *Phoronei* scribendum coniecit. Mihi in mentem venerat, quod nunc video esse in codice Bambergensi (sed supra scripto *u*), *per orbes* vel potius *per orbem*, ut significaretur Palladem per grata sibi templa orbe quodam et ordine migrare eaque invisere.

Ibd. 430 sqq. ubi Eteocles Polynici per Tydeum legatum respondet:

Te penes Inachiæ dotalis regia dono
coniugis, et Danaæ (quid enim maioribus actis
invideam?) cumulentur opes.

De actis non agitur, nec ea cum Danaæ opibus coniuncti quicquam habent. Scripserat, ut opinor, Statius:

quid enim maioribus *aulis*
invideam?

Maiorem ditioremque Polynicis esse aulam æquo se animo ferre ait. *Aulas* et *acta* etiam alibi scribendo commutata memini.[1])

Ibd. 475 (de apro cuspide penitus intrante perfosso):

Te, Meleagre, subit; ibi demum cuspide lata
hæsit et obnixo ferrum laxavit in armo.

Scribendum *lassavit.* Longe aliter silv. V, I, 199 (qui locus a Muellero citatur) iuvenis ferrum laxare dicitur,

---

[1]) V. 322 pro *consilio* annotaveram *consilium* genetivo casu (*nubem consilium*) scribendum esse. Nunc in Puteaneo repertum video *consilii*; itaque eo genetivo contentus sum.

id est, e capulo educere, et Theb. VII, 353 deus pharetras laxare, hoc est, efficere, ut minus sagittis stipatæ sint.[1])

Ibd. 559:

Saxum ingens, quod vix plena cervice gementes
vertere humo murisque valent inferre iuvenci.

Nihil omnino ad rem pertinet plena cervix; necessarius est iuvencorum numerus, certissimumque, Statium scripsisse:

quod vix *dena* cervice gementes

Cfr. (post Vergil. Æn. V, 120 et X, 207) *novena lampade* silv. I, 2, 4, *septeno gurgite* Lucan. VIII, 445, *terna cervice* Sil. Ital. I, 279 (XI, 490), *centeno consule* Martial. VIII, 45, 4.

Ibd. 604 sqq.:

spicula divellens, clipeo quæ plurima toto
fixa tremunt armantque virum, sæpe aspera passum
vulnera, sed nullum vitæ in secreta receptum,
nec mortem sperare valet.

Perverse de Tydeo, qui acerrime vitam defendebat, tanquam de perire studenti dicitur: *nec mortem sperare valet*, ne quid dicam de sententiarum et verborum iunctura (*tela armant virum*, *vulnera passum*, *sed nullum in secreta vitæ receptum*, *nec ... valet*). Scribendum est:

sed nullum vitæ in secreta receptum
nec mortem sperare *valens*.

Prorsus Statiano acumine et audaci translatione vulnus ipsum mortem vulnerati cupere ac velle fingitur, vulnusque non mortiferum mortem sperare non posse dicitur. De genere hoc translationum apud Statium dixit breviter Muellerus ad Theb. V, 160 (etsi de illo loco dissentio), suntque exempla frequentia. (*Passus*, quod in v. 605 Muellerus recepit, defendi nulla arte potest.)

---

[1]) Quod v. 546 necessario requiri credideram *putans*, video apud Muellerum afferri e „cod. anonymo".

Ibd. 672:

clipeum nec sustinet umbo
mutatum spoliis,

hoc est, hastis hostium infixis et exceptis. His *mutatum* clipeum perverse dici, plures intellexerunt; sed quæ substituunt, nec aptissima sunt nec vestigiis codicum propinqua. Puto fuisse, quod alibi quoque eodem modo depravatum est, *mulcatum spoliis.*

Lib. III, 100 sqq. (de libera Mæonis contumacia erga Eteoclem):

qui cominus ausus
vadere contemptum reges, quaque ampla veniret
libertas, sancire viam.

Nihil est *vadere contemptum reges* pro eo, quod est *reges contemnere*, multoque minus dici potest *cominus vadere contemptum.* Unum regem Mæon contempsit. In codicibus omnibus, quorum aliquod est momentum, scribitur *regis.* Emendatio perspicua est:

qui cominus ausus
vadere *contemptim regi.*

Libri quarti unum locum attingam. Nam v. 697 et 698, ubi nymphæ, Baccho, ut fluvios fontesque siccent siccarique patiantur, rogante iubenteque, eius voti imperiique vim in se ipsæ statim sentire finguntur, sic scribitur:

Dixerat. Ast illis tenuior percurrere visus
ora situs, viridisque comis exhorruit humor.

Pro *exhorruit* recte Schraderus *exaruit.* Sed *situs* neque ipse cum ariditate coniunctus est neque ora percurrit et, si quid ad hanc rem pertinet, nunc nascitur et augetur, non minuitur. Atqui rem minorem, quam ante fuit, factam necessario significat restitutus iure e codicibus (Bambergensi et recentiorum archetypo) comparativus *tenuior* (*tenvjor*), qui nullo modo pro positivo poni potuit (*tenuior percurrit*). Subest igitur aliud nomen, scriptumque fuisse puto:

tenuior percurrere visus
ora *sinus*,

ut contractæ fauces et ora angustata dicantur.[1]

Transeo ad paucissima e silvis attingenda. Nam Lib. I, 3, 23, ubi editur:

ceu placidi veritus turbare Vopisci
Pieriosque dies et habentes carmina somnos,

necessario scribendum puto: *et alentes carmina somnos*; neque enim in somnis canebat Vopiscus, sed reficiebatur ad carmina, cum vigilaret, facienda.

Ibd. 43:

An, quæ graminea suscepta crepidine fumant,
balnea et impositum ripis algentibus ignem?

Non suscipiuntur, opinor, balnea crepidine, sed *suspensa* hærent.

Ibd. 48 sqq.:

labor est auri memorare figuras
aut ebur aut dignas digitis contingere gemmas.

Neque *dignus contingere* est *qui contingatur*, sed *qui contingat*, neque hæc laus ulla est, dignas esse gemmas, quæ contingantur. Scripserat Statius:

dignas *digitos* contingere gemmas,

hoc est, dignas, quæ tam pulchros et elegantes digitos contingant et iis gestentur.

Ibd. 90:

Scilicet hic illi meditantur pondera mores.

---

[1]) V. 665, si Statius sanæ rationi aliquid tribueret, necessario scribendum dicerem: *et solis radiis ignescere ferrum.* Nunc ferri radios et in iis, dum eliciuntur, ignescentem solem fero conorque utcumque animo concipere. Lib. V, 179, quamvis sim patiens et vim mihi faciam, cogor requirere: *sustinuit, dum fata dabant* (quamdiu potuit) pro eo, quod scribitur: *dum fata vetant.*

In his nullam esse sententiam Marklandus aperte dixit, ceteri tacendo fatentur. Scribendum videtur:

Scilicet hic *nulli* meditantur pondera mores.

Negat poeta ibi mores ad pondus et speciem quæsitam gravitatis componi.

Ibd. 6, 24:

Non tantis Hyas inserena nimbis
terras obruit aut soluta Pleas,
quali per cuneos hiems Latinos
plebem grandine concutit serenam.

Describit Statius bellaria similiaque munuscula in theatro spectatoribus desuper sparsa. Eam ludens grandinem appellat, non minus copiosam, quam sit verus imber, sed serenæ hiemis, quæ contraria est inserenæ Hyadi. Scribendum est igitur:

grandine concutit *serena*.

Plebis nulla serenitas erat.

Lib. II, 1, 56:

Quis tua colloquiis hilaris mulcebit amatis
Pectora?

Scrib. *amatus*; colloquia enim hilara sunt amati pueri, non amata.

Ibd. 2, 137:

pariterque his largus et illis
ac iuvenile calens plectrique errore superbus.

Neque *plectro* neque plectri errori (qui quis sit, intelligi omnino nequit) hic ullus locus est, sed restituendum manifesta emendatione:

patriæque errore superbus,

hoc est, quod nesciebas, utram ex duabus potius patriam tuam putares. Significatur enim ipsum id, quod ante dictum est:

Tempus erat, cum te geminæ suffragia terræ
Diriperent celsusque duas veherere per urbes.

[redacted]

Ibd. 3, 70, 71:

Idem auri facilis contemptor et optimus idem
Comere divitias opibusque immittere lucem.

Perspicuum est, scribi debere *promere divitias.*[1])

Ibd. 6, 4 sqq.:

Durum et deserti, prærepta coniuge, partem
conclamare tori; mœsta et lamenta sororum
et fratrum gemitus; arcte tamen et procul intrat
altius in sensus maioraque vulnera vincit
plaga minor.

Nihil est *arcte.* Scribendum:

et fratrum gemitus *acres*; tamen et procul intrat cet.

Mœsta lamenta sororum, acres gemitus fratrum concinne comparantur.

Ibd. 50:

Sæpe ille volentem
castigabat herum.

Quid volentem et quid eiusmodi, ut castigandus esset? Statius *dolentem* posuerat. (In priore parte versus iniuria hæsit Marklandus. Pueri virtutes multam carminum materiam habere dicuntur. De huius carminis v. 64 dictum est voluminis prioris p. 149.)

Ibd. 82:

Non sævius atros
nigrasset planctu genetrix tibi sæva lacertos.

Scribendum necessario:

Non *sæpius atro*
nigrasset planctu genetrix *sibi* sæva lacertos.

(quam tu tibi nigrasti). Adiectivi prolepsis advocari in *atros* nequit; nam in illa adiectivum effectum verbi significat, non ipsum id, quod in verbo inest. Luditur in atro

---

[1]) V. 53 annotaveram *imitata.* Præceperat Marklandus, ut 2, 143 *vivite securi.*

planctu lacertos nigrante. *Sæpius* Barthii est. Genetrix sæva est, quæ in se plangendo sævit. (Propter Marklandum dico.) [*Sibi* Schraderus.]

Ibd. 7, 58, ubi Calliope, quæ Lucanus carminibus tractaturus sit, prædicit, hærent in Neronis persona, ut videtur, subito pro Lucano substituta, et, aliis frustra tentatis, ad extremum versum vi tollunt. Oratione rectius interpuncta apparebit sententia:

Et sedes reserabis inferorum
(ingratus Nero!) dulcibus theatris,
et noster tibi proferetur Orpheus.

Nero Lucani Orphea in scena cantaverat; itaque in poemate significando Statius simul indignatur, ingratum fuisse imperatorem, qui Lucanum interfecerit.

Ibd. 128 sqq.:

Ac solatia vana subministrat
vultus, qui simili notatus auro
stratis prænitet incubatque somno
securæ. Procul hinc abite mortes;
hæc vitæ genitalis est origo.

Neque uxor, cuius luctum in somnis mariti imago consolatur, secure dormire ullo pacto dici potest, neque (quo modo olim interpungebatur oratio) securæ mortes appellari. Sed, in quo non hæsisse videntur, qui hunc locum attigerunt, quæ sunt illæ (plurali numero) mortes, hoc quidem loco et in hac sententia? Una littera addenda est, una mutanda:

incubatque somno.
Sed curæ procul hinc abite *mortis!*
Hæc vitæ genitalis est origo.

In epistola, quæ secundo silvarum libro præponitur, paulo ante finem scribendum sic est: *quia honorem eius tibi laturus acceptum est. Cludit volumen genethliacon Lucani* cet. (Editur: *laturus acceptum. Excludit*), in tertii libri epistola paulo post initium *exposcas* pro

expaveas (nam *rarissimum* pro *amarissimum* iam Barthius); in quarti media: *tuum quidem etiam condiscipulum, sed mihi* citra (pro *contra*) *hoc quoque ius arctissime carum*, id est, sine hoc iure condiscipulatus; in eadem extrema: *Hunc tamen librum tu, Marcelle,* de*fende*, *sed*, *si videtur, hactenus, si nimis reprehendemur* (editur: *defendes. Et, si...hactenus, sin minus, reprenhendamur*). Contra nimiam tantum reprehensionem defendi se cupit, lenem et mediocrem æquo animo subiturus.

Silii Italici Punicorum tantum partes legi easque celerrime, partim cognoscendæ universe formæ poematis causa, partim narrationem rerum cum Livio comparans. In qua legendi celeritate si qua tamen, cum uno exemplo Bipontino uterer, occurrerunt mendi manifesta, emendatu facilia, eorum correctiones fere ubique ab aliis occupatas postea, maioribus editionibus inspectis, vidi, neglectas tamen plerumque etiam a Rupertio (velut omnium apertissimam et facillimam VIII, 318 *indevia recti pectora*, ubi tantum litteræ prave dividuntur). Itaque tantum, ne plane sine symbola Silius transmittatur, duos libri primi locos attingam. Nam v. 36, ubi sic edebatur:

Dux agmina sufficit unus
turbanti terras pontumque movere paranti

(Iunoni), recte intellectum est, non agi de Hannibale agmina Iunoni sufficiente, hoc est suppeditante (quasi agminibus Iuno eguerit, quæ ipsa duceret, ac non pacis fœderumque violatore), sed de Hannibale uno toti rei sufficiente. Itaque nunc editur, codicis etiam perboni auctoritate, *terra*, ut Iunoni *agmina turbanti* sufficere dicatur, ne id quidem recte aut tolerabiliter. Neque enim agmina, quæ etiamtum nulla erant, aut potius exercitus Iuno turbavit, quod intelligi debet de concitandis movendisque, sed usu loquendi aliud significat. Scribendum sine dubio est:

Dux *omnia* sufficit unus
turbanti terra pontumque movere paranti.

Apte *omnia* et *unus* inter se respondent.

V. 208 in Atlantis descriptione editur:

Tum geminæ laterum cautes maria alta fatigant,
atque, ubi fessus equos Titan immersit anhelos,
flammiferum condunt fumanti gurgite currum.

Sed in hac scriptura nulla arte vitari potest, quin cautes solis currum condere dicantur, quod absurdum est; neque enim in hac orationis forma (*fatigant atque...condunt*), quod prioris verbi obiectum est, posterioris subiectum fieri potest. Scripserat Silius:

Tum *geminas* laterum cautes maria alta fatigant.[1]

Iuvenalis satiras tractavi iuvenis diligenter, ut tamen enarrando magis quam emendando (etsi hoc quoque) iis subvenirem; nec nunc habeo, quod ex hoc posteriore genere additum velim (quoniam de recto scripturæ codicum delectu iam non quæro) nisi de uno loco. Nam in sat. X v. 311 sqq., ubi in codice Pithœano mendose sic scribitur:

Fiet adulter
publicus et pœnas metuet, quascumque mariti
irati debet, nec erit felicior astro
Martis, ut in laqueos nunquam incidat,

ceteri autem codices manifesto interpolati sunt, quoniam in Rigaltii et Lipsii coniecturis, quæ solæ vestigia veteris scripturæ persequuntur (*maritis iratis debet* aut irati *debent*), tamen et *mariti* improbabiliter mutatur et ipsa sententia parum apta aut elegans est (*metuet pœnas, quascumque debet*), primum efficitur verum et aptum sententiæ sub-

---

[1]) Eiusdem libri v. 647 scribendum est: *vestras se effringet in urbes.*

[redacted]

iectum, *mariti ira,* eoque invento scribendum, ni fallor, apparet:

quascumque mariti
ira sibi debet,
et sine quibus sibi non satisfactum putat.

Martialis pleraque legi, sed alia alio tempore, carptim omnia cursimque, ut raro insisterem nec fere quicquam aut tentarem aut annotarem. Invenio tamen in marginibus pusilla hæc, quæ non premam.

II, 59, 3:

Frange toros, pete vina, rosas cape, tingere nardo;
ipse iubet mortis te meminisse deus.

Frangere toros de accumbendo et convivio ineundo dici non puto scribendumque potius *frange moras.* (Fuit, qui vellet *scande toros.*)

III, 26, 5:

Omnia solus habes — hoc me puta velle negare! —
uxorem sed habes, Candide, cum populo.

Puta non potest ironice dici pro eo, quod est *putasne.* Scribi debet:

Omnia solus habes, *nec* me puta velle negare;
uxorem sed habes, Candide, cum populo.

Desiderari *nec* iam alii senserant.

III, 54:

Cum dare non possim, quod poscis, Galla, rogantem,
multo simplicius, Galla, negare potes.

Fuit: *Quod* dare non possim, *cum* poscis, Galla, rogantem, cet.

(Nihil in epigrammate obsceni est.)

V, 20, 10 sqq.:

Hæc essent loca semper, hi labores.

Nunc vivit necuter sibi bonosque
soles effugere atque abire sentit.

Sic Schneidewinus, nova voce non recte ficta; nec sibi vivere Martialis negat se et amicum, sed vivere. Boni codices habent: *Nunc vivit nec ut eius scibo bonosque.* Scripserat Martialis:

Hæc essent *ioca* semper, hi labores.
Nunc *vivi necem* uterque *scit* bonosque
soles effugere atque abire sentit.

Necem hanc vere, non vitam, dicit esse.

Addam, in epistola, quæ libro secundo præponitur, scribendum esse: Video, *quare tragœdiæ atque comœdiæ epistolam accipiant*, ubi editur *tragœdi atque comœdi*. Histrionibus neque epistula opus erat, neque ii cum epigrammatis comparari poterant. Tragœdiæ et comœdiæ, quæ non ipsæ, ut epigrammata, *προσφωνεῖν*, cui mittebantur, poterant (in ipso contextu poematis), epistula commendandæ erant.

Liber VII.

Cap. I.

M. Varro.

Prosæ orationis scriptorum Latinorum agmen M. Varro (quoniam Catonis de re rustica libellum leviter tantum attigi) ducet. Eius libri de lingua Latina propter ipsum Varronis horridum durumque dicendi genus et propter argumenti scribendique formam, neque perspicuo sententiarum tenore connexam et omnis generis fragmentis antiquioribus distinctam, et propter codicum fortunam, dum raro et longis intervallis describuntur, quam sint omni genere mendorum corrupti, nemo ignorat. Ad ea menda post Aldi, Vertranii, Turnebi, Scaligeri, Scioppii operam via ac ratione, quantum fieri potest, tollenda materiam collegerunt signumque extulerunt nostra ætate L. Spengelius et C. O. Muellerus, hic quidem (quoniam Spengelii viriles maturæque curæ maximam partem adhuc in scriniis latent) ipse longius in exsequenda emendatione progressus. Qui quæ de prima Varroniani operis editione minus considerate dixit et Lachmanno probavit, ea nunc refellere omitto; nam et a rei librariæ apud veteres consuetudine et condicionibus abhorrent, et operis formæ eorumque, quæ in eo

propagando acciderunt, ratio facile sine ista coniectura reddi potest ex ipso Varronis ingenio minime incondita spernentis et ex iis, quas supra dixi, causis.[1]) (In una suspicionis parte quis Muelleri fuisset error, dixi in altera Ciceronis librorum de finibus editione, excursu IV extremo p. 824.) Ego quæ ante viginti paulo plus annos emendavi nec post ab aliis occupata vidi, ea brevitate, quæ fortasse prope imperiosa ac superba videri possit, proponam; nam in rebus aridis et ad libros, quos pauci perlegunt, pertinentibus verborum copiæ parcendum videtur. Locos notabo solis paginarum Bipontini exempli numeris, quoniam ii et apud Spengelium et apud Muellerum in marginibus positi sunt.[2])

Lib. V (olim in editionibus IV) p. 3 Bip.: a quibus rebus vocabula imposita sint in lingua Latina, et ea, quæ sunt in consuetudine apud poetas. Scribendum est: et ea, quæ sunt in consuetudine *et* apud poetas. Duplex vocabulorum genus ponitur, eorum, quæ in communi usu sunt, et eorum, quæ apud poetas. In codicum scriptura et in consuetudine prorsus contra consuetudinem ponitur, et vocabula poetica

---

[1]) Cfr. Spengelius in scriptis acad. Monacensis generis philosophici et philologici vol. VII p. 431 sqq.

[2]) Omitto hic, ut semper, improbatas a me Muelleri scripturas, pro quibus aut codicum restituendas iudico aut quas alii coniectura reppererant, in quo genere non ita pauca futuro editori corrigenda sunt, nonnulla eiusmodi, in quibus erratum sit, quod in minutis ex vulgaribus causis mendis subtilius aliquid quæreretur. Velut VI p. 74 Bip., ubi quod in codicibus scriptum est: ubi noctu in templum censura auspicaverit, natum ex geminatione vocalis (a), addita post alterius mutatione, recte ab Aldo emendatum erat: censor auspicaverit, Muellerus posuit censuræ ausp., sublato nomine necessario, illato dativo pravo.

[redacted]

lingua Latina excluduntur. Alius sane æquabilius posuisset: *et ea, quæ apud poetas.*[1]

Ibd. p. 7: ab eo præco dicitur locare, quod usque id emit, quoad in aliquo consistit pretium. Præco non emit; id non habet, quo referatur. Scriptum olim erat: quod usque *demit*, quoad cet. Præco in locando a maiore pretio descendit, donec ad id perventum est, quo quis conducere velit. (De p. 9 vid. opusc. acad. II p. 222 n.)

Ibd. p. 14: Huic vecturæ, qui ratibus transibant, quadrans. Scrib. *Huc*, *vectura*, qui ratibus transibant, quadrans, id est, vectura iis, qui huc tr. (Muellerus recte vectura, in ceteris longe aberravit.)

Ibd. p. 20 codicesq: coniunctus terræ, ubi omnia oriuntur, vi aboriuntur, quorum, quod finis ortum ortus dictus, e quibus efficitur: ubi omnia oriuntur, ubi aboriuntur, quorum quod finis *ortuum*, orcus dictus. (Alterum ubi Aldi est, orcus Turnebi.)

Ibd. 21: Ab eo, quod ignis propter splendorem fulget, et fulgor et fulmen et fulguritum (codd. fulgur), quod fulmine ictum contrariis dis. Extrema duo verba inepte adhærent. Scribendum et oratio distinguenda sic: quod fulmine ictum. *In* contrariis dis ab aquæ lapsu lubrico Lympha. Ab dis cum igne coniunctis transire se Varro significat ad contrarios cum aqua coniunctos. *In* præpositio ponitur cum ea specie partitivæ significationis, de qua dixi ad Cic. de fin. IV, 75 p. 594 ed. II.

---

[1]) P. 5 quod O. Iahnius in Hermæ vol. II p. 247 scribi iussit: scientia, at opinionem, idem ante multos annos annotatum cum Spengelio communicaveram, ut multa ex iis, quæ hic edo.

Ibd. p. 38: Aratrum, quod auuit terram eius ferrum. Vomer, quod vomit eo plus terram. Nihil est aruit; nugæ de vomere eo plus terram vomente. Scripserat Varro: Aratrum, quod arruit terram; eius ferrum vomer, quod vomit eo plus *terra.* Aratri ferrum appellari vomerem dicit, quod eo eruta et subacta terra plus vomat et ex se edat. (Arruit Turnebus.)

Ibd. p. 39 apud Muellerum sic scribitur: Et oppidum ab opi dictum, quod munitur opis causa, ubi sit (sic unus cod. interpolatus; ceteri sint), et quod opus est ad vitam gerundam. Uti haberent (e coniectura; codd. ubi habeant) tuta oppida, quod operis muniebant, mœnia dicta. Nonnulla melius Spengelius. Sed ne is quidem, quod initium et caput emendationis est, sententiarum terminos vere rexit; ut enim nunc scribitur, tuta inane et pravum est. Recta hæc erunt: Et oppidum ab opi dictum, quod munitur opis causa, ubi sint et, quod opus est ad vitam gerundam, ubi habeant *tuto* (hoc est, ubi habitent et tuto habeant res ad vitam necessarias). Oppida quod operis muniebant, mœnia dicta.

Ibd. p. 43: Æquimelium, quod æquata Meli domus publico, quod regnum occupare voluit is. Locus ad busta Gallica, quod cet. Ridicule ponitur is; recte sic: quod regnum occupare voluit. Is locus ad busta Gallica, quod cet. (hoc est, ad busta Gallica, quæ ideo appellata sunt, quod cet.) Busta Gallica ubi fuerint, nusquam alibi traditur. Ceterum sine dubio recte Aldus et vulgo editiones publice; nam solo æquata domus est non publico, sed publice.

Ibd. p. 45 sic scribendum est: Sequitur porta Nævia, quod in nemoribus Næviis; etenim loca, ubi ea, sic dicta. Spengelii et Muelleri correctio minus

[redacted]

facilis est et etenim prave (in prosa oratione) altero loco habet; vid., si opus est, opusc. acad. I p. 390 n.

Ibd. p. 48 sic scribi debet: Arrabo sic data, ut reddatur, sublato vocabulo reliquom, quod ex proximis inferioribus verbis, ubi bis ponitur, huc retractum prorsus sententiam corrumpit. (Cfr. habent p. 141, IX § 58, recte sublatum a Muellero.)

Ibd. p. 49 rursus verba prave divelluntur; sic enim procedere oratio debet, sublato alio facili mendo: Corollarium *st* (vulgo si) additum præterquam quod debitum; eius vocabulum (v. debitum eius; vocabulum) fictum a corollis cet. Cfr. ad p. 38 et 43.

Lib. VI p. 58: De statutis diebus dixi, nunc de annalibus dicam. Atqui etiam, qui supra commemorati sunt, annales fuerunt. Codices boni: dixi; de annalibus nec de statutis dicam. Hinc facile efficitur verum: De statutis diebus dixi; de annalibus nec statutis dicam. Superiores et annales et statuti erant. Proxime ante ex his: paganalibus, qui sunt alicuius pagi, fit *paganalia iis*, qui cet. (Muellerus *paganalia, qui.*)

Ibd. p. 61 restituenda est hæc superiorum editionum scriptura: immanis verborum accedit numerus, quod præverbiis additis atque commutatis aliud atque aliud fit, sublato mutatis, quod ante additis Spengelius et Muellerus e codice Florentino interposuerunt cum sententiæ interitu et vitiosa apud antiquos membrorum copulatione (mutatis, additis atque commutatis), de qua re satis dixi opusc. acad. I p. 333 sqq., ad Cic. de fin. IV, 56 p. 562 ed. II. Terentius Adelph. 846 utrum scripserit favillæ plena et fumi ac pollinis an favillæ plena, fumi, pollinis, nescio, sed prius probabilius; v. 986 tollendum et ante largiendo. V. 944 coniunctionem quattuor membrorum habet eam, de qua dixi ad Cic. de fin. p. 563.

Ibd. p. 62 codicum hæc est scriptura: Verborum, quæ tempora adsignificant, ideo locutus difficillimus est TYMA, quod neque cet., ex qua quod in editionibus effectum est: ideo locus difficillimus est ἔτυμα, et constructione (*verborum etyma est locus difficillimus*) et verborum ordine et usu vocabuli *locus* peccat. Scriptum fuerat ad hanc formam et his, ut opinor, verbis: Verborum, q. t. a., ideo *locatu difficillima sunt ἔτυμα*, quod cet.

Eadem pag.: Hinc agitur pecus pastum, quia vix agi potest. Hinc angiportum, qua nil potest agi. Hinc angulus, quod in eo cet. Sic Spengelius. Aliter orationem Muellerus distinxit, translatis illis qua (sic recte scripsit editiones secutus) vix agi potest, quæ a superioribus seiungenda esse sensit, non apte ad *angiporti* notationem, his autem qua nil potest agi pravissime ad *anguli*, et addito *vel* ante *quod*. Manifestum est, aliquid excidisse, cum fere sic scriptum esset: pastum; [*hinc angustum,*] qua vix agi potest; hinc angiportum, qua nil potest agi, hinc angulus, quod cet. Gradatim ascenditur ab angusto (*vix*) ad angiportum prorsus ab altera parte clausum.

Ibd. p. 68 excidit propter similitudinem id ipsum vocabulum, cuius origo notatur: Ab eo, quod scit ducere, qui est dux aut ductor, [*doctor*,] qui ita inducit, ut doceat.[1])

Ibd. p. 73: Speculator, quem mittimus ante, ut respiciat, quæ volumus. Respectus nihil ad speculatorem, cum præsertim speculum, specula, specillum ad simplex specio a Varrone revocentur. Scr. ut *res speciat*, quas (qua?) volumus.

---

[1]) P. 70 interpungi debet sic: Ut non spondet ille statim, qui dixit: spondeo.

Ibd. p. 74 in formula populi ad censores convocandi quod nominantur curatores omnium tribuum, qui neque ulli fuerunt neque, si fuissent, quid in censu agendo negotii haberent, intelligeretur, substituendi sunt e Livio (XXXIX, 44) et Plauto (Trin. IV, 2, 38 = 879) *iuratores*, iurati pretiorum æstimatores. (Cfr. Beckeri Antiqq. Rom. II, 2 p. 202.)[1])

Ibd. p. 76 in loco ex M. Sergii commentario anquisitionis excerpto primum, quoniam cornicen classicum canit, non nescio quis classicus, et quoniam classicum ad comitia centuriata redemptum habent, qui aut ad classicum canendum cornicines præbendos aut ipsi cornicines id operæ præstandum redemerunt, scribendum est: in arce *classicum canatur* (non *classicus canat tum*) circumque muros; deinde: et ante . . . Trogi scelerosi ostium canat, ut (vulgo: canat et ut) in campo cum primo luci adsit. Neque enim id curare redemptores debent, ut classicus ille fictus canat ante ostium Trogi et deinde ipse in campo adsit, sed ut classicum ante ostium Trogi canat (canatur), ut is reus adsit. Quod priore loco *canatur*, altero *canat* codices aut significant aut habent, potuit variari, quoniam utrumque dicebatur; sed potest etiam *canat et* ortum esse e *canatur*.

Ibd. p. 77 summa (Quare non est dubium, quin cet.) pleraque recte Muellerus, sed primum ex hac codicum scriptura: qui ros vocare potest geminatis duabus litteris efficitur: qui *viros* vocare potest (non: qui Quirites), deinde oratio sic interpungenda est: ut

---

[1]) P. 74 in versibus ex Ennii Alexandro indigne negligitur (etiam apud Ribbeckium in fragmentis tragicorum) egregia Vertranii emendatio *abludit* pro *ab ludis*. Animus a re, quæ agitur, et a præsentibus abludit nuntium exspectans. *Ab ludis avere* nihil est.

populus inliciatur ad magistratus conspectum, qui viros vocare potest, in eum locum, unde cet. (Vulgo: potest in eum locum.) [Viros iam Marquardtius.] Eadem pagina extrema in enumeratione vocum, quæ Græcæ eædem et Latinæ sunt, e codicis Florentini vestigiis efficitur perspicue: præterea a *δέψειν depsere.*

Lib. VII p. 79 post lacunam sic scribendum est:... repens ruina operuit, *ita* (vulgo *ut*) verbum *quom* (v. *quod*) conditum est e quibus litteris oportet, inde post *si* (codd. tantum *post*) aliqua *demptast* (v. *dempta sit*), obscurior fit voluntas impositoris. Non reprehendendum igitur cet. (*Obscurior* Haun., *obscurius* Flor.)

Ibd. p. 80: qui herois tritavum, atavum non potuerit reperire. Non agitur de quæstione mythologica ex eo genere, quibus Tiberius Cæsar grammaticos vexare solebat (Sueton. Tib. 70), sed de verborum prosapia exquirenda. Codex Haun. a prima manu: qui *erroris*. Scribendum: qui *uerbis* tritavum, atavum non potuerit reperire. Hausta littera *u* ob præcedens *ui*, ex *erbis* natum est *erois*, tum *herois* et *erroris*. Paulo post, ubi Muellerus pro *Latina* posuit *prolata*, mihi in mentem venerat *nata*. Deinde fortasse sic scripsit Varro: præsertim cum dicat etymologice, non omnium verborum dici posse causam, ut *aliqua* (*plura?*) *quærere se* ad medendum medicina (dicit). Saltem tenendum est, non de origine nominis medicinæ agi, ut Muellerus voluit, sed cum medicina non in omnibus efficaci nec omnia salutifera tenente comparari etymologicen non omnia expedientem.

Ibd. 82: sed quod ubi mysteria fiunt aut tuentur tuesca dicta. Scrib.: sed, q. ibi m. fiunt, *a tuendo* tuesca d. Muellerus miro etiam asyndeto:

fiunt, attuentur. P. 81 rectissime inde ab Aldo edebatur qua tuimur; quod e codicibus Spengelius et Muellerus posuerunt attuimur, geminandi errore ortum est.

Ibd. p. 85 qui tenuerit, quæri de claustrorum nominis in Hellesponto causa, non dubitabit, quin, addito bis cum codice B et editoribus ante Spengelium *m* finali, scribi debeat: quod Asiam et Europam ibi *cludit* mare; illi *concludit*; codices boni *colludit.*

Eadem pag. inferius post lacunam scribendum videtur: agrestis ab agro dictas apparet; infulatas (sic M., codd. infulas), quod, velamenta his e lana quæ adduntur, infulæ, sublato hostiis, quod, initio ad his interpretandi causa adscriptum, in codice Flor. post infulas in contextam orationem receptum est. Enarravit Varro locum poetæ, in quo hostiæ *agrestes infulatæ* appellatæ erant.

Ibd. p. 85: Versus, qui sic in codicibus scribitur:

Musæ, quas memorant noscenos esse,

ita videtur explendus:

Musæ, quas memorant *nostri Casmenas* esse.

Reliqua recte Muellerus.

Ibd. p. 97 exciderunt quædam ob idem vocabulum bis positum. Nam sic scriptum fuerat: Numen dicunt esse imperium, dictum a nutu, [*quia, cuius in nutu*] omnia sunt, eius imperium maxumum esse videatur (videtur?).[1]

Lib. VIII p. 104 quoniam in codicibus est *dicerentur*, non *dicerent*, effici debet, quod per se rectius est: quo facilius omnes *res*, quibus ad usum opus *esset*, dicerentur.

---

[1]) P. 101 (382 Sp.) scripseram nam ideo. Idem Christius invenit, cui non recte adversatur Spengelius Philol. XVII p. 301; id est alienum hinc est.

Ibd. p. 106, ubi Varro distinguit rerum nomina, quæ declinantur, a coniunctionibus, quæ non declinantur, sic scribendum est: Igitur et in his rebus, quarum sunt nomina, quod discrimina *plura*, *vocis* propagines plures (v. discrimina *vocis plura*, propagines), et quæ copulæ sunt ac iungunt verba, quod non opus fuit declinari in plura, fere singula sunt, sublatis verbis in his rebus, quæ in codd. et editionibus errore ex superioribus repetuntur: et in his rebus quæ copulæ. (Cfr. ad V p. 48.) Pro iunguntur (sic enim codd.) iam Muellerus iungunt scripsit, sed in priore parte graviter aberravit violenter corrigendo (*in his rebus, quæ verba sunt et nomina*).[1])

Ibd. p. 123 (in extremo c. 39). Hunc locum neque ego in opusc. acad. II p. 237, ubi recte mendosum esse dixi, recte emendavi neque Lachmannus ad Lucretium p. 156; nam numeri significatio (*quot analogias*) hic prorsus aliena est; agitur universe de analogiis aut sequendis aut non sequendis. Sed quoniam illo teste constat in Florentino codice esse non *debemus*, sed *debeamus*, una littera mutata omnia sanabit: ad indicandum satis sunt, *quor* analogias . . . sequi non debeamus.[2])

---

[1]) P. 105 recte iam, qui codicem B interpolavit, vidit alteram partem sententiæ excidisse. Sed præterea in editionibus divelluntur, quæ cohærent; hæc enim forma fuit orationis: Sic alia causa, inquam, [est, cur . . ., alia,] cur cet.

[2]) P. 120 c. 38 (Item cum, si sit analogia, cet.) excidit dicunt aut aliud verbum ante despiciendam. Neque enim audiri aut per se aut Varroniana consuetudine potest. P. 118 rectissime Popma, cui Muellerus adversatur, vidit, non unam negativam vocem desiderari, sed negativam partem sententiæ; hoc enim Varro dixerat, primum, cum ab amando, salutando, cantando fieret amator, salutator, cantator, non idem fieri in omnibus primæ coniugationis verbis, deinde a metendo

Lib. IX p. 126: In scriptura codicis Florentini, quam Spengelius et Muellerus sequuntur: similes res dissimilibus verbis et dissimilibus similes esse vocabulis notatas, nugacissime bis idem dicitur. Scribendum est, ut ab utraque parte sententia analogiæ contraria exprimatur: similes res dissimilibus verbis et *similibus dissimiles* esse vocabulis notatas. Ex hac scriptura ortum esse potest, quod cod. Haun. omissis mediis (verbis et similibus dis.) habet: similes res dissimilibus similes esse vocabulis notatas.

Ibd. p. 132 sic oratio interpungenda est: Ac cum sex horis æstus creverunt, totidem decreverunt, rursus idem (fit, ut crescant et decrescant). Alioquin esset: rursus totidem decrescunt.

Ibd. p. 133 Spengelius et Muellerus sublato indicio veri, quod est in *qui* pro *quin* in codd. scripto, efficiunt, ut *quin animadverterint* barbare accipiatur pro *animadversuri sint* aut *animadvertant* (Gr. Lat. § 378, 2 not.), ne quid de subiecto omisso dicam aut de incredibili hac constructione *animadvertere in similitudinum numerum* pro eo, quod est *animadvertere s. numerum.* Scribendum est ita: Equidem non dubito, *quin*, *qui* animadverterint, *inveniant* (codd. *item in eam*) innumerabilem similitudinum numerum.

Ibd. p. 137 scribendum est necessario: *esse* (pro esset) enim deridiculum. Et hoc videtur significare cod. Haun., in quo est *essin.* Eadem pagina paulo post et sententia et manifesta codicum vestigia (Flor. quæ sunt quoius dissint) ostendunt scribendum esse: ut videantur,

---

et ferendo, quæ similia essent, non eodem modo substantiva fingi; nam messorem dici, fertorem non dici (non fieri fertorem, ut messorem).

quæ *sunt, quoiusmodi sint.* (Edd. quæ sint quæve desint.)

Ibd. p. 141 cetera aut omnino recte Muellerus administravit (quod sustulit *habent* et novæ sententiæ initium fecit in his *Mas et femina*) aut aliqua ex parte; sed reliquit pravam sententiarum confusionem; sic enim separandæ sunt: quodque de his perpauca sunt, quæ habeant quandam communitatem dei. Et servi nomina cet. (V. communitatem. Dei et servi, ridicule coniunctis deo et servis.) Ex his apparet supra quoque dictum esse, marem et feminam non solum inter se societatem habere, sed etiam *cum dis*, quod latet, ubi scribitur *cum his*. Forma orationis huiusmodi fere fuit: Mas et femina habent inter se natura quandam societatem et cum *dis*; neutra [nullam habent societatem] quod sunt diversa inter se (perverse Muellerus quod non sunt) quodque cet. Tum scribendum: *Serva* (non servi) nomina quod non item ut libera nostra transeunt, eadem est causa. Agitur de servilibus nominibus, quæ Varro *serva*, contraria liberis, dixit, non de unius servi. Postremo revocanda, adhibita meliore sententiarum separatione, omnium codicum scriptura in his, quæ Spengelius et Muellerus Victorii errorem secuti corruperunt: ac dicitur Terentius vir, Terentia femina, Terentium genus. In prænominibus ideo non fit item cet.

Ibd. p. 144: Quare in utraque denique re scindere conantur analogiam. Ineptum *denique*, ineptum *scindere*. Fuit: Quare in *utroque inique rescindere* conantur analogiam. Cfr. p. 142 (c. 38 extr.): Quocirca in tribus generibus nominum inique tollunt analogias. Ibi quoque *inique* depravatum in codicibus est, ut esset *in quæ*.

Eadem pag. (ubi recte Muellerus verba quæ sunt: Quibus responderi potest non esse reprehendendum

transposuit, de illis idemque item contra dubitatio relinquitur): Quod scalæ et aquæ caldæ pleræque (sic M.; codd. pleraque) quæ cum causa multitudinis vocabulis sint appellata neque eorum singularia in usum venerint. Vitiosum est pleræque, cum de omnibus dicatur; verba quæ cum causa Muellerus prorsus sustulit, quod, quid iis faceret, non reperiebat. Scribendum videtur: *peræque quacunque* causa (et deinde appellatæ).

Ibd. p. 154 sententia et periodus sic decurrere debet: Quare ut illic fit, si hic item acciderit in formula, ut aut caput non sit aut ex alieno genere sit, proportione eadem, *qua* (codd., edd. quæ) illic diximus, cur nihilominus servetur analogia, item, sicut illic, caput suum habebit cet. Quod male quæ legebatur, miro errore Muellerus proportione seiunxit ab eadem et superioribus sine sensu adiunxit. Ab ipso illo vocabulo apodosis incipit. (P. 155 recte superiores: cur non sit analogia, *afferunt*, quod cet., hoc est, tanquam argumentum, cur.)

Ibd. p. 156 sic scribendum est, geminatis duobus verbis: item, in quibus conveniunt scriptis (scriptores), si etiam repudiat (codd. repudiant, M. repugnat) natura, quod ita, ut dicitur (in scriptis), non sit (in natura), *non est* ars, sed artifex reprehendendus, qui debet in scribendo non vidisse verum, non ideo non posse scribi verum. De *debet* recte Muellerus.

Ibd. p. 157 ut recte Spengelium secutus Muellerus scripsit: dissimilis natura muræna lupo, is (pro his) soleæ, hæc murænæ et mustellæ, sic his subiicere debebant: *ex* aliis pro sic aliis.

Ibd. X p. 161 exciderunt ob idem vocabulum bis positum verba duo sententiæ prorsus necessaria, quæ sic supplenda sunt: diligenter videndum est in verbis,

quas partes et quot modis oporteat similes habere, *ut similia* dicantur. Codices: oporteat similes habere dicuntur, editiones: oporteat ut similes dicantur, nisi quod Muellerus: oporteat similes habere, omissis ut et dicantur.

Ibd. p. 170: ut cum dicunt (codd. dicuntur) proportione similia esse Amorem Amori, Dolorem Dolori, cum ita dissimile esse videant Amorem et Dolorem, quod est alio casu, item Dolorem Dolori. Sic codices; editiones: videant Amorem Dolori, Muellerus videant Amorem et Dolori...item Dolorem et Dolori, in quibus omnibus nulla est sententia; neque enim *Amorem* cum *Dolori* comparari potest, sed aut eiusdem vocabuli diversi casus aut alterum vocabulum cum alterius eodem casu. Proportionis similitudo posita est in eo, ut utriusque partis membrorum eadem sit dissimilitudo. Sententia igitur huiusmodi fuit: cum *item* (sic iam Vertr.) dissimile esse videant Amorem *Amori*, quod est alio casu, item Dolorem Dolori. (Proximorum verborum mendum: sed dicunt quod ab similibus cet. tollere non possum.)

Ibd. p. 176: Igitur ad demonstrandas declinationes biceps una hæc. Quid verba biceps una significent, Muellerus se ignorare fatetur mendique notam apposuit. Correctio non longe petenda est: biceps *via* hæc (quam Varro in proximis superioribus indicavit, aut a multitudine aut ab ablativo singulari). *Biceps* pro duplici etiam alibi Varro dixit.

Ibd. p. 177 verba sic distinguenda sunt: neque ab his vocibus quæ declinata sunt, multitudinis significant quidquam. (V. sunt multitudinis, significant quidquam sine sensu.)

Libros etiam de re rustica percurri sermonis Varroniani cognoscendi causa, qui ibi plenior et magis continuo tenore fluens melius perspicitur. Sed cum celeriter

degerem, rerum, quæ tractantur, imperitus nec valde curiosus (nisi quod quædam ad instituta Romana et vitæ consuetudinem pertinentia intercurrunt), nec ulla haberem subsidia, nisi quæ Schneiderus admodum tenuia et infirma collegit, perpauca corrigendo attigi, vix digna, quæ hic ponantur.

Lib. I, 1, 3: ad cuius (Sibyllæ) libros tot annis post publice solemus redire, cum desideramus, quid faciendum sit nobis ex aliquo portento. Ad libros adibatur, non redibatur; desideramus non potest carere infinitivo, unde pendeat quid cet. Scribendum videtur: publice solemus *ire*, *scire* cum desideramus cet.

Ibd. 1, 5: Primum, qui omnes fructus agriculturæ cælo et terra continent, Iovem et Tellurem. Nec Tellus terra nec Iupiter cælo continet fructus agriculturæ. Scripserat Varro, causam colendi significans: Primum, *quia* omnes fructus agriculturæ cælo et terra *continentur*, Iovem et Tellurem.

Ibd. 2, 4: et sine dubio quoniam salubrior pars septentrionalis est quam meridiana, et quæ salubrior, illa fructuosior, dicendum magis eam fuisse opportunam ad colendum quam Asiam ibique Italiam. Postrema verba (ibique Italiam), quibus Italia in Asia ponitur, prave adhærere etiam ex tota argumenti conclusione et ex pronomine *eam* ad Italiam relato manifestum est. In antiquissimis editionibus, quæ in his libris codicum loco sunt, ponuntur post fructuosior dicenda (sic enim ibi scribitur); ponenda sunt paulo ante sic: salubrior pars septentrionalis est quam meridiana, ibique *Italia*, et quæ cet., nisi omnino tollenda sunt et pro *eam* scribendum *Italiam*.

Ibd. 18, 3: extra familiam debuit dicere vilicum et vilicam. Neque enim, si minus CCXL iugera oliveti colas, non possis minus

12*

uno vilico habere; nec, si bis tanto ampliorem fundum aut eo plus colas, ideo duo vilici aut tres habendi fuere. Tollendum non ante possis, quod sententiam pessumdat. Ne in minore quidem fundo infra unum vilicum descendi potest.

Ibd. 23, 6: Quædam loca eadem alia ad serundum idonea. Scribendum *alias* (hoc est: interdum seri possunt, interdum non possunt), nisi fuit: alias ad serundum idonea, [alias non idonea].

Lib. II, 1, 10 eiecta Ursini interpolatione scribendum est: et quod, urbs cum condita est, tauro et vacca, *ubi* (pro qui) essent muri et portæ, definitum. [Gesnerus qua.]

Lib. III, 1, 4: quod et in pace ab rusticis Romanis alebantur et in bello ab his tuebantur. Scribendum videtur: his *se* tuebantur. Non magis hic quam de l. L. VII p. 82 Varro *tueri* passive posuit. Eodem capite § 10 non recte contraria ponuntur fructu quam factu, recte ponentur fructu quam *fastu*.

Ibd. 2, 4: ubi cohortes ad dilectum consuli adductæ considant. Ante dilectum nullæ erant cohortes. Scr. *a dilectu* (quem tribuni militum perficiebant, ut e Polybio notum est). Paulo post (§ 5), ubi edunt: an mea (villa), vestigium ubi sit nullum Lysippi aut Antiphili, sed crebra satoris et pastoris, quoniam nullum contra primas editiones additum est, apparet olim fuisse: *at in* mea vestigium ubi *st* Lysippi aut Antiphili? sed crebra s. et p.

Ibd. 2, 9, quoniam e § 10 (cum significasset nutu cet.) interrogatum esse apparet, scribendum est: *Num* (pro non) minus villa tua erit . . . asino? cum præsertim in Politiani codicibus fuerit Nummius.

Cap. II.

Cicero.

A Varrone ad Ciceronem transeuntibus intercurrunt rhetorica, quæ paulo Cicerone ætate superior scriptor ad Herennium misit. In eo opere cum ante multos annos non ita pauca e codice Parisino 7231, quem Krarupius contulerat, emendassem, nunc, postquam et Kayserus et alii maiore studio et apparatu in eodem elaborarunt, tantum in tertio libro pauca reperio editione non prorsus indigna, in quarto unum. Nam

Lib. III, 4[1]), ubi nunc a Kaysero (1860) editur, expulso additamento: aut si qua in re cohortabimur aliquid, cuius rei aliquam ad disciplinam scientiam poterimus habere, quo modo aut qua quidque ratione fieri oporteat, residet mendum in illo ad disciplinam; nihil est enim scientiam ad disciplinam habere; detracta unius litteræ geminatione faciendum est: aliquam *a disciplina* scientiam. Nam disciplina et institutione scientia comparatur.

Ibd. 11: Erit igitur hinc confirmatio et confutatio nobis. In huiusmodi causa principium sumetur cet. Inanem superiorum repetitionem hæc sententia habet, hinc sumi illa; et in codicibus est hæc. Mutandi sententiarum fines: Erit igitur *hæc* (quam exponam) confirmatio et confutatio nobis in huiusmodi causa. Principium sumetur cet. [Sic Klotzius.]

Ibd. 26: Convenit igitur in vultu pudorem et acrimoniam esse, in gestu nec venustatem conspiciendam nec turpitudinem esse. Nihil affirmo, suspicor tamen scriptum fuisse: pudorem, *non*

---

[1]) Solos paragraphorum sive sectionum numeros ponam, omissis capitum.

acrimoniam, omissaque errore negatione additum et. Temperatus et ab audacia et a tristitia vultus præcipi videtur.

Ibd. 28 nunc editur: Sed qua in ceteris rebus ingenii bonitas imitatur sæpe doctrinam, ... item fit in hac re cet. *Qua* Kayserus e coniectura pro quia posuit; sed id neque alibi in tali comparatione positum reperitur neque aptum est, quod viam ac rationem significat. Puto scribendum: Sed *quod* in ceteris rebus (hoc est: sed quod fit in ceteris rebus, ut cet.).

Ibd. 37: Imagines igitur nos in eo genere constituere oportebit, quod genus manere in memoria diutissime potest. Hæc res *ea* accidet, si cet. Sic nunc Kayserus. Ubi *ea* posuit, codices boni habent ei, ceteri omittunt. *Rei* nomen (*hæc res* pro *hoc*) prorsus prave hoc loco ponitur. Supra manere in bonis codicibus partim omittitur, partim transponitur (in mem. manere); in aliis scribitur: q. g. in mem. diutissime haberi potest. Ex his indiciis manifestum fit, sic scriptum olim fuisse: quod genus in memoria diutissime potest *hærere. Id* accidet, si cet. Cum *hærer* transisset in *hæcres*, ex *e*, quod supererat, et *id* factum est *ei*, supraque verbum coniectura additum.

Ibd. 40: Quare quum sit utile facile meminisse, non te fallit, quod tantopere utile sit, quanto labore sit appetendum; poteris existimare utilitate cognita. Pluribus verbis ad eam te adhortari non est sententia. Apparet vitiosissime post illa non te fallit abundare eodem relatum hoc poteris existimare et desiderari aliquid ad orationem et sententiam vinciendam in illo transitu: Pluribus verbis cet. Omnia recta erunt quum in quam mutato: Quare, *quam* sit utile facile meminisse, non te fallit; quod

tantopere utile sit, quanto labore sit appetendum, poteris existimare. Utilitate cognita, pluribus verbis ad eam te adhortari non est sententia.

Lib. IV, 5: Nam si tua volumina prehenderint antiqui oratores et poetæ et suum quisque de libris tuis tulerit, nihil tibi, quod suum velint, relinquatur. Sic Kayserus, infeliciter. Apertissime enim tautologum et inane hoc est, si antiqui sua de libris tulerint (etsi hoc vitiose dicitur: *ferre* sua de libris alterius), nihil scriptori librorum relictum iri, quod illi suum velint; dicendum erat: „quod is suum velit“, quoniam illorum omnia sunt, quæ aliquod pretium habeant et per quæ quis placere legentibus possit; deinde pro *tibi* omnes codices exceptis duobus infimis (in quibus tamen est *tibi* ...*tuum*) habent *istis*, pro *tua* initio melior familia et tertia *eorum*. Itaque secunda persona relinquitur tantum in *tuis ante tulerit*, quod ipsum dixi vitiosum esse; et multi codices suis. Rectissime igitur Turnebus et editores ante Orellium pro *tuis tulerit* substituerant sustulerit, quod alibi quoque similiter corruptum memini (hic quidem, præcedente s, primum factum ustulerint). Nam ab illa unius ex scriptorum alienis utentium turba compellatione (Quid enim tibi vis cet.) redit scriptor ad superiorem commemorandi eos formam (vereor ne...venantur... sint impudentes): Nam si eorum volumina prehenderint antiqui oratores et poetæ et suum quisque de libris *sustulerit*, nihil istis, quod suum velint, relinquatur. [Sic Klotzius.]

Venio ad ipsum Ciceronem, in cuius scriptis tractandis et tirocinium posui nec sane leviter postea elaboravi. Sed tamen ea studia post absolutam primam librorum de finibus editionem et artem Latinam fere triginta abhinc annos compositam sensim refrixerant, animo

ad Græca, paulisper etiam ad Livium aliaque traducto, ut tantum per intervalla carptimque renovarentur aut scholarum occasione aut, in finium libris orationibusque, iteratæ editionis, aut si quæ extrinsecus causa me commoverat. Atque ex iis, quæ ex illis studiis in marginibus et adversariis annotata habebam, permagna pars, ut supra in prooemio dixi, in aliorum libris evulgata est, ita ut nunc, quoniam illa omnia, quæ iam edita sunt, omitto, post messem amplam spicilegium relinquatur, in aliis partibus tenue, in aliis, ut orationibus aliquot, copiosius, sed totum dispersum. Nec sane æqualiter per omnes Ciceronis operum partes diligentiam circumtuli, sed longe studiosius orationes et libros de philosophia, a quibus cœperam, tractavi; ad rhetoricos libros, qui argumenti genere non valde alliciebant et in quibus fere, præsertim ante XL aut XXX annos, codicibus aut non bonis aut minus diligenter collatis credendum erat et nunc quoque magna ex parte, ut in Bruto librisque de oratore, credendum est, post operam Henrichsenio meo in libris de oratore (nondum protracto codice Abrincensi) commodatam raro redii, scholis eos nunquam tractavi; nec epistolas post a. 1836 et 1837 relegi continuas; particulas quidem sæpe, ut fit, percurri. Hoc loco, ut receptum ordinem sequar, a libris rhetoricis ordiendum est. E quibus qui proprie **rhetoricorum** nomine inscribuntur, vulgo autem **de inventione** appellantur, possum pæne tacitus præterire. Nam duabus coniecturis, quas de I, 6 (effici) et de II, 46 (coacervati) positurus eram, occupatis, illa a Pluygersio (et Engero Philol. XVII p. 110), hac a Nipperdeio (vid. Kayseri præf. p. XXI n.), una vol. I p. 57 (I, 91 Gracchus) edita, vix est, cur addam lib. II, 64 scribendum esse sic: quod altera (pecunia) pupilli iam erat . . . si quid pupillo accidisset, de altera patris etiamnunc mortui voluntas plurimum valebit, quæ *eam* mortuo pupillo . . . con-

[redacted]

cedebat, sublato et, quod ex verbi accidisset ultima syllaba natum est, et iam, quod hoc loco ferri nequit, correcto. (Valebit, quod unum a parte agnatorum in causa agenda dici potest, pro valebat iam Schnetzius e codicibus quibusdam reposuit.[1])

Ad libros etiam de oratore perpauca proferenda sunt, unum non meum.

Lib. I, 82 littera detrahenda est non recte geminata, ut scribatur: complures tum ibi dies sum . . . commoratus; *et* (v. sed), cum quotidie mecum haberem . . ., pro se quisque . . . disputabat.

Ibd. 136 Siesbyeus acute intellexit sic scribendum esse: quod enim neque precibus umquam nec insidiando . . . assequi potui, ut, quid Crassus ageret meditandi aut dicendi causa, non modo videre mihi, sed ex eius scriptore et lectore Diphilo *expiscari* (pro suspicari) liceret, id spero nos esse adeptos. Nam neque suspicamur ex homine, neque in hac re, qui lectorem et scriptorem aggrederetur, suspicaretur, sed quæreret aperte et percontaretur.

Lib. II, 38, ubi sic editur: tamen hoc certius nihil esse potest, quam quod omnes artes . . . suum munus præstare possunt, orator . . . nomen suum obtinere non potest, necessario omittendum est, quod post comparativum etiam alibi errore additum est, quam,

---

[1]) Unum addam, libr. II, 9 necessariam Lambini correctionem: Quod si . . . *quanto* opere eligenda fuerunt, *tanto* studio electa (pro tanto opere . . . quanto studio) mire „contra totius loci sensum“ peccare dici. Non quæri, dignane res fuerit studio, sed suffeceritne studium ei, quod fieri debuerit (quod Lambini emendatione significatur), ostendunt etiam, quæ sequuntur.

cum hæc sit sententia, nihil (ad rem, de qua agitur, demonstrandam) certius esse hoc (hac re et hoc argumento), quod omnes cet. Nam si quis putaverit, hoc . . . quam sic dici, ut, noto usu, primum ablativo pronominis, deinde particula *quam* et sententia alterum comparandi membrum exprimatur, ad eam formam dicendum erat: *hoc certius nihil esse potest, quam omnes artes . . . præstare*, ut hoc ipsum certum esse confirmaretur, non (quod fieri debet) ex eo duceretur argumentum certum.

Ibd. 252 quid sententia requireret, plures viderunt; correctione usi sunt improbabili; quod desideratur, efficietur sic: alterum genus est *in* imitatione, admodum ridiculum, cet.

Ibd. 350 scribendum est: Libenter enim te, cognitum iam artificem, aliquando evolutum illis integumentis dissimulationis tuæ . . . perspicio, sublato *que* post aliquando. Cognitum antea Antonium Crassus nunc evolutum perspicit.

Ibd. 357 res . . . ab aspectus *indicio* remotas Cicero appellavit, quas aspectus non indicaret, non *iudicio*.

In Bruti § 244 inde ab Orellio sic verba interpungunt: Volo autem hoc perspici, omnibus conquisitis, qui in multitudine dicere ausi sint, memoria quidem dignos perpaucos, verum qui omnino nomen habuerint, non ita multos fuisse, ut verum pro adiectivo cum eo, quod est nomen, coniungatur, inaudito non solum apud Ciceronem sed in bona prosa oratione verborum ordine, usu loquendi non recto (neque enim, qui nomen meruit, verum nomen habere dicitur), sententia perversa; maius est enim memoria dignum esse, quo perpauci pervenisse dicuntur, longe minus omnino nomen habere et appellari, quod tamen ipsum non ita multi consecuti sunt. Scribendum est:

[redacted]

memoria quidem dignos perpaucos, qui omnino (hoc est: qui autem omnino) nomen habuerint, non ita multos fuisse. Addidit *verum*, qui coniunctionem desideravit, prave; neque enim in huiusmodi comparatione et descensu ea particula poni potest.

Ibd. 253 in notissimo loco ex Cæsaris de analogia libris, qui sic scribitur: ac si, ut cogitata præclare eloqui possent, nonnulli studio et usu elaboraverunt, cuius te pæne principem copiæ . . . bene de . . . dignitate populi R. meritum esse existimare debemus, hunc facilem et quotidianum novisse sermonem nunc pro relicto est habendum, extrema verba a multis tentata, sed nondum ad sanitatem revocata sunt; in quibus primum et ex tota sententiæ forma, et quod *nunc* prorsus ineptum est (quasi in ea re huius temporis singularis condicio sit), apparet, interrogando ita rationem concludi, ut huic quoque cognitioni sua utilitas et dignitas servetur. Sed neque ex *relicto*, quod codices habent, neque ex *derelicto* quicquam aut ad hanc sententiam aut ad aliam probabilem aptum effici potest. Subest vocabulum antiquum et bonum, sed minus usu tritum librariisque ignotum, ad hanc rem perapte translatum: num pro *reiiculo* est habendum?

Ibd. 306: admirabili quodam ad philosophiam studio concitatus, in quo hoc etiam commorabar attentius, quod, etsi rerum ipsarum varietas et magnitudo summa me delectatione retinebat, tamen sublata iam esse in perpetuum ratio iudiciorum videbatur. Nullo artificio leniri potest pravitas huius connexionis: etsi rerum magnitudo (philosophiæ) me retinebat, tamen iudiciorum ratio sublata videbatur, cum præsertim hæc in unum conflata coniunctioni *quod* subiiciantur. Sed *quod* neque in codicibus (vid. Peter) neque in antiquis editionibus repe-

ritur et pro *tamen* scribitur *sed tamen*. Scribendum: hoc... commorabar attentius (etsi rerum ... magnitudo s. me del. retinebat), *quod* tamen iudiciorum ratio cet. Recte iam *etsi* refertur ad huiusmodi sententiam, quæ auditur: „ut nulla alia causa opus esset“, deinde causa subiicitur.

Paulo plura ad **Oratorem** proferenda sunt, nata, cum Orellianum exemplum seorsum editum (a. 1830) paulo post percurrerem, etsi nonnulla nuper prærepta sunt. Ibi primum

§ 4 in his: Quodsi quem aut natura sua aut illa præstantis ingenii vis forte deficiet aut minus instructus erit magnarum artium disciplinis cet. vitiose *natura sua* et *ingenii vis*, quæ eodem spectant, tanquam duo contraria ponuntur artium disciplinis. Cicero scripserat: Quodsi quem aut natura sua illa præstantis ingenii vis forte deficiet; qui ablativum (*nat. s.*) pro nominativo accepit, *aut* addidit. (Quod Sauppius advocato Columella tria verba *aut natura sua* deleri iussit, nulla excogitari potest, cur quis addiderit, causa; Columella totum locum liberius e memoria citavit et mutavit: vel illa præst. ing. vis vel inclytarum artium defecerit instrumentum.)

Ibd. 37: laudationum, scriptionum et historiarum et talium suasionum, qualem Isocrates fecit panegyricum multique alii, qui sunt nominati sophistæ, reliquarumque rerum formam, quæ absunt a forensi contentione..., non complectar hoc tempore. Verbum, quod est *scriptionum*, ferri non posse annotaveram; notarant idem iam alii; sed præterea paulo post vix recte defenditur *reliquarum rerum*, præsertim *rerum formam*; itaque valde suspicor ex illo loco, cum scriptum fuisset: reliquarumque *scriptionum* formam, vocabulum nescio quo errore huc

retractum esse ibique substitutum ad locum explendum *rerum*.

Ibd. 49 in exclamantis et extollentis, non percontantis interrogatione scribendum est: Quo iam (pro quonam) modo ille in bonis hærebit et habitabit suis![1])

Ibd. 61: Non enim inventor aut compositor aut actor hæc complexus est omnia, sed et Græce ab eloquendo rhetor et Latine eloquens dictus est. Scrib. Non enim inventor aut comp. aut actor, *qui* hæc complexus est omnia, sed et Græce . . . rhetor et Latine eloquens dictus est. Non quæritur, quis complexus sit, sed quo nomine, qui complexus esset, appellatus sit.

Ibd. 68: Ego autem, etiamsi quorundam grandis et ornata vox est poetarum, tamen in ea cum licentiam statuo maiorem esse, quam in nobis, faciendorum iungendorumque verborum, tum etiam nonnullorum voluntati (Kayserus voluntate, invitus, opinor) vocibus magis quam rebus inserviunt. Voluntati hic locum non esse, sed voluptati et delectationi, quam poesis sequitur, multi viderunt. Sed neque poetæ nonnullorum voluptati, sed omnium inserviunt, neque Cicero omnes poetas vocibus magis quam rebus (hoc est, argumento et eius tractatione) voluptatem sectari dixit dicereve potuit. (In *voluntate* hæc omnia etiam vitiosiora.) Omnia sana et recta erunt, si sic scripserimus: tum etiam *nonnulli eorum* voluptati vocibus magis quam rebus inserviunt. Di-

---

[1]) Kayserum et hic et alibi et suis et aliorum, ut Bakii, suspicionibus de delendis verbis nimis incaute obsecutum esse, semel dictum esto.

thyramborum poetas et alios inanem verborum magnificentiam sectatos significat.

Ibd. 80: in alienis aut translatum aut factum aliunde ut mutuo aut factum ab ipso aut novum aut priscum et inusitatum. Verba *aut factum* priore loco manifestum est errore præcepta ex proximo versu esse; tria enim sunt verborum genera, tralatorum aliunde aut factorum ab ipso aut priscorum (cfr., si opus est, § 81: nec in faciendis verbis erit audax et in transferendis verecundus et parcus in priscis, ubi tantum ordo immutatur). Itaque etiam pro *aut novum* recte Schuetzius *et novum* (vel potius, ut ego annotaveram, *ac nov.*).

Ibd. 144: sed si monendo, si cohortando, si percontando, si communicando, si interdum etiam una legendo, audiendo [nescio cur, cum docendo etiam] aliquid aliquando possis meliores facere, cur nolis? Quæ inclusi uncis verba, tollenda sunt, orta, ut alia in hoc libro (velut 93 et alibi), ex adscripta annotatione. Nam et nescio cur interpositum plane turbat orationis formam (si — possis, cur nolis?), et docendi communis notio perverse hoc loco interponitur, ubi enumerantur formæ docendi a ludi similitudine alienæ.

Ibd. 147: me autem sive pervagatissimus ille versus, qui vetat artem pudere proloqui, quam factites, dissimulare non sinit, quin delecter, sive tuum studium hoc a me volumen expressit, tamen . . . respondendum fuit. Nihil sane est *dissimulare quin*, nec nudum *delecter* ferri potest; sed temere duo verba tolluntur, cum præsertim, quid dissimulare Cicero non possit, necessario significari debeat. Emendatio facillima est: dissimulare non sinit, *qui* delecter, hoc est, quo, antiqua forma.

Ibd. 160: absurdum erat aut tantum barbaris casibus Græcam litteram adhibere aut recto

casu solum Græce loqui. Nulli sane in mentem venire poterat tantum in barbaris casibus Græcam litteram adhibere (nec in recto). Scribendum: aut *etiam* barbaris casibus Græcam litteram adhibere. (Kayserus vitium sensit; correctione usus est et violenta et infelici; *eam* post *duas* nullo modo ad superius illud *Græcam litteram* referri poterat nec eo loco id pronomen poni.) Paulo post § 161 aperte pro loquebamur scribendum est *loquebantur* de superioris ætatis consuetudine, eorum, qui postremam litteram detrahebant; sed sic iam Heusinger.

Ibd. 227 scribendum: *sed* (pro *et*) nec sententia ulla est cet. (Alioquin esset: neque aut sententia . . . aut . . ., etsi sententia repugnat.)

Ibd. 231: Nam de laudibus multa diximus, quibus sunt alia perspicue vitia contraria. Scrib. *illa* perspicue vitia, quæ paulo ante Cicero enumeravit, ut, qui ea vitet, laudes consequatur.

Ibd. 235: Atque ut plane genus hoc, quod ego laudo, contempsisse videantur, aut scribant aliquid . . . aut reperiam ipsa eadem condicione qui uti velit, ut aut dicat aut scribat . . . eo genere, quo illi volunt. Frustra recentiores hæc defendere conantur. Nihil enim ad illam, qua Cicero usus est, provocationem pertinet, quem ipse reperturus sit; neque ipse hoc suscipit oneris, ut eiusmodi hominem reperiat; id agitur, illi, quos contra dicit, quid ipsi facere possint velintve aut ad quid faciendum alium adducere possint. Recte igitur alii et codices et editores *reperiant*; sed residet aliud pusillum mendum; scribendum est enim: aut *reperiant, ipse* eadem condicione qui uti velit. [Iahnius: reperiam, ipse eadem.]

Eadem occasione, qua superiora in oratore emendavi,

in Topicis hæc annotata sunt, quæ subiiciam. In ipso statim initio

§ 2 miror relictam mihi non minus manifestam quam facilem emendationem, ut scribatur: disciplinam inveniendorum argumentorum, ut sine ullo errore ad *ea* (pro eam) ratione et via perveniretur, ab Aristotele *inventam* (pro inventa) illis libris contineri. Non ad disciplinam perveniendum erat nec argumenta ipsa Aristoteles invenerat, sed topicam, artem ratione ac via ad argumenta perveniendi, non temere ac casu in iis quærendis vagandi. Etsi iniuria mihi hanc emendationem relictam dixi; nam inventam in codicibus est antiquissimis (abc Orell.), ea annotatur (coniectura) in margine editionis Gothofredi, quam Orellius scripturam „memorabilem, nec tamen veram“ iudicat.

Ibd. 23: ut, quoniam usus auctoritas fundi biennium est, sit etiam ædium. At in lege ædes non appellantur, et sunt ceterarum rerum omnium, quarum annuus est usus. Neque qui ædes (eo enim refertur sunt) ceterarum rerum esse dicantur, intelligitur, neque quomodo hoc, si est aliquid, cohæreat cum illis: in lege non appellantur. Et per se et ex iis, quæ sequuntur, apparet, rei paris argumento a fundo non solum ad ædes, sed etiam ad ceteras res omnes, quarum annuus sit usus, transferri biennii auctoritatem. Itaque sic necessario scribendum videtur: sit etiam ædium (at in lege ædes non appellantur) et ceterarum rerum cet.

Ibd. 43 codicum antiquorum omnium scriptura, sublatis verbis, quæ ex inferiore loco præcepta sunt, restituenda est, lenissime sic adiuta: Quemadmodum, fines quia magis agrorum videntur esse quam urbis, si in urbe de finibus controversia est, adigere arbitrum non possis, sic cet. Quod in Erf.

et aliis ante adigere (in codd. vitiose adicere) additur finibus regendis, necessarium non est.

Ibd. 44 sententia et codicum vestigiis hæc scriptura stabilitur: Crassus...exemplis plurimis usus est, qui, *quum* testamento sic heredes *instituti essent*, si . . . venisset, hereditatem obtinuissent. Apparet quum ob præcedens qui excidisse, ex instituti essent natum instituissent. (Omnium' minime obtinuissent ex obtinerent natum esse potest; nec quisquam antiquo verborum usu heres sic instituitur, ut hereditatem obtineat.)

Ibd. 49: Sunt etiam illa valde contraria, quæ appellantur negantia, *ἀποφατικά* Græce, contraria aientibus. Inepte et ridicule primum negantia absolute appellantur contraria, quasi in ipsis hoc insit, deinde huic superponitur alterum, quod verum est, contraria ea esse aientibus. Scribendum est: Sunt etiam illa valde contraria, quæ appellantur negantia (*ἀποφατικά* Græci), aientibus. In his coniunctis valde firmum et manifestum apparere contrarium dicitur. (Græci codices.)

Ibd. 63: Non agitur de fortunæ eventu, sed, cum Cicero dixisset, latere causas, quæ subiectæ sint fortunæ, subiungit, hoc ipso, quod lateat, contineri fortunæ vim et naturam, fortunæque definitionem ponit: Hoc ipsum est *fortuna*, eventus obscura causa et latenter *effectus*, aut potius: eventus, *qui* obsc. c. et l. efficitur. (*Τοῦτ' αὐτό ἐστι τύχη, σύμβαμα ἀφανεῖ αἰτίᾳ καὶ λεληθότως γιγνόμενον.*)[1])

---

[1]) In libello de opt. genere orat. § 11 necessario e cod. antiquissimo Sangallensi ponendum esse volunt (pro nolunt), hic in margine monere liceat. Notantur homines Attice dici sic iubentes, ut moroso fastidio Atticam eloquentiæ formam in sola siccitate omnia grandia et plena vitante ponant.

De orationibus Ciceronis emendandis scribendi initium feci ante quadraginta tres annos ab epistula ad Orellium de emendandis Verrinarum libris duobus extremis, quam subsecuta est eodem anno disputatio de Asconio eique adiuncta appendix critica, ad Verrinas et Cluentianam pertinens. Deinde cum anno 1830 duodecim Ciceronis orationes selectas cum e codicibus tum coniectura multis locis emendatas edidissem, earum emendationum causas exposui cum in præfatione, tum duobus libellis academicis, qui una cum illa in priore opusculorum academicorum volumine positi sunt, addidique paulo post similem de locis aliquot orationum Verrinarum libellum. Successerunt inde ab a. 1833 ad a. 1835 libelli, quibus orationes quinque pro Cælio, pro Sestio, in Vatinium, pro Balbo, de provinciis consularibus ex alio codice Parisiensi (7794) emendavi, quorum libellorum duo priore, tertius altero opusculorum volumine includitur, quod etiam præfationem iteratæ selectarum orationum editioni præpositam continet. His libellis cum non pauca etiam ad alias orationes pertinentia interposuissem, etiam plura commentariis, quibus libros de finibus enarravi (a. 1839), inserui. Interiectis aliquot annis cum orationum agrariarum locorum aliquot emendationes partim in Philologi volumine altero (p. 141) edidissem, partim cum Ussingio, qui eas orationes a. 1851 edidit, communicassem, deinde et de aliarum orationum locis nonnulla ad Halmium misi, quæ in eius Baiterique orationum editionis (Orellianæ II) volumine secundo inter addenda posita sunt (p. 1431 sqq.), et eam, quæ est pro Rabirio Postumo altera, totam pertractavi (vid. ibd. p. 1137 sqq. et add. p. 1454 sqq.), nec ita multo post de Philippicarum locis quibusdam ab Halmio excitatus ad eum scripsi adiecique aliarum orationum emendationes aliquot, quæ epistula cum sero ad eum, absoluta iam orationum editione, perlata esset, in annalium philolog. vol. 73. a. 1856 edita est (p. 117 sqq.). Postremo, cum a. 1858 ineunte ora-

tiones quattuor, quas Marklandus et Wolfius in suspicionem vocarant, ad cod. Paris. 7794 pertractassem, a. 1859 earum emendationum nonnullas, quas propter perspicuitatem nulla argumentatione egere putabam, Halmio misi, quas ab illo acceptas Kayserus fere omnes in textu suæ et Baiteri editionis posuit. His tam multis sensim sparsis supersunt, quæ hic edantur, præter pauca quædam in aliis orationibus residua, ea, quæ in quattuor illis orationibus multo plura, quam quæ Halmio misi, annotavi, deinde, quæ in tribus quattuorve aliis orationibus lectio proximis annis ad sensum orationis Ciceronianæ renovandum aut aliam ob causam suscepta subiecit.[1])

Pro Quinctio 89 residet vitium olim a me (opusc. acad. II p. 218 sqq.) reprehensum et convictum; nam in his: dixi domum Romæ fuisse . . „ servos complures, ex quibus iste possederit neminem, . . „ unum fuisse, quem attingere conatus sit; prohibitum fuisse, quievisse cet., aperte prohibitum fuisse pro prohibitum esse ponitur, quemadmodum in Livii codice Vindobonensi XLV, 23, 6 vitiose scribitur prohibiti præstare fuimus, pro quo præstare nequivimus restitui. Apud Ciceronem, sublato fuisse, superest rectum: prohibitum quievisse. (De § 75 dictum est vol. I p. 89.)

---

[1]) Cum a. 1858 duodecim illas orationes selectas quartum ederem, præfatus sum nonnulla de codicum scripturæ delectu, maxime in Catilinariis, quorum rationem vellem habitam a Kaysero; e coniecturali genere paucissima ibi posita sunt, quorum tribus (pro Rosc. Am. 35 et 114, pro Deiot. 29) Kayserum usum video. Denique, cum a. 1867, detractis Philippicis duabus, reliquas decem orationes quintum recognoscerem, de coniecturis nuper in his orationibus sine ulla necessitate parumque recte a Richtero, Langio, aliis factis, non satis firmiter resistente Halmio, dixi nonnulla, quæ considerari pervelim.

Pro Roscio Com. 55, manifestissime monstrante sententiæ forma, sic scribendum est: et quemadmodum uterque pro sua parte petit, sic pro sua parte dissolvit, heres ex *ea* parte, qua hereditatem adiit, socius ex ea, qua societatem coiit. Definitur, quæ in utroque sit sua pars. In codicibus priore loco pronomen (ea) propter præcedens pro sua parte mutatum est (sua).

Divin. in Cæcil. 31: Sin prætermittes (hoc crimen), qualis erit tua ista accusatio, quæ domestici periculi metu certissimi et maximi criminis non modo suspicionem, verum etiam mentionem ipsam pertimescat? Recte Pluygersius animadvertit, pro suspicionis nomine, quæ levior est quam mentio, requiri, quod gravius et maius significet; nec omnino suspicio in accusando vitari poterat. Scriptum fuerat: non modo *subscriptionem*, hoc est, in nomine deferendo et in libello accusatorio inter accusationis capita suo loco consignationem et appellationem. Hoc est enim crimen subscribere, quo et verbo et substantivo inde ducto Cicero in Cluentiana oratione de censoribus notæ causam certa criminis indicatione declarantibus aliquoties usus est, de iudiciis alii scriptores. Aptissime ad hunc locum Asconius in Milonianam p. 159 Hot.: *Repetitus deinde ... est lege Plautia de vi ea subscriptione, quod loca superiora occupasset* cet. Verres accusâbatur de repetundis ea inter alias subscriptione, quod ab aratoribus frumenti in cellam nomine pecuniam extorsisset.[1])

---

[1]) Pro Tullio 38 doleo a Kaysero tacite relictum duplicem in temporum usu solœcismum, quem apud Halmium II p. 1434 notaveram.

Pro Fonteio 12 (2): (Gallia) constat ex iis generibus hominum et civitatum, qui, ut vetera mittam, partim nostra memoria bella cum populo Romano acerba ac diuturna gesserunt, partim modo ab nostris imperatoribus subacti, modo bello domiti, modo triumphis ac monumentis notati, modo ab senatu agris urbibusque multati sunt, partim qui cum ipso M. Fonteio ferrum ac manus contulerunt, cet. Non tria tempora tresve rerum ordines distinguuntur, quasi, quæ modo imperatores Romani perpetraverint, seiuncta sint a bellis hac memoria gestis, sed duo, eorum, quæ hac memoria ante Fonteium acta sunt, et eorum, quæ ipso prætore. Itaque alterum partim tollendum est, ut illa modo ab nostris imperatoribus . . . multati sunt ἀσυνδέτως adiungantur illis qui . . . bella gesserunt, ad bellorum fortunam et exitum notandum adiecta. Additum est adverbium ab homine alterum partitionis membrum non satis patienter cauteque exspectante, quod genus erroris iam alibi notavi.

Ibd. 34 (24): si turpi adolescentia, vita infami, magistratibus, quos ante oculos vestros gessit, convictis virorum bonorum testimoniis, legationibus flagitiose obitis, invisus suis omnibus in iudicium vocaretur, cet. Miror in hac enumeratione rerum ad vitam anteactam pertinentium adiectam in una re cum molesta huius membri amplificatione testimoniorum mentionem, in ea præsertim, in qua omnium minime testibus opus esse ipse orator significat (ante oculos vestros), et valde suspicor huc aliquid translatum esse ex altera huius loci parte, qua comprehenduntur testimonia omnis generis de ipsa causa (si in eo iudicio . . . testimoniis . . . premeretur), cum Cicero tantum scripsisset: magistratibus . . . convictis, legationibus flagitiose obitis, invisus cet.

Ibd. 36 (26): Codicum scriptura, quam Halmius restituit, si pro affirmativa sententia accipitur, absurda est, vera, si interrogative elata (Volunt isti aut quiescere ... aut ... intelligere se populo R. ... spem triumphi ostendere?) eadem vi posita putatur, qua facere aliquid aliquem imperiose et contemptim iubentes interrogamus: Vis tu hoc facere? (Horat. Sat. II, 6, 92, Liv. X, 17, 5, frequentissimeque Seneca, cuius locos collegit Gronovius ad libr. III de ira c. 38, ad epist. 58, Iuven. V, 74). Sulpicius in epist. Ciceronis ad famil. IV, 5, 4 particulam addidit: Visne tu te, Servi, cohibere? (Volunt isti? Vultis vos?) Seneca eodem significatu dixit etiam: Non vis cogitare (omisso tu)? epist. 82, 9 et 88, 41.

Ibd. 49 (39): graviorem duxisse eius obsecrationem, quæ vestris sacris præsit, quam eorum audaciam, qui cum omnium sacris ... bella gesserunt. Aut *præest* aut *gesserint* scribendum; sed illud præstat (præ*st*).

Pro Cæcina 54: Hac actione Appius ... uti non posset, si tam vere homines verba consectarentur, ut rem, cuius causa verba sunt, non considerarent. Ad Ciceronis sententiam et argumentationem potius tam prave dicendum erat. (Mire Baiterus vere deiectos et armatos, quos appellare vere possumus, e § 50 et 60 comparat.) Itaque Lambinus severe; sed ne severe quidem verba consectari recte dicitur. Ex SITAMVERE fit: si *ita in iure* homines verba consectarentur, ut cet. (Paulo post § 55 pervellem sic scriptum esset: quin...familiam intelligamus, quæ constet ex servis pluribus, unus homo familia non sit, sublato altero quin, quod ante unus interponitur.)

Ibd. 91 verissime Ussingius animadvertit, omnia recte et ordine sic decurrere: Negas deiici, nisi qui possideat. Ostendo, si sine armatis coactisve hominibus deiectus quispiam sit, eum, qui fateatur se deiecisse, vincere sponsionem, si ostendat, eum non possedisse; ex hoc (contra) interdicto de armatis hominibus, qui possit ostendere, non possedisse eum, qui deiectus sit, condemnari tamen sponsionis necesse esse, si fateatur esse deiectum, ut, posita adversariorum sententia, Cicero se dicat ostendere id interdictum, in quo ea condicio locum habeat, ab illo distinguendum esse, de quo nunc agatur, ad quod illa nihil pertineat. Sex verbis (negas deiici, nisi qui possideat. Ostendo) errore iterum ante verba ex hoc interdicto scriptis tota res perturbatur, quasi duabus adversariorum sententiis separatim Cicero respondeat.

Pro Cluentio 61: Quid enim tandem illi iudices responderent, si qui ab iis quæreret: Condemnastis Scamandrum, quo crimine? Nempe, quod Habitum . . . veneno necare voluisset. Quid Habiti morte Scamander consequebatur? Ut recta oratione interrogatur, sic recta, non obliqua (quod . . . voluisset), responderi debet et in proximis respondetur (nihil; sed . . . erat, et: quia . . . non probabatur). Itaque scripsit Cicero: Nempe, quod . . . *voluit. Ecquid* Habiti cet. Iam Gulielmus: voluit. Sed quid cet.

Ibd. 94 sic interpungendum est: Quid conferam? Sullamne cum Iunio? an hunc tr. pl. cum Quinctio? an vero cet.

Ibd. 113: Nego rem esse ullam in quemquam illorum obiectam, quæ Fidiculanio non obiecta

sit, aliquid fuisse in Fidiculanii causa, quod idem non esset in ceterorum. Non dicitur obiicere in aliquem, nedum ita varietur in hac orationis figura: ullam rem *in quemquam*, quæ *Fidiculanio* non cet. Sed non minus vitiosum apud Ciceronem nego *aliquid* fuisse . . ., quod non idem cet. (quasi antea pro ullam rem scribas aliquam rem). Cicero hæc posuerat: rem esse ullam *quoiquam* illorum obiectam . . . *aut quidquam* fuisse in Fidiculanii causa, cet.

Ibd. 116: Difficile forsitan sit ad persuadendum; sed tamen Cicero non scripsit: ille postea vel isdem vel aliis inimicis reus . . . factus esset, sed: vel *ab* isdem.

Ibd. 153: Tunc ... non fecerunt idem, quod nunc Cluentius, ut aliquid culpæ suscipere se putarent recusando, sed apertissime repugnarunt, cum hæc recusarent et palam fortissime atque honestissime dicerent, se potuisse cet. Ineptissime hæc coniunguntur: repugnarunt, cum recusarent (hoc est, repugnarent) et hæc recusarent, quod debebat saltem esse hoc (de uno legis capite). Sed aliud positum fuisse verbum ostendit etiam ascensus hic: et palam . . . dicerent. Scribendum est: cum hæc (quæ deinde ponuntur) *reputarent* et palam fortissime . . . dicerent, se cet. (Initio huius loci mirum est, violentam Classenii coniecturam præferri leni Klotzii atque vestigia litterarum sequenti: illa robora populi Romani, ceterique *eiusdem* ordinis. § 155 codicibus auctoribus tollendum est pronomen ipsum, ut scribatur: vobis remp. ... commisisse, sine cura esse, non metuere, ne cet.)

Ibd. 181: An hoc dicitis . . .? cui probatis?

quid est, quod minus veri simile proferre potuistis? Neque tempus neque modus rectus esse videtur, faciendumque *possitis*.

Ibd. 183: An id, quod vobis dicendum est et quod tum Sassia dictitavit, cum de furto quæreretur, tum Stratonem iisdem in tormentis dixisse de veneno? Velim scire, quid audiatur in illo: An id, et unde pendeat sententia infinita; neque enim præcessit dicitis aut simile quid, sed: Utrum furtum factum non est? . . . An . . . non pertinuit? . . . An id actum non est? Itaque mendosa hæc esse constat. Scribendum videtur: An id vobis dicendum est, quod tum Sassia dictitavit,...? omisso *quod* atque *et*.

Ibd. 192: mulierem quandam Larino atque illam usque a mari supero Romam proficisci cum magno comitatu et pecunia, quo facilius circumvenire iudicio capitis . . . filium possit! Sic ignotæ feminæ significationi superponitur illud atque illam, quasi certi aliquid et proprii addatur (velut eamque grandi natu aut simile aliquid); nunc, nulla re addita, ineptissima illa verba sunt. Aptissimum erit: mulierem quandam Larino atque *illim* a mari supero. Domicilii nomini additur communis totius regionis longinquæ significatio. Librarii antiquam adverbii formam non tulerunt.

(De § 199 dictum est vol. I p. 89.)[1])

[1]) Unius loci alienam correctionem in una littera positam vindicabo a contemptu. Nam § 163 prorsus necessarium est *nobis* iisdem fortasse patronis, absurdum multis modis, quod nuper homines mihi benevolentissimi revocarunt, vobis. Iudices, etiamsi secundum aliquem dant, patroni Latine dici non possunt, nec in privato iudicio Cluentius nisi unum aut tres iudices habiturus erat, cum in hac publica causa permagnus

De lege agraria orationibus et ei, quæ pro Murena habita est, quid nuper accidisset malæ fortunæ, significavi vol. I p. 81 n. Utimur enim in hac oratione solis apographis codicis a Poggio inventi, in illis apographis iisdem et præterea codice Erfurtensi paulo antiquiore. Sed cum Aug. G. Zumptius, vir doctus litterarumque Latinarum et rerum Romanarum studiosissimus, inter codices a Lagomarsinio collatos in unum (XLVIII, 9) ex illis apographis incidisset notabiliter a ceteris discrepans, novitatis specie captus nec manifestissimis ad deterrendum notis admonitus, infelici errore thesaurum egregium et ducem certum se repperisse ratus, confidenter primum orationem pro Murena, deinde (a. 1861) agrarias mirifice corruptum ivit. De qua re cum constituissem post Halmium alibi (nam hic quidem eius causæ pluribus agendæ locus non est) paulo copiosius dicere, quod reliquias quasdam erroris apud Kayserum et alios videbam superesse et saltem memorabilem illum haberi codicem nec contemnendum, nunc, quoniam et res perspicua est vel mediocriter ad indicia veri et fraudis in hoc genere animadvertenda et æstimanda exercitatis et displicet errorem viri honesti sed in novi inventi specie nimis ad credendum facilis et pertinacis multis verbis persequi et acerbe exprobrare, satis videtur, paucissimis quibusdam indiciis et exemplis in margine monstratis, breviter dicere, nulla omnino re codicem illum a ceteris separari nisi summa negligentia et incredibili interpolandi licentia, ut, deletis simpliciter omnibus, quæ illinc tanquam testimonii fide illata sunt et minore ex

numerus sederet. Et se promittere Cicero poterat illam causam, si a Cluentio rogatus esset (fortasse), acturum; prætorem quemquam ex iis, qui nunc sedebant, daturum, qui poterat prædicere? Tot in una littera vitia sunt sententiæ.

parte etiam apud Kayserum manserunt, ad ceterorum codicum non sane bonorum auctoritatem, hoc est, ad apographi Poggiani fidem et ad coniecturam in infirmo fundamento caute tentandam redeundum sit.[1]) Ex posteriore

---

[1]) Negligentia in hoc codice, ut statim I, 8 *exierunt*, sic propter vocabulum bis positum II, 24 quindecim verba omittuntur (*possit* . . . *possit*), 80 triginta sex (*patiemini* . . . *patiemini*); ignorantia et negligentia I, 2 scribitur *impunis bello* pro *impurus helluo*, *non* pro *nomen*, 5 *servi* pro *Servilii* (etsi et in hoc et in illo *bello* etiam mutandi, quod non intelligeretur, aliqua voluntas apparet); licenter interpolando vulgaria et librario notiora substituuntur: I, 2 *petitur* pro *quæritur*, 5 *Olympiorum* pro *Olympenorum*, incolarum oppidi Asiatici librario ignoti vero nomine, 6 *vendere* pro *divendere*, 9 *mittantur* pro *immittantur* atque *et f. formidolosi* pro *cum f. formidolosi* (*cum* . . . *tum* pro *cum* . . . *cum* . . . *tum*), in quo genere nihil notabilius est quam II, 41 bis *Alexandri* nomen pro *Alexæ* subiectum; I, 2 in contextu additur, quod in Erf. interpretandi causa scriptum est *numerata*; temeraria coniectura quater (!) in I, 11 et II, 57 ager *Recentoricus* in *censorium* mutatur (quem Zumptius lepide privatum interpretatur); cum II, 41 ex *reconditaast* pervagatissimo errore natum esset *recondita sunt*, ceteri librarii retinuerunt tamen *latet* et *traditur*, hic audacter *latent* et *traduntur* ponitur. Eiusdem generis omnia sunt, sine ulla exceptione. Sed quid hæc commemoro? Quid enim oportebat certius esse, quam, ubi cetera omnia apographa Poggiani codicis cum Erfurtensi aliunde orto consentirent, quæ in hoc uno discreparent, aut errore aut coniectura nata esse! Quod autem Kayserus bonum saltem esse codicem inde arguit, quod coniecturas quasdam confirmet et quædam recte omittat et nomina duo rectius scripta habeat, quid, malum, ad codicis bonitatem, hoc est, fidem in repræsentando, quod in archetypo fuit, pertinet *Hirpini* scriptum, ubi alii *Irpini* habeant (sed in eodem etiam *hodium* et *Pontho* et *inhers* aliaque), aut in tanta interpolandi licentia una et altera levissimæ rei correctio præcepta (ut II, 49 omissum *illo* post *absente*)? etsi quædam ex pusillis illis, quæ Kayserus ponit, incerta sunt, unum paulo maius prorsus pravum (I, 27 *deliciis*;

hoc genere iis, quæ antea contuli, hic addam non sane multa nec magna in orationibus mendorum plenis.

II, 13: Lex initio nulla proponitur; contionem in primis advocari iubet. Nihil est in primis contionem advocari, nec omnino Latinum, nisi inter plura, quæ agenda fuerunt, hoc maxime et præcipuo studio factum significatur, quod ineptum est. Aut simpliciter convocata dici debet aut, quod pæne postulat narratio, tempus ipsum et dies, in quem advocata fuerit, indicari. Scriptum fuisse iudico: contionem in *pridie Idus* advocari iubet, hoc est, in tertium tribunatus diem, quoniam a. d. IV Idus Dec. is inibatur.

Ibd. 22: Vix mehercule servis hoc eum suis, non vobis, omnium gentium dominis, probaturum arbitror. Usus loquendi postulat: non *modo* vobis. [Gulielm. ne vel nedum.] (De § 33 dixi vol. I p. 38.)

Ibd. 34 sic verba interpungenda sunt: cum velint, Romæ esse, cum commodum sit, quacunque velint, ... vagari ut liceat, conceditur, ut ex æquo ponantur hæc *cum velint* et *cum commodum sit.* Mox § 35 dubito, an scribi debeat: partim libera a vobis, partim etiam *ignota* vobis sunt pro ignorata, etsi memini, quid scribatur Tuscul. V, 23, 64; sed ibi est ignoratum ab Syracusanis, addita præpositione; in Bruto 176 fuerat ignorata est: „animadversa non fuerat", *ἐλελήθει*, ut apud Sallustium Iug. 54 ignoratus „qui nunc ipsum quid faciat, ignoratur", *λανθάνων*, non *ἄδηλος, ἄγνωστος*. Quod paulo post in codicibus est et

---

nam *deliciarum* mentio ibi inepta est). Exemplum correctionis in hoc uno codice factæ, quæ speciem habeat recti, ipsum rectum occultet, monstrabo in II, 97 (continet). Maneat ergo, aliquid tribuisse Lagomarsiniano illi gravissimi fuisse erroris, posthac tribuere summæ imperitiæ fore.

nunc editur: M. Tullio, Cn. Cornelio coss., postea, opinor fuisse *postve ea* (cfr. 38: L. Sulla, Q. Pompeio coss. aut postea), ut Verr. I, 106 scribitur: ab A. Postumio, Q. Fulvio censoribus postve ea, et apud Livium XLI, 9, 9 (ubi codex postque ea).[1])

Ibd. 41: tum, quando Alexa mortuo legatos Tyrum misimus. Si meliores haberemus codices, legeretur, ut alibi semper: tum, *quum*. [Sensit Klotzius.]

Ibd. 58: Quid? cuiusmodi est illud? tollitur vestrum iudicium; fœdus totum accipitur, comprobatur. Hæc interrogandi forma in pronomine illud transitum habet ad novam rem; hic in eadem re explicanda pergitur et summa concluditur. Decendum præterea erat: cuiusm. est illud, quod tollitur...? Scriptum fuerat: ... et ratum. *Cuicuimodi* est illud, tollitur vestrum iudicium, cet.

Ibd. 91 ex eo, quod in codicibus est: nervis omnibus ... eiectis, fieri debere *electis*, non *exsectis*, satis, ut opinor, demonstravi emendatt. Livv. p. 155 not. persuasique Baitero in Tuscul. III, 83 et 84, de divinat. II, 149. Sed quod inter omnibus et eiectis in apographis Poggianis interponitur urbis, id quoniam in Erfurtensi urbe scribitur, apparet ad eiectis additum esse (urbe eiectis), sublatoque vocabulo molesto scribendum esse: nervis omnibus electis urbem ipsam ... reliquerunt. (Paulo post § 94 removendi unci sunt; rectissime enim dicitur hinc Roma, ut indidem Ameria pro Rosc. Am. 74, et ad sententiam apte.)

---

[1]) § 40 scribendum esse: quid, *de quo* disputari contra nullo pacto potest, iam ante dixi; alioquin scriberetur saltem: quod contra disputari. Idem error (quid pro quid de) nuper Senecæ orationi illatus est ep. 114, 16 (quid de illa loquar ...? quid *de* illa in exitu lenta?)

Ibd. 97: Quibus illi rebus elati . . . non continebuntur; progredientur longius, efferentur. Singularis homo privatus, nisi magna sapientia præditus, vix facile sese regionibus officii magnis in fortunis et copiis continet; nedum isti cet. Mire adhæret nudum illud efferentur post progredientur longius (nec aptius progredientur nude poneretur, sequente longius efferentur). Tum singularis homo privatus pro eo, quod est unus homo priv., valde inusitate dicitur. Sed illud longius in apographis Poggianis (codd. Lagomarsinianis), ut videtur, omnibus est; contra in Erf., Erlangensi (apud Halmium) eoque codice, quo Pithœus usus erat, scribitur progredientur (*progrediuntur*), iuncti (P. cuncti) secum ferentur (*feruntur*). Et secum ferentur quidem natum est ex ecferentur, sed iuncti verum est et ad veritatem ducit. Sine dubio enim Cicero scripserat: progredientur *iuncti*, efferentur *singulares*. Homo privatus cet. Dixit autem singulares efferri (einzelweise und getrennt) eodem modo, quo Cæsar B. G. IV, 26 aliquos singulares egredientes. (Ipsum vocabulum hoc significatu apud Ciceronem est N. D. II, 73, ad Att. VII, I, 5.) Sed etiam in proximis verbis mendum esse satis declarat vitiosissime vix facile pro solo vix (hoc est, non facile) positum, tum codices; nam facile in uno est illo interpolatissimo Lag. 9, ceteri facilis (Erf. et alii) aut facili habent, pro sese ii, qui Poggiani non sunt, esset, postremo omnes continetur, nisi quod hoc quoque in illo uno corrector effecit. Certum primum est, hanc fuisse sententiæ formam: Homo privatus ... vix ... regionibus officii ... continetur; sunt autem regiones, quas Germanice dixeris: die abgegrenzten Richtungen. In illis facilis esset latet aliud substantivum particula et cum regionibus coniunctum. Scribendum: vix *spatiis et* regionibus officii ... continetur (die Bahnen und Richtungen).

Ibd. 99: ut nihil auro et argento violari, nihil numero et suffragiis declarari, nihil vi et manu perfringi posset, quod non vos oppressum atque ereptum teneretis. Recte sensit Orellius, a Baitero et deinde a Kaysero hoc loco iniuria neglectus, non ferri posse declarari, quod ad legitimam actionem pertinet, inter violari et perfringi, quæ ad iuris eversionem, interpositum, cum præsertim communis harum rerum effectus participiis oppressum atque ereptum significetur. Scribendum est: numero et suffragiis *depravari* (falsis, adulteratis, emptis).

Ibd. 101 dubito dixeritne Cicero consul se civibus, qui in contione stabant, auctoribus P. Rulli improbitati resistere, suspicorque eum scripsisse vobisque *adiutoribus*.[1])

III, 12: Causam quæro, cur ea, quæ maiores vobis ... quæsiverunt, venire patiamini, cum ea, quæ vestra sunt, condonari possessoribus eadem lege videatis. Negat Cicero cives hoc pati debere. Atqui *causam quærere* (*cur aliquid fiat*) solet prætextus quærendi significationem habere, non admirandi. Vereor, ne Cicero scripserit: *Ac iam* quæro, cur cet.

Ibd. 15: Et quoniam, qua de causa et quorum causa ille hoc promulgaverit, ostendi, doceat ipse num ego quem possessorem defendam, cum agrariæ legi resisto. Res non minus quam orationis forma clamat, non a Rullo postulari, ut doceat,

---

[1]) Cur magnam partem § 103 Kayserus uncis notaret, nulla omnino erat causa; nam et otii virtute parti laus apta est et concordiæ cum collega mentio prope necessaria, nec eam mentionem addere cuiquam in mentem venire poterat. Verba hic ut in § 102 dissoluta et distracta fere omnia certissimis sententiæ et figuræ rhetoricæ indiciis monstrantur et a me olim restituta sunt. (Quibus odio est otium in § 102 a me emendatum esse, ipse Ussingius dixit.)

Ciceronem populi Romani commoda defendere, sed ip
Cicero, postquam Rulli occulta consilia nudavit, quam s
hinc abhorreat ratio, declaraturum se promittit et m
declarat: populus Romanus possidet; defendo c
Itaque necessario scribendum est: Et quoniam ..
ostendi, *docebo* ipse *nunc*, ego quem possessore
defendam cet. Et nunc iam Mommsenius restituendu
vidit. Doceat ortum est ex ipse pronomine male
Rullum relato; est autem contrarium pronomini ille.

In Catil. IV, 10 in codicum scriptura (ipsum Le
tulum ... non putat, quum de pernicie populi
... cogitarit, etiam appellari posse populare
ferri etiam nequit, quod significat novæ appellationis a
iectionem, scribendumque est *iam* (post tantum scelus n
diutius); et ex præcedentibus litteris ortum. (Ex ed.
oratt. selectt.)

Pro Murena 44: Non placet mihi inquisit
candidati, . . ., non testium potius quam suffr
gatorum comparatio, non minæ magis qua
blanditiæ, non declamatio potius quam pers
lutatio. Ineptissime inter ea, quæ ad accusationem a
bitus competitori parandam pertinent, declamatio nomin
tur. (Quorundam hominum causa dicendum est, declam
tionem non esse commentationem causæ, neque comme
tationem fieri in publico, ubi persalutantur homin
multo minus declamationem apud Latinos indignan
clamorem appellari.) Scribendum est: non *denuntiat*
potius quam persalutatio. [Sic Bakius schol. hypom
V, 336.]

De § 73 dixi vol. I p. 61.

Ibd. 76: non amat profusas epulas, sord
et inhumanitatem multo minus: distinguit r
tionem officiorum ac temporum, vicissitudine
laboris ac voluptatis. Neque distinguere rati
nem officiorum (temporum) recte dicitur, et prors

perverse hoc de officiis et temporibus ipsis distinguendis interponitur, inter epularum sordiumque comparationem et laboris et voluptatis vicissitudinem. Una littera, quæ facillime addebatur, detracta, aptissima omnia erunt: distinguit *ratione* officiorum ac temporum vicissitudinem laboris ac voluptatis, hoc est, in iis alternandis rationem habet officiorum ac temporum. Idem Siesbyeo in mentem venerat.

Pro Sulla 42: Divisi toti Italiæ, emisi in omnes provincias, cet. Insolens dativus de indiciis pervulgatis et circum oppida missis. Codex Vaticanus (omnium optimus) totæ, quæ dativi forma prave orationi Ciceronis infertur. Significatur *tota Italia.* E sequenti e natum Italiæ, tum totæ, correctum deinde, ut esset toti. (De § 55 dictum est vol. I p. 127.)[1]

Ibd. 68: de quo etiam si quis dubitasset antea, num, id quod tu arguis, cogitasset interfecto patre tuo consule descendere Kal. Ian. cum lictoribus, sustulisti hanc suspicionem cet. Non reperitur alibi apud Ciceronem dubito, num; multo minus id aut apud ipsum aut apud alios huius ætatis scriptores de eo,

---

[1]) § 49 revocandum non ante suscensuit ex codicibus fide dignis omnibus, quod incertæ fidei libris Parcensi et H. Stephani obsecuti Halmius et Kayserus sustulerunt. Interrogatio bimembris (quam satis demonstrant an vero particulæ) cum sic decurrere deberet: An vero . . . familiarissimis suis non suscensuit pater tuus, mihi tu suscensebis, qui nullis tuis ornamentis adverser? ad prius membrum pluribus additis (inde ab intelligebat), anacoluthon natum est et alterum membrum per se alia forma adiectum, ut de provinc. consul. 21, Philipp. I, 17 (ubi oratio ab initio sic animo concipitur: an, si cui quid ille promisit, id erit fixum . . ., leges Cæsaris non valebunt?), Tusc. V, 73. (Duos posteriores locos expedivi adolescens in emendatt. Tullianis p. 44.)

quod quis futurum putat, ut h. l. („si quis credidisset, cogitasse eum descendere, sustulisti hanc suspicionem"). Cicero scripserat, ut semper in hac significatione: si quis dubitasset antea, *an*, id quod tu arguis, cogitasset cet. Hausto an post antea, additum est num.[1]

(De § 80 vid. vol. I p. 70.)

Ibd. 87: Itaque idem ego ille, qui vehemens in alios, qui inexorabilis in ceteros esse visus sum, persolvi patriæ, quod debui, cet. Adeo inepta est illa separatio tanquam diversorum in alios, in ceteros, ut suspicer, Ciceronem nihil scripsisse nisi: qui vehemens, qui inexorabilis in ceteros.

Pro Archia 10 in his verbis: cum ... aut nulla aut humili aliqua arte præditis gratuito civitatem in Græcia homines impertiebant aliquid esse vitii iam ab aliis intellectum est cum ex codicum indiciis (velut Gemblac. gravat in, supra scripto vel gratuito), tum quod nihil omnino ad rem pertinet, gratuitone an pretio civitas data sit. Sed nihil corrigendo exsculpi debere puto, sed tolli simpliciter gratuito aut gravat in, ortum, ut opinor, ex vocabulo in proximo versu ita per compendium scripto et depravato (in gra in GE pro in Græcia), ut coniectura varie expediretur. (Ex ed. IV oratt. sel.)

---

[1]) § 77 restituendum est, quod olim edebatur: si *in* extremo discrimine ac dimicatione fortunæ *deseret* (codd. deserit). Nam quod Halmius, quia in cod. Tegernseensi est si non pro si in, edidit Kayserusque retinuit: si non extremo discrimine ... deserviet, prorsus disceditur ab usu non solum verbi, quod est deservio, sed ipsius servio et inservio, quæ dicuntur de voluntate et studii et operæ ad alius rem accommodatione, non de ipsa utilitate. Nec præpositio abesse potest. Ex sin (pro si in) natum si non.

Venio ad quattuor orationes, quas primus Marklandus a Cicerone abiudicavit, cuius sententia a Wolfio renovata cum aliquamdiu ob viri auctoritatem et accusationis confidentiam viguisset, nunc iure communi consensu relicta ac deserta est. Ego quid de toto Wolfianæ quæstionis genere sentirem, dixi a. 1841 (opusc. acad. II p. 339 summa), nec de eo iudicio quicquam mutandum visum est, cum postremum a. 1857 exeunte orationes relegi, nisi quod magis etiam miratus sum, quam nihil usquam de orationis forma subtiliter observatum et animadversum esset, quam leviter et incaute de rebus institutisque Romanis iudicatum. Sunt hæ orationes tumidæ, crebra earundem rerum et in se laudando et in aliis insectandis repetitione molestæ, iurgiorum et conviciorum fœditate ad nostrum sensum valde insuaves, ut interdum miremur, talia in senatu et apud pontifices dici potuisse, sed Ciceronis sunt, de statu deiecti, pristinum dignitatis et auctoritatis fastigium neque firmis viribus neque constanti et gravi animo repetentis, maiores quidem duæ certissime; nam in gratiarum actionibus possit saltem intelligi arrepta ab declamatore materia et subinani verborum sono exornata; sed ut id factum credamus, contra traditam memoriam nihil cogit. Adeo autem mendose scriptæ, eo quidem depravationis ac mendorum genere, quod nihil habeat cum alienæ originis suspicione coniunctum, sed manifesto librariis debeatur, ad nos hæ orationes pervenerunt, ut, etiam adhibito summo cum fructu codice Par. 7794 et ad eius vestigia coniectura directa, non pauca aut incerta aut in certo mendo relinquenda sint. Eaque menda non raro iam ante codicis Par. ætatem licenter mutando occultata sunt, ut leniter curari nequeant. Mearum emendationum magnam partem, maxime in oratione de domo, iam apud Kayserum editam esse, supra dixi, quas hic brevissime ceteris interponam.

Orat., cum senatui gratias egit, 12. Codex Par. a

prima manu: fecitque, quod nemo unquam tyrannus, ut, quominus occulte vestrum malum gemeretis, nihil diceret. Supplementum supra versum recentiore manu adscriptum omitto. Sententiæ forma huiusmodi fuisse videtur nec verba multum diversa: fecitque ... ut, quominus occulte vestrum malum gemeretis, nihil *se intercedere* ediceret. In hoc ipso irrisio erat, quod Gabinius id negabat se vetare, quod vetari non poterat.

Ibd. 13: cum eum præter simulatam versutamque tristitiam nulla res commendaret, non inconsulta studium non dicendi uitia rei militaris non cognoscendorum hominum studium, non liberalitas. Sic P. Et studium loco suo motum bisque positum est et in non turbatum; in uitia subest peritia, fuitque hæc fere Ciceronis manus: non *iuris scientia*, non dicendi *vis*, *non peritia* rei militaris, non cognoscendorum hominum studium, non liberalitas. (Vis debetur Geertzio.)

Ibd. 23: ut ... cum apertis hostibus bellum geram, timidis amicis ignoscam, proditores non indicem, dolorem profectionis meæ reditus dignitate consoler. Neque de indicando h. l. agitur, neque proditoribus magis quam apertis hostibus parsurus Cicero erat. Scribendum manifesto: proditores *uindicem*.

Ibd. 25: (Q. Metellum P. Servilius) ad sui generis ... facta virtutesque revocavit, ut haberet in consilio et fratrem ab inferis, socium rerum mearum, et omnes Metellos, præstantissimos cives, pæne ex Acheronte excitatos. Delendum ab inferis, adscriptum ad illud ex Acheronte et alieno loco insertum. Nam neque recte bis idem ponitur et inepte

variatur, nec fratrem ab inferis adhibere omisso participio (excitatum, evocatum) ferri potest. [Sic iam Lambinus iudicavit.]

Ibd. proxime post: in quibus Numidicum illum, cuius quondam de patria discessus honestis omnibus ne luctuosus tandem visus est. Sic P. Quod editur ex Erf. et Pal. 9: molestus omnibus, ipsi ne luctuosus quidem visus est, ridicule interpolatum est, quasi minus sit *luctuosus* quam *molestus*. Ex P efficitur: *honestissimus* omnibus, *sed* luctuosus *tamen* visus est, cuius coniecturæ præcipuam partem Halmius præcepit.

Ibd. 27: Quid denique illo die, quem P. Lentulus mihi ... natalem constituit ..., quo die nos ... arcessivit in patriam ..., quo die quis civis fuit, qui fas esse putaret ... non se de salute mea sententiam ferre? Frustra in diligenter instituta periodo anacoluthon fingitur, tale præsertim, ut post rectum illud quo die nos cet. ab iisdem verbis quo die novum fiat orationis exordium. Aut omnino tollendæ posteriore loco sunt voces quo die tanquam errore ex sententia interposita hic repetitæ, aut scribendum *eo* die.

Ibd. 36 pro eo, quod edebatur, cod. P. confirmatum: cuius ipsam calamitatem ... etiam divinorum in remp. beneficiorum testem esse videatis, Kayserus meam coniecturam secutus scripsit *binorum* ... beneficiorum; neque enim usquam, ne in his quidem orationibus, Cicero sua facta et beneficia divina appellat, et perspicue ad numeri significationem referuntur, quæ sequuntur: nam et importata est, quia defenderam civitatem, et mea voluntate suscepta est, ne cet. Bina autem potius quam duo Cicero dixit, in utroque tempore plura esse beneficia significans. Ex huius denique scripturæ interpretatione in codicibus EF natum est duorum.

Ibd. 37 scribendum est geminatione litteræ sublata Qui cum statuisset, nisi per vos me reciperasset eandem subire fortunam atque idem sibi domicilium et vitæ et mortis *deposcere*, tamen cet (pro deposceret). Non poscebat hoc Quintus Cicero sed statuerat deposcere.

Orat., cum populo gr. egit, 1. Non recte periodu a Quiritium appellatione ducta (Quod precatus ...sum Quirites) in eadem terminatur (lætor, Quirites), e omnino hæc vox extremo loco languide adhæret. In I scribitur: lætor qui .R et si nihil. Scribi oportet lætor. *Quare*, etsi nihil est homini magis op tandum ..., tamen cet. Et requiri etsi alii senserunt sed illo posito non vinciebantur sententiæ, quod nunc fi restituto quare.

Ibd. 23 codicum hæc est scriptura (P et ceterorum) Postremo qui in ulciscendo remissior fuit, i1 eorum aperte utitur; at (Put) gravissime vitupera tur, qui in tantis beneficiis ... remunerandis es tardior, ex qua quod exsculpsit Mommsenius, neque sen tentiæ satisfacit et longe discedit (in eo suo iure aperte) Reperiendum est, quod illi gravissime vituperatu apte contrarium sit; id est huiusmodi: *non fere reprehenditur.* Error cœpit a re semel scripto.

Ibd. 24. Quæ codices, manifesto nonnullis omissis sic scripta habent: Quapropter memoriam vestr beneficii colam benevolentia sempiterna cun anima expirabo mea, sed etiam cum me ull monumenta vestri in me beneficii permanebunt ea, adhibita, quam iam Iægerus indicavit, Claudii Mamertini imitatione, fere in hunc modum supplenda sunt: Quapropter memoriam vestri beneficii colam benevolentia sempiterna *nec ea* (memoria ben. v.) cun anima *exspirabit* mea, sed etiam cum me *vit defecerit*, *multa* monumenta vestri in me benefici

permanebunt. Oculus librarii a me uita transiliit ad multa.

Orat. de domo 7 in P prima manu scribitur ita:. Utrum est tempus aliquod, quo in senatum venisse (venistis P.) turpe sit? an aures regatila de qua agebatur, ut rem ipsam repudiare et eos, qui agebant, condemnare deberem? Efficitur: an *ea res erat itaque* agebatur, ut rem ipsam repudiare (hoc respondet illis ea res erat) et eos, qui agebant, condemnare deberem (hoc illis itaque agebatur)? (Quod nuper editum est: an ea res erat illa, de qua agebatur, plane vitiosum habet pronominum concursum.)

Ibd. 10, ubi in P et aliis est: renovaturum te tua illis funesta latrocinia binum nonæ causam putavit? editur autem latrocinia ob annonæ causam putavisti? recto substantivo, scribendum est *per* annonæ causam. Nunquam aliter de prætextu et specie dicitur.

Ibd. 11: Frumentum provinciæ frumentariæ partim non habebant, partim in alias terras, credo propter varietatem venditorum, miserant, partim, quo gratius esset tum, cum in ipsa fame subvenissent, custodiis suis clausum continebant, ut subito novum mitterent. Quæ sit varietas illa venditorum, nescio; neque enim varietas hominis pro inconstantia animi dicitur, neque ea ad hanc rem pertinebat. Deinde provinciæ, quarum nullum erat commune consilium, inepte frumenta suis custodiis continuisse dicuntur, ut subito mitterent; privatorum hæc hominum consilia erant. Nimirum scripserat Cicero: partim in alias terras, credo propter *caritatem*, *venditores* miserant, partim ... continebant. Corrupto caritatem secuta est proximæ vocis depravatio. (Paulo post certe *senatum* aliquid consilii capere *oportuit* pro eo, quod scribebatur: certe senatus . . . potuit, Kayserus iam e mea

coniectura edidit. Necessitatem rei et officium senatus Cicero monstrat.) (De § 12 dictum est vol. I p. 18.)

Ibd. 22: dein gratulari tibi, quod M. Catonem a tribunatu tuo removisses, et quod idem in posterum de extraordinariis potestatibus libertatem ademisses. Sic codices; pro idem substituunt eidem, quod debebat esse ei; grave vitium relinquunt; nihil est enim Catoni libertatem de extr. potestatibus adimere. Quod deest ad sententiam et orationem explendam, in ipso illo idem latet, absumpta prima littera, quod eadem bis scribenda erat. Cicero enim posuerat: quod *dicendi* in posterum de extraordinariis potestatibus libertatem ademisses.

Ibd. 23: quis pecuniam ad emendos agros constitutam, ereptam ex ui Cæsaris rebus actis, quis imperium infinitum dedit? Sic codices. Certissimum mendum tam licenter tamque obscuris involucris absconditum est, ut suspicari atque etiam coarguere facile sit, prorsus protrahere et emendationem nisi peritissimis probare difficile. Quid est enim hoc locutionis aut cui simile eripere pecuniam ex actis Cæsaris, quasi pecunia actorum pars sit et in actis lateat? Quid porro ex rebus actis eripere aut quid hic res actæ? Sed ne Cæsaris quidem nomen ferendum ullo modo est. Nam, etiamsi concedatur Cæsarem illam pecuniam collegisse et in ærarium intulisse (quod non est ita), tamen Cicero, quamvis Cæsari parcat et blandiatur, neque Cæsaris pecuniam, quæ publica esset, appellasset, neque, reipublicæ et ærarii mentione omissa, gravissimi criminis loco posuisset, quod Cæsaris pecunia erepta et data Gabinio esset. Mansit in codicibus fraudis indicium in illo ex ui, pro quo frustra substituitur ex sui, quod manifesto pravum est (quis ... ex sui), aut ex Gai, quod nusquam in his orationibus sic aut similiter corruptum est. Breviter dicam. Cicero scripserat: ereptam ex *uisceribus ærari*

[redacted]

Hinc natum: ex uisceribus Cæsaris et, nescio quo errore distracta voce: ex ui Cæsaris rebus. Postremo accessit actis. Viscera ærarii § 124 iterum appellantur. Ponendum hoc fuerat vol. I p. 152.

Ibd. 34 revocandum e codicibus: videsne me non radicitus evellere omnes actiones tuas neque illud agere, quod apertum est, te omnino nihil gessisse iure, cet., pro quo nuper, receptis Lambini et Osiandri coniecturis, editum est: videsne me radicitus evellere ... meque illud agere, hoc quidem vitiose, pondere in pronomine (me) incumbente, cum dici deberet atque illud agere. Cicero reliquum Clodii tribunatum subsistere patitur, quem erant qui simul convelli putarent et ægre ferrent; vid. § 42 et 43.

Ibd. 39 quod e codicum scriptura (infirma sunt igitur tua acta C. Cæsaris) effeci: *Infirmas* igitur *tu* acta C. Cæsaris, positum iam est apud Kayserum.

Ibd. 46: hæc cum ita sint in re, ubi crimen est, ubi accusator, ubi testes, quid indignius quam, qui neque adesse sit iussus neque citatus neque accusatus, de eius capite ... conductos et sicarios ... suffragium ferre et eam legem putare? Dici debebat saltem: in ea re, ubi crimen sit. Cicero scripsit: ita sint in *reo*, ubi cet. Reo contrarius ponitur, qui neque adesse sit iussus neque ... accusatus. Sed præterea scribendum: et eam legem *putari*. Hoc indignum est; quid conducti et sicarii putent, nemo curat.

Ibd. 50: De hac igitur lege dicimus, quæ iure rogata videatur. Unde coniunctivus? et quo pertinet hæc sententia relativa? Scrib. dicimus, *quasi* iure rogata videatur. Reprehendit se Cicero, quod tanquam de iure rogata lege dicat, quæ omni veræ legis nota careat.

Ibd. paulo post codices: Quid, si etiam pluribus de rebus uno sortitu retulisti (P a manu prima retulis), tamenne arbitraris id, quod M. Drusus in legibus suis plerisque in bonis ille vir M. Scauro et L. Crasso consularis non optinuerit, id te posse hominum facinorum et stuprorum omnium Decumis et Clodiis auctoribus optinere? Primum fit uno *sortitore tulisti*, hoc est, uno prærogativam sortiente, simul et una rogatione, non pluribus sortitoribus, alio aliis comitiis: deinde: in legibus suis, plerisque bonis, ille vir, M. Scauro et L. Crasso *consiliariis* non optinuerit. Tria ponit Cicero, quæ potuerint M. Drusum adiuvare, quorum nihil in Clodio fuerit: ipsas leges plerasque, si non omnes, bonas fuisse (neque enim Cicero Drusi leges audet sine exceptione laudare), hominis ipsius dignitatem, consiliarios et auctores. (Hæc quoque apud Kayserum recepta.) Utrum hominem an omnium scribendum, et quid aut pro altero omnium substituendum aut post id addendum sit, incertum est.

Ibd. 57: Utrum, si dies dicta esset, iudicium mihi fuit pertimescendum an sine iudicio privilegium? Iudicium in causa tam turpi? scilicet homo, qui eam, si iam esset ignota, dicendo non possem explicare. Mire sic Cicero interrogat, ut ipse causam suam turpem dicat et tamen in ea iudicium non pertimescendum fuisse. Nam ironiæ in hac interrogatione nulla significatio est. In altera sententia deest pronomen (is scilicet homo, qui). Apparet excidisse aliquid, cum hæc esset orationis forma: Iudicium? in causa tam turpi *scilicet; is* scilicet homo, qui cet. Ab altero scilicet ad alterum oculus transiliit. Deinde scribendum est: ut ea ipsa non modo se, sed etiam, me absente, *per se* probarit. Luditur in se probare et per se probare, sine defensore.

Ibd. 58: An vero in iudicio periculi nihil fuit: privilegium pertimui, ne, mihi præsenti si multa irrogaretur, nemo intercederet? Non agebatur de multa, sed de capite et, ut paucis verbis post Cicero dicit, proscriptione. Scilicet cum sic Cicero scripsisset: privilegium, pertimui, ne, mihi præsenti si irrogaretur, nemo intercederet, librarius privilegium, quod nominativo casu positum esse non animadvertit, cum pertimui coniunxit, deinde, ne deesset subiectum verbi, quod est irrogaretur, addidit multa. Ceterum duobus ad refellendum propositis, priore absoluto, in altero adiungendo non solet an vero interrogative poni, sed cum ironia sic dici: *At* vero in iudicio periculi nihil erat: privilegium, pertimui, ne, mihi præsenti si irrogaretur, cet.

Ibd. 60: Sed quid ego vestram crudelitatem expromo, quam in ipsum me ac meos adhibuistis, qui cet. Poterat Cicero pro adhibuistis dicere exprompsistis; illo altero loco hoc verbo uti non potuit, quod nunquam simpliciter pro eo, quod est commemoro, ponit. Scribendum est *exprobro*. [Hoc Ernestio quoque visum est.]

Ibd. 62: eram etiam tuo iudicio civis incolumis, cum domus in Palatio, villa in Tusculano altera ad alterum consulem transferebatur; senatum consules vocabant; columnæ marmoreæ ex ædibus meis inspectante populo Romano ad socrum consulis portabantur; in fundum autem vicini consulis non .. ornamenta villæ, sed etiam arbores transferebantur. Ridicule in media descriptione bonorum Ciceronis ad consules translatorum illud interponitur: senatum consules vocabant, prorsus, etiamsi alio loco poneretur, rei et sententiæ contrarium, quasi ipsi prædones senatum ad rem fœdam prohibendam hortati sint. Aptissime contra paulo post descriptioni superadditur, quid illi interea fecerint: consules epulabantur.

Latet igitur in illis rei alicuius ad transportationis illius imaginem pertinentis significatio iis verbis comprehensa, quæ librario errorem obiecerint. Opinor, ut in re incerta, fuisse: *sarraca convolabant.*

Ibd. 64: Quod si non liceret, audieram et legeram, clarissimos nostræ civitatis viros se in medios hostes ad perspicuam mortem pro salute exercitus iniecisse: ego pro salute universæ reipublicæ dubitarem hoc meliore condicione esse quam Decii, quod cet. Sic Baiterus et Kayserus. Perversum dubitarem meliore condicione esse, quasi ad hoc forti animo opus sit, perversum pro republica esse meliore condicione. Recte interpunxerant superiores, sed iniuria esse omiserant contra codices. Scribendum: ego pro salute universæ reipublicæ dubitarem (iniicere me in medios hostes)? Hoc meliore condicione *essem* quam Decii, quod illi cet.

Ibd. 65: Cato fuerat proximus (in quem irrueres). Quid ageres non erat, ut qui modus moribus fuerat, idem esset iniuriæ. Quid? posses extrudere ad Cypriam pecuniam: præda perierit; alia non deerit: hanc modo amandas esse. Scribendum sic videtur: *Quod* ageres, non erat, ut, qui *laudis socius* fuerat, idem esset iniuriæ. Quid posses? extrudere ad Cypriam pecuniam? Præda perierit. Alia non deerit; *hunc* modo *amandemus.* Sic M. Cato cet. Primum nihil fuisse Cicero dicit, quod susciperet et conaretur Clodius, quo efficeret, ut, qui laudis Ciceronis socius fuisset, idem esset iniuriæ. Deinde ex sua persona quærit, quid tum potuerit Clodius facere (quid posses? — quid possim), et respondet tentando: Extr. a. C. p.? Tum Clodium secum sermocinantem inducit et consilium capientem.

[redacted]

Ibd. 68: vi, armis, dissensione hominum ad cædem instituta novoque dominatu pulsum esse dixit. Neque *dissensio* dici potest *instituti* neque ea armis adiungi et superponi. Fuit: *descriptione* .hominum ad cædem instituta. Cfr. 129: servorum omnium vicatim celebrabatur tota urbe descriptio. Alibi centuriare dicit. (De § 71 dixi vol. I p. 51. Eodem modo Mommsenium alicubi locum emendasse Halmius mihi indicat.)

Ibd. 76: semel, cum id feci, quod omnes immortalitati, si fieri potest, mandandum, tu supplicio puniendum putasti. Sic scribi oportet, eiecto negent, quod cum sententiæ interitu post omnes addidit aliquis, cum non animadverteret, ad omnes verbum ex putasti sumendum esse. (Omnes non negent inepte dicitur pro eo, quod est omnes affirmant, indicativo modo.)

Ibd. 78: tamen, quotienscunque vellet quis, hoc in genere solo rem iudicatam referre posse voluerunt. Non significat, quid maiores ipsi facere cupierint, sed quid fieri posse voluerint et æquum censuerint. Scribendum igitur *referri* posse. [Sic Faernus.]

Ibd. 80: ea iura sanxerunt, quæ nec vis temporum nec potentia magistratuum nec res tum iudicata nec denique universi populi Romani potestas ... labefactare possit. Sic codices; editiones tum (ante iudicata) omittunt. Neque una res iudicata in hac re quicquam valere poterat, neque ipsæ res iudicatæ cum vi temporum, potentia magistratuum, populi Romani potestate recte componuntur, sed aliquid, quod eæ habeant. Cicero scripserat: nec *rerum iudicatarum auctoritas* nec denique cet. Librarii oculus a ta (in iudicatarum) ad tas

aberrans effecit, ut rum auctoritas omitteretur; tum ex rerum factum est res tum.[1])

Ibd. 81 apud Kayserum ex mea emendatione sic scribitur: legem de iniuriis publicis tulisti Anagnino nescio cui Menullæ *pergratam*, qui tibi ob eam legem statuam in meis ædibus posuit (ex quo ipso apparet ei pergratam fuisse), pro eo, quod in codicibus et editionibus erat: Menullæ per gratiam. Nihil est legem ferre alicui per gratiam; dicitur Latine gratiæ alicuius causa aut (inde a Livio) in gratiam alicuius. (§ 82 pro amplexeris necessario aut cum Halmio in addendis *amplexaris* scribendum aut *amplecteris*. [Sic Klotzius.] De § 87 dixi vol. I p. 58.)[2])

Ibd. 91: Hoc ego populo si tum consules aut fuissent in republica aut omnino non fuissent, nullo labore tuo præcipiti furori...restitissem. Hoc prorsus ridiculum et sensu cassum est; nam consules tum fuisse in rep. Cicero non negat, quoniam ipse huic contrarium ponit: si omnino non fuissent. Sed ipsum hoc omnino, sententia qualis fuerit, demonstrat, quod per se perspicuum est. Hoc enim Cicero dicit, se, si aut boni aut omnino nulli consules fuissent, resistere potuisse; nunc, cum pessimi et perditissimi fuerint, non potuisse. Scribendum igitur: si tum consules aut fuissent *e* re-

---

[1]) Ann. Philol. Dan. V p. 13 et 160.

[2]) § 86 doleo et a Baitero et a Kaysero non solum contra manifestam formam rhetoricam sed etiam contra sententiam receptam esse codicis P manus primæ scripturam restitutio pro ea, quæ vere corrigendo substituta est, restituto. Restitutionem nemo maledicti et criminis loco obiecturus Ciceroni erat, sed exilium. Itaque quoniam ceteris etiam damnatis, sed iniuria, ea calamitas gloriam non imminuerit, deprecatur, ne sibi obiiciatur, qui neque damnatus sit et honorificentissime restitutus. Sed hoc ἐν παρόδῳ contra institutum nostrum.

[redacted]

publica aut omnino non fuissent. Deinde quod sequitur: Sed publicam causam contra vim armatam sine populi præsidio suscipere nolui, apertissimis verbis Cicero non populum sibi sed consules defuisse dixit, et in iis, quæ subiicit, P. Nasicam a P. Mucio consule defensum et ornatum commemorat. Itaque hic scripserat: sine *publico* præsidio (consulum). [Sic Garatonius.] Tum, qui armatam vim adversariorum pellendam fuisse dicit, neque in se neque in eo, quocum se comparat, P. Nasica, vim appellare potuit. Scriptum fuisse suspicor ad hanc formam: non quo mihi P. Scipionis, fortissimi viri, *virtus* in Ti. [*Graccho*,] privati hominis, displiceret. Post uiri excidit uir, remansit tus transiitque in uis; nam hæc vix discernuntur (tu et ui).

Ibd. 93: sed si mihi . . . nihil unquam aliud obiectum est nisi crudelitas ea unius temporis, cum a patria perniciem depuli. Ex hac codicum scriptura nuper factum est crudelitas mea unius temporis, pronomine abundante; rectius videtur esse: nisi crudelitas *et ea* unius temporis.

Ibd. 98: hæc omnia subire conservandorum civium causa atque ita, cum dolenter feras et sis (sic optime Baiterus pro dolenter as et sis) non tam sapiens quam ii, qui . . ., ea laus præclara atque divina est. Vix fero atque ita, cum pro eo positum, quod est idque cum, vereorque, ne subsit: subire conservandorum civium causa *neque vitare*, cum cet.

Ibd. 99: Quare — dirumpatur licet ista furia atque audiat hæc ex me, quoniam lacessivit, — bis servavi remp. Optime dicitur: dirumpatur licet (hoc est: dicam, etiamsi dirumpatur), perversissime licet audiat (hoc est: dicam, etiamsi audiat), quoniam hæc sententia est, etiamsi dirumpatur Clodius, Ciceronem dicturum illumque audire coacturum. Scripserat Cicero:

Quare, dirumpatur licet ista furia, *audiet* hæc ex me, quoniam lacessivit: bis remp. servavi cet. Non intellecta structura audiat factum est et cum dirumpatur copulatum. (De *traditis* § 122 iam apud Kayserum posito nihil opus est dici; etiam § 128 poteram omittere vol. I p. 36.)

Ibd. 129: imperia ascribebantur nova iuventuti. Ineptum h. l. ascribere, rectum imperia *scribebantur* (et leges, quibus iuventus pareret). Et in P est imperi ascribebantur, vocibus male separatis. (Quod § 131 e scriptura codicis P effeci iudicium *senatoriæ dignitatis*, iam apud Kayserum (præf. XL) legitur; senatorum de dignitate ordinem verborum habet apud Ciceronem perrarum nec positum, nisi ubi singulare in genetivo ex contrariis pondus est (ut de divin. II, 116, de rep. I, 28 et II, 10; partitivorum genetivorum paulo alia est ratio). Apud eundem in textu legitur, quod § 137 ex obscuris eiusdem codicis vestigiis huiusmodi: in hisce rebus ut in urbem suis laboribus incerta suspicione exsculpsi: in *eius civis ædibus*, *qui* urbem suis lab. Neque enim propius accedere potui.)

Ibd. 143: tamen illi di penates ac familiares mei per vos in meam domum mecum erunt restituti. Pro tamen, cui particulæ nihil loci sententia dat, scribendum est: *iam* illi . . . erunt restituti, ut rei exitus præcipiatur.

De haruspicum responso 5: Qui si sensit, quo se scelere devinxerit, non dubito, quin sit miserrimus; sin autem id non videt, cet. Et devinxerit et videt et sententia clamant scribendum esse *sentit*. (Lamb. 1584.)

Ibd. 11: sin scrupulus tenuissimus residere aliquis videbitur, . . . portentis deorum immortalium religionique parebo. Scrib. residere *aliquoi* videbitur. Nam aliquis neque superlativo sic

[redacted]

posito (ut sit vel tenuissimus) superaddi neque illo loco poni poterat.

Ibd. infra: sed ut huic furiæ, si diutius in hac urbe quam delere cuperet, vox interdiceretur. Sic P a prima manu, vacuo post urbe spatio; secunda manus post cuperet addidit maneret, non recta sententia; nam manenti tantum (tacitæ et quietæ) vox interdicenda non erat. Videtur Cicero scripsisse: ut huic furiæ, si diutius in hac urbe *quicquam* delere cuperet, vox interdiceretur (nisi tamen cum Lambino *intercluderetur* scribendum est). § 12, ubi editur: unius P. Servilii ac M. Luculli, scribi debet *aut* M. Luc.

Ibd. 17 quoniam in codicibus est inimici contumeliam sine præpositione nec Latine dicitur *respondere in contumeliam alicuius* pro eo, quod est *contumeliæ*, videndum est, ne scripserit Cicero: inimici *contumeliis* sine sua laude respondere, sed altero s omisso (contumelii sine) male suppletæ litteræ sint.

Ibd. 25: Quid magis inquinatum ... dici potest quam omne servitium...liberatum in alteram scænam immissum, alteri præpositum, ut alter consessus potestati servorum obiiceretur, alter servorum totus esset. Nemo dixerit, quæ hæc sit *liberatio* servitii; ac mendum ipsi monstrant codices, in quibus est liberatus. Poterat totum vocabulum abesse; sed nulla additi causa excogitari potest. Itaque suspicor, a Cicerone scriptum fuisse *libera vi*, ex eo, cum pro una voce (liberavi) acceptum esset, corrigendo natum esse liberatus.

Ibd. 36: Quare autem de iis dici suspicer, hæc causa est, quod sic statuo, et illud in hac civitate esse maxime illustre atque insigne periurium et te ipsum tamen in periurium [et te ipsum in] prime ab iis, quibuscum coniurasti, non vocari. Sublatis, quæ manifestum est errore bis scripta

esse (præsertim cum in P versus claudatur in periuri), ex his in periurium prime facile fit, quod apud Kayserum a me indicatum legitur: in *periuri crimen.* Nam corrupto vocabulo crimen, ex in periuri pæne necessario fiebat in periurium. Quod non in crimen Clodius vocabatur, in eo erat neglectus periurii ab haruspicibus significatus.

Ibd. 41: Ipse Saturninus ita fuit effrenatus et pæne demens, ut auctor esset egregius et ad animos imperitorum excitandos...perfectus. Neque sic auctor infinite dicitur neque auctoritas hic ulla significatur, sed in rebus agendis et orandis industria et vis. Itaque scribendum est: ut *actor* esset egregius.

Ibd. 43 scribendum est: Atque hic ei gradus — o misera tempora stultasque nostras discordias! — P Clodio gradus ad remp. hic primus *fuit et* aditus (v. primus est aditus) ad popularem iactationem atque adscensus. Neque est ferri potest, neque tolerabiliter gradus ad remp. definitur esse aditus ad iactationem.

Ad graviora, quæ restant, huius orationis menda tollenda nihil habeo, quod afferam.

De provinc. consul. 33: ceteræ partes (Galliæ) a gentibus aut inimicis huic imperio aut infidis aut incognitis aut certe immanibus et barbaris et bellicosis tenebantur. Neque in incognitis gentibus per se ullum est periculum, ut in inimicis aut infidis, neque certe immanibus recte tanquam minus subiicitur incognitarum appellationi. Recte contra hæc coniunguntur et procedunt: aut inimicis huic imp. aut infidis aut incognitis *ac* certe immanibus et barb. et bellicosis (quales semper cavendæ sunt). Nam tutius esse puto sic hæc corrigere quam illa duo vocabula (aut incognitis) tollere.

[redacted]

Orationem in Pisonem a. 1867 relegi et tum præter ea, quæ olim emendata alibi edidi, hæc correxi aut saltem tentavi.

§ 9: lex Ælia et Fufia eversa est, propugnacula murique tranquillitatis atque otii. Si singulari numero verbi Cicero usus esset, propugnaculum murusque scripsisset; nunc apparet eum posuisse: *eversæ sunt.* (Cfr. 10, ubi oratio sic interpungenda est: ... notionemque censoriam. Quas leges ausus est non nemo improbus, potuit quidem nemo convellere, quam potestatem minuere ... nemo tam effuse petulans conatus est, hæc sunt, o carnifex, in gremio sepulta consulatus tui.)[1])

Ibd. 14: Idem illo fere biduo productus in contionem ab eo, cui sic æquatum præbebas consulatum tuum, cet. In corruptis syllabis sic æquatum latere videtur nomen muneris (militaris) inferioris, cuius loco consulatus Pisonis apud Clodium fuerit. Scriptum fortasse fuerat: cui *optionatum* præbebas consulatum tuum. [Schuetzius succenturiatum.]

Ibd. 18: tamen id his non licere per interdicta potestatis tuæ crudelitatis erat non ferendæ. Perinepte et sine ullo exemplo simili interdicta Pisonis potestatis eius interdicta appellantur. Cicero scripserat: non licere per interdicta *tua* crudelitatis erat non ferendæ. Alterum nomen initio ad crudelitatis adscriptum est.

Ibd. 29 in corrupto idemque latet *denique*, orationisque forma huiusmodi fuit (de Cicerone et Pompeio):

[1]) § 12 miror apud Kayserum non annotari saltem coniecturam meam in addendis apud Halmium et Baiterum positam (p. 1452): egere *sordidissime* Gabinium; nam foris esse Gabinium certissimæ nugæ sunt de non sustinente æs alienum.

cuius in imperio, qui remp. senatus auctoritate servarat, [*is domi se aut*] *denique* in Italia, qui omnes omnium gentium partes tribus triumphis devinxerat, is se in publico tuto statuit esse non posse.

Ibd. 30: Quæ lex privatis hominibus esse lex non videbatur, inusta per servos, incisa per vim, imposita per latrocinium, sublato senatu . . . contra omnes leges nullo scripta more, hanc qui se metuere dicerent, hos consules . . . fasti ulli ferre possunt? Inuri lex alicui, etsi audacter, recte tamen dicitur, cum invito alicui et ægre ferenti violenter imponitur (pro Mil. 33); absolute, omisso dativo, inurere legem dici nequit, hoc quidem loco eo minus, quod gradus rei propriis verbis significantur (inusta ... incisa). Itaque prorsus puto scribendum: *iussa* per servos. [Idem Ernestio in mentem venerat.]

Ibd. 68: sed tamen lubricum genus orationis adolescenti non acriter intelligenti est sæpe præceps. Epicureorum orationem dicit lubricam esse, non de lubricæ orationis periculo per se. Scrib. est *et* sæpe præceps. [Sic etiam Pluygers Mnem. X p. 107.]

Ibd. 69: Itaque admissarius iste, simul atque audivit voluptatem a philosopho tanto opere laudari, nihil expiscatus est; sic suos sensus voluptarios omnes incitavit, sic ad illius hanc orationem adhinnivit, ut cet. Quid expiscandum erat et percontando inveniendum? et quid hoc verbum cum admissarii appellatione coniunctum habet? Requiritur verbum, quod tergiversationis et hæsitationis significationem habeat ad admissarium aptam; verum id quale fuerit, ex quotidiano et plebeio usu arcessitum, vix dici poterit. Venit in mentem potuisse Ciceronem pro deponenti ponere nihil *strigatus* est. Hariolationem hanc esse scio.

[redacted]

Ibd. 82: Quod quidem tu, qui bene nosses coniunctionem meam et Cæsaris, eludebas, cum a me, trementibus omnino labris, sed tamen, cur tibi nomen non deferrem, requirebas. Recte Halmius in eludebas hæsit, quod ab hoc loco alienissimum est; nec minus, ut nunc cetera sunt, perversa est relativa illa causalisque sententia (qui bene nosses). Omnia perspicua et apta erunt sic correcta: Quod quidem, tu *quam* bene nosses coniunctionem meam et Cæsaris, *elucebat*, cum ... requirebas. (Sciebas enim me Cæsaris causa id facere nolle.)

Ibd. 83: Notata a nobis sunt et prima illa scelera in adventu, quum, accepta pecunia a Dyrrhachinis ob necem hospitis tui, Platoris, eius ipsius domum evertisti, cuius sanguinem addixeras, eumque, servis symphoniacis et aliis muneribus acceptis, timentem . . . confirmasti cet. Non congruit domus eversa cum muneribus acceptis et homine confirmato. Ciceronem scripsisse: domum *everristi*, ostendunt etiam pronomina eius ipsius; notatur enim turpitudo exinanitæ muneribus domus eius ipsius hominis, quem occisurus Piso esset. (Mommsenius devertisti.) [Everristi etiam Manutius.]

Ibd. 86: tum acerbissime Bœotii et Byzantii, Cherronesus et Thessalonica sensit. Nominantur h. l. in crimine frumenti æstimati sine dubio homines locaque ipsius provinciæ Macedoniæ; Bœotii (vel potius Bœoti) non magis hic locum habent quam ceteræ Græcæ civitates liberæ (§ 96). Itaque qui in codicibus (sed tantum deterioribus h. l. utimur) Bœotii appellantur, videntur *Bottiæi* fuisse.

Ibd. 91: neque ullam pœnam, quæ tanto facinori deberetur, non maluisti subire quam numerum tuorum militum reliquiasque cognoscere. Ipse quidem Piso hanc cognitionem non fugiebat;

sed, quod norat, quam exiguæ superessent reliquiæ, aliorum conscientiam vitabat. Scribendum igitur manifesto est: quam *quemquam* numerum tuorum militum... cognoscere. Id vocabulum cur et quam facile exciderit, patet. (Recognoscere Halmius; sed ne id quidem Pisoni opus erat.)

Ibd. 95: P. Rutilio, quod specimen habuit hic civis innocentiæ. Quis, quæso, civis? aut quid est, civem aliquem alterum specimen innocentiæ habere? Sententiæ et orationi rectæ satisfacit, quod ante Halmium edebatur hæc civitas; sed in codicum scriptura (quorum plures hic cuius) latet fortasse potius hæc *urbs*. Paulo infra scribendum est: non eos, qui ita *iudicarant*, pari scelere obstrictos arbitraretur? Si coniunctivo Cicero uti voluisset, iudicassent dicendum erat.

Ibd. 97: Qui si nihil gesseras dignum honore, ubi exercitus, ubi sumptus? . . . sin autem aliquid sperare volueras, si cogitaras id, quod imperatoris nomen, quod laureati fasces ... te commentatum esse declarant, quis te miserior, cet. In sperando voluntas non spectatur, neque sperandi voluntas contraria est nulli rei gestæ (nullique spei materiæ), sed potestas. Duæ igitur litteræ mutandæ, ut sit: sperare *potueras*.

Pro Plancio 7 quod in optimo codice scribitur: Quid tu magni dignitatis iudicem putas esse populum? subesse puto: Quid? tu *in magistratibus* dignitatis iud. p. e. populum? singulari aliquo compendio in codice archetypo scriptum, quoniam etiam § 13 pro eum magistratum in Erf. est eum macc., in Tegerns. eum · cc.

Ibd. 13: eo plus aberat (tua virtus) a me, cum te non videbam. Inepta temporis notatio. Scribendum videtur: eo plus aberat a me. *Cur* te non videbam?

Ibd. 19: Tu es e municipio antiquissimo Tusculano, ex quo sunt plurimæ familiæ consulares, in quibus est etiam Iuventia: tot ex reliquis municipiis omnibus non sunt. Fuitne: plurimæ familiæ consulares (in quibus est etiam Iuventia), tot, *quot* ex reliquis mun. o. n. s.? [Sic Wunderus.]

Ibd. 59: Hæc illi soleo præcipere (quamquam ad præcepta ætas non est [gravis]), quæ ille a Iove ortus suis præcipit filiis:

Vigilandum est semper; multæ insidiæ sunt bonis;
Nostis cetera; nonne?
Id, quod multi invideant:

quæ scripsit gravis et ingeniosus poeta, scripsit, non ut illos regios pueros . . . sed ut . . . nostros liberos . . . ad laudem excitaret. Mira semper mihi visa est illa iudicum interrogatio, quasi diffidat orator eorum scientiæ, et proximorum aliquot verborum ad admonendum subiectio, quasi illis quattuor verbis magis memoria quam superiore versu ipso excitetur; itaque hanc grammatici suspicionem in margine antiqui codicis annotatam puto, Ciceronem tantum dixisse: Nostis cetera; quæ scripsit . . . poeta, non ut cet. Nam alterum scripsit recte ab aliis omissum puto. Non, quæ scripsit, omnia eo consilio scripsit, sed hæc ipsa. [Partem emendationis præcipuam præcepit Orellius.]

Ibd. 71: Quamobrem non debes...prædicare vitam meam, quæ fidelitate amicorum conservata sit, inimicorum modestia non esse appetitam. Scr. necessario conservata *st*; nam hoc Cicero interponit contrarium falsæ illi prædicationi.

Ibd. 94: Ego vero hæc didici, hæc vidi, hæc scripta legi, hæc de sapientissimis ... viris . . . monumenta nobis litteræ prodiderunt, non

semper easdem sententias ab eisdem . . . esse defensas. Scrib. hæc de sapientissimis viris ... monumenta nobis *et* litteræ prodiderunt, non semper cet.

Pro Scauro 16: Quare in eo genere accusationis si vincerer, succumberem et cederem; vincerer omni re, vincerer causa, vincerer veritate. Quis non videt scribendum esse: vincerer *enim* re, vinc. cet.?

Ibd. 24: Atqui homines prudentes natura, callidi usu, doctrina eruditi; tamen cet. Rectius litteræ separandæ: *At qui* homines? Prudentes natura, cet.

Philipp. II, 55 ex eo, quod in codicibus scribitur: Ut Helena Troianis, sic iste huic reip. belli causa pestis atque exitii fuit, simpliciter tollendum est belli, adscriptum ad pestis atque exitii, reliqua tenenda. (Ex edit. quarta oratt. sell.)

Philipp. XIII, 44, cum in codicibus sic scribatur: nisi forte eum subsidio tibi venire arbitraris cum fortissimis legionibus, maximo equitatu peditatu (non peditatuque) Gallorum, cumque constet ex Cæsaris scriptis Romanos hoc tempore suis legionibus equites Gallos adiunxisse, peditibus Gallis non usos (nisi raro et paucis, ut Aquitanis), certum est tollendum esse peditatu, quod additum ab aliquo est, qui legionibus eiusdem generis Gallicas copias adiungi debere putavit.

Ibd. 49: Cum hoc pacem M. Lepidus, . . ., si hæc videret, denique aut vellet aut fieri posse arbitraretur? Prave ponitur denique. Scripserat Cicero: si hæc videret, *audiret* denique (id est, aut saltem audiret), aut vellet aut f. p. arbitraretur? Quam facile alterum verbum excidere potuerit, apparet.

Ex iis, quæ ad Ciceronis **epistolas ad familiares**

olim annotaveram, nihil superest ineditum præter duo triave.

Lib. I ep. 2, 1: Videbatur enim reconciliata nobis voluntas esse senatus, quod cum dicendo, tum singulis appellandis rogandisque perspexeram. Quæ esset voluntas senatorum, rogandis singulis scire Cicero poterat, dicendo (ipse) non poterat, sed *in* dicendo, hoc est, dum dicebat, sentire ex silentio, vultibus, significationibus audientium. Paulo post § 2 scribendum est: nam ei Bibuli sententiam (de qua iam non agebatur, quod in alia omnia itum erat) valere *cupierant* (non cupierunt).

Ibd. 7, 8: quia non solum temporibus his, quæ per te sum adeptus, sed iam olim nascenti prope nostræ laudi dignitatique favisti. Quid sit tempora quædam per aliquem adipisci, nescio, neque, opinor, quisquam scit. Cicero Lentulo adiuvante in patriam ex exilio rediit; idcircone ea tempora, quibus rediit, per eum adeptus est? In scholiis Bobiensibus ad orat. pro Mil. c. 15 (schol. Cic. ed. Or. II p. 288), e quibus quia et iam et favisti pro qui, etiam, præfuisti restituta sunt (fauisti quidem ab aliis coniectura occupatum), scribitur per te se sum adeptus, in cod. Mediceo pro quæ priore manu qui. Cicero posuerat: temporibus *iis*, *quum* per te *salutem* sum adeptus.

Lib. III, 9, 3: Profecto non est meum, qui in scribendo, ut soles admirari, tantum industriæ ponam, committere, ut negligens scribendo fuisse videar, præsertim cum id non modo negligentis, sed etiam ingrati animi crimen futurum sit. Alterum scribendo delent. Puto subesse: ut negligens *in rescribendo* f. v.

Lib. X, 32, 3: quia, cum . . . bis gratis depugnasset, auctorari sese nolebat. Cod. Medic.

auctore. Scrib. *auctorare se* nolebat. Ipse id, quod ab eo postulabatur, facere nolebat.

Lib. XII, 15, 4 in epistola P. Lentuli hæc leguntur de Rhodiis: Hæc sive timore, ut dictitant, de agris, quos in continenti habent, sive furore sive impotentia paucorum, qui et antea pari contumelia viros clarissimos affecerant et nunc maximos magistratus gerentes nullo exemplo neque nostra ex parte neque nostro præsentium neque imminenti Italiæ urbique nostræ periculo . . . mederi, cum facile possent, voluerunt, ubi neque orationem neque sententiam constare in illis: qui affecerant et nunc ...gerentes aut in his: neque nostra ex parte neque nostro præsentium periculo ... mederi voluerunt, satis patet. Fuerat autem forma orationis huiusmodi (nam ipsa verba reperiri præstarive nequeunt): *Ac* sive timore . . . sive impotentia paucorum, qui et antea...affecerant et nunc maximos (cum maxime, Schuetz.) magistratus *gerunt*, nullo exemplo neque *nos accipere portu* neque nostro præsentium neque...periculo..mederi..voluerunt.

Lib. XIII, 29, 7: Hoc mihi velim credas, si quid fecerim hoc ipso in bello minus ex Cæsaris voluntate, quod intellexerim scire ipsum Cæsarem me invitissimum fecisse, id fecisse aliorum consilio. Cicero scripserat et sic separari sententias voluerat: (quod *intellexi* scire ipsum C. me invitissimum fecisse).

Paulo plura, omnino tamen pauca, restant proferenda ad epistolas ad Atticum.

Lib. I, 14, 7 quod editur: cum Lucceio in gratiam redi, nisi in uno loco a scribendi consuetudine discedere placet; *redii* scribi debet.

Ibd. 18, 2 in codicum scriptura, quæ hæc est: tamen voluntas etiam atque etiam ipsa medicina

[redacted]

efficit, nihil videtur subesse nisi hoc: tamen voluntas *iam* atque etiam ipsa *me* medicina *deficit.* Et deficit iam alii.

Lib. III, 10, 2 (nam de 8, 2 dixi vol. I p. 145) duarum particularum ordo sic invertendus est: quod commisi, ut hæc *non aut* (vulgo aut non) retinerem... aut certe vivus non amitterem. Erant, qui Ciceroni dicerent aut retinenda ius et dignitatem fuisse aut saltem non nisi cum vita amittenda; reprehendebant igitur, quod non aut hoc aut illud (ut vivus non amitteret) fecisset.

Lib. IV, 2, 7: Amicorum benignitas exhausta est in ea re, quæ nihil habuit præter dedecus, quod sensisti tu absens, præsentes, quorum studiis ego et copiis, si ..., facile essem omnia consecutus. Scribendum est: (quod sensisti tu absens, *nos* præsentes); quorum studiis ego cet.

Ibd. 3, 2: Etenim antea, cum iudicium nolebat, habebat ille quidem difficilem manifestamque causam, sed tamen causam, cet. Neque iudicium nolle dicitur neque agitur de tempore aliquo, quo Clodius iudicium subire magis quam nunc noluerit, sed de eo, quo aliquam tamen spem evadendi ex eo habuerit. Scribendum est: Etenim antea, cum iudicium *volvebat*, habebat ille quidem cet., hoc est, quoties animo proponebat et de eo cogitabat.

Lib. V, 10, 4 edebatur vulgo: ac non modo nemo, sed ne rumor quidem quisquam, ut sciremus, in rep. quid ageretur, cum gravi orationis vitio (rumor quisquam), de quo dicam ad XI, 25, 1; sed codex Mediceus: ac non modo nemo modo ne Roma quidem quisquam, ut sciremus, cet., quod cum mendi nota Baiterus posuit. Efficitur: ac non modo nemo *domo*, *sed* ne Roma quidem quisquam. Non modo nihil domesticarum litterarum de rebus privatis, quarum mentio

præcedit, sed ne Roma quidem omnino ullas se accepisse dicit. [Sic iam Kayser apud Baiterum p. XXXVIII b.]

Lib. VI, 6, 1: Sed crede mihi, nihil minus putaram ego, qui de Ti. Nerone . . . certos homines ad mulieres miseram, cet. Si sic sententias Cicero vinxisset, scripsisset sine dubio: qui (etiam) de Ti. Nerone...miserim. Puto fuisse: ... ego; *quin* de Ti. Nerone ... miseram.

Lib. VII, 2, 3: Eius testamentum deporto Ciceronum signis obsignatum. Cod. Med. detortorio Ciceronum, CZb detortorium Ciceronum. Fuit: deporto *trium* Ciceronum signis. Se et filium et fratris filium (quem affuisse statim significat) dicit. [Sic Orellius II.] (Ep. 4, 2 inter venisset et Balbus excidit et.)

Lib. VIII, 11, 1: Lamentari autem licet. Illud tamen totos dies; sed vereor ne, nihil cum proficiam, etiam dedecori sim studiis. Scribendum ea orationis forma, cuius certissima indicia sunt in licet, in illud, in ordine verborum: Lamentari autem licet illud *quidem* totos dies; sed vereor cet.

Ibd. 11 D 8, omisso quam, quod ex superiore versu errore repetitum est, scribendum: Brevem illius temporis, dum in spe pax fuit, rationem nostram vides, reliqui facultatem res ademit. (§ 7 miror sperni potuisse iisdem procellis, quod non minus certum est, quam quod C. F. W. Muellerus *neque* hæc non ego pro atque h. n. e. restituendum vidit.)

Lib. IX, 1, 4 scribendum est: Appius et eodem timore et inimicitiarum recentium *etiam*; præter hunc et C. Cassium reliqui legati cet. (v. recentium; et tamen præter cet.). Sed fortasse, quoniam dure ad hos ablativos e superioribus elicitur fugit aut simile verbum, et quod idem timor non diversus est ab inimicitiarum timore, præterea scribi debet: Appius *est*

eodem timore inimicitiarum, recentium etiam, aut: *est in* eodem timore. Diceretúrne esse magno timore (hic V, 14, 2), dubitavi olim opusc. acad. I p. 193, ubi confirmavi recte dici esse æterna gloria (add. de divin. I, 38, Corn. Nep. Epam. 2, longe maximo honore Liv. I, 40, Tac. hist. I, 64). Esse magno alicuius beneficio legitur Philipp. VIII, 18, ad Famil. VII, 30; esse odio magno act. I in Verr. 42 (minore se invidia fore, Corn. N. Eum. 7; tanta caritate esse Liv. I, 54); pari, magno periculo esse in codicibus Cornelii Nepotis scribitur Dat. 5, Hamilc. 2, Hannib. 9.

Ibd. 13, 3: Nihil me adiuvit, cum posset; [et] postea fuit amicus, etiam valde, ecquam ob causam, plane nescio. Codices: et quam ob c. plane scio. Scrib. *nec*, quam ob causam, plane scio.

Ibd. 13 A extr.: Quod si una essem, aliquid fortasse proficere possem videri (M. proficiscere possum videre); nunc exspectatione crucior. Non agitur, quid Balbus videri possit, sed quid, si una esset, proficere posset aut saltem posse se crederet ac videretur (aut profecturum se fuisse credat). Scribendum est: proficere *posse viderer* aut: *posse mihi viderer*, ut ex compendio pronominis ortum putetur *m* (possum).

Ibd. 14, 2: nihil Curionem se (Cæsare) duce facere, quod non hic (Pompeius) Sulla duce fecisset; ad ambitionem, quibus exilii pœna superioribus legibus non fuisset, ab illo patriæ proditores de exilio reductos esse. Requiri a se, cui contrarium subiiciatur ab illo, multi intellexerunt; in illis ad ambitionem possit aliquis opinari subesse, quod ad hominum genus notandum pertineat (velut damnatos ambitus); sed neque facile quidquam efficitur ad litterarum vestigia aptum, neque commodissime universæ signi-

ficationi (quibus exilii cet.) hæc speciei notatio præponitur. Itaque potius suspicor, ita corrigenda hæc esse: *a se dari reditionem*, quibus superioribus legibus cet. Reditionis nomen (quo redeundi facultas magis significatur quam altero reditus) et apud Ciceronem et apud Cæsarem legitur. Recte huic dari de iis, quæ nunc fiunt, contrarium ponitur revocatos esse de superiore tempore. Sed suspicio hæc est tantum. (Ep. 18, 1 e codd. recentt. et edd. vett. revocandum: si nos non *veniremus* post illud oratio fuit.)

Lib. X, 12, 3: Hic nos C. Marcellum habemus eadem de re cogitantem aut bene simulantem. Mediceus: eadem e re. Scripserat Cicero: eadem *vere* cogitantem aut bene simulantem.

Lib. XI, 21, 3: Hæc autem eiusmodi sunt, ut obliviscar mei multoque malim, quod omnibus sit melius, quorum utilitati meam iunxi. Offensus suarum partium peccatis Cicero obliviscitur sui et mavult, quod melius sit, quibus tandem? Omnibus, quibuscum suam utilitatem coniunxit, hoc est, suis partibus et sibi. Nihil potest perversius. Aptissima omnia erunt revocata particula, quæ ante quorum excidit: malim, quod omnibus sit melius, *quam* quorum utilitati meam iunxi. Omnium (communem) utilitatem præfert partium suarum utilitati. De animo Ciceronis hoc tempore cfr. ad Fam. IX, 6, 2 et 3.

Ibd. 25, 1: quoniam neque consilii tui neque consolationis cuiusquam spes ulla mihi ostenditur. Pronomen quisquam Cicero præter vocabulis homines significantibus addidit etiam appellationibus plurium hominum (in Verr. II, 17: cuiquam generi hominum, cuiquam ordini, ad Fam. III, 10, 6: cuiquam legationi); cum rei nomine coniuncti eius pronominis hoc unum est exemplum non solum apud Ciceronem,

sed apud omnes huius Augustive ætatis prosæ orationis scriptores; (nam rumor quisquam, quod hic V, 10, 4 edebatur, totum confictum erat). Id facillima tollitur emendatione: neque consilii tui neque consolationis *usquam* spes ulla mihi ostenditur.[1])

Lib. XII, 32, 1: Illud autem ... ipsum volo vitare, ne illæ ad me veniant. Et una est vitatio, ut ego nolim. Sed necesse est. Si illa vitatio esset satisque esset nolle, bene ageretur nec quicquam facilius expediretur. Codex Med. nollem. Scribendum: Et una est vitatio, ut ego *alio*. Nollem; sed necesse est; te hoc nunc rogo, ut explores, ad quam diem hic ita possim esse, ut ne opprimar. Fugam mulieres vitandi causa cogitat, sed differre eam, quantum possit, cupit. De sententia restituta nulla esse dubitatio potest, de vocabulo (alio) potest. Fuitne *avolem*?

Ibd. 42, 1: mihi tamen illud, quicquid erat, non molestum fuit, nihil aliud scire me novi te nihil habere. Sic codices. Addunt editores nisi ante novi, quo fit, ut Cicero sibi ipsam omnium aliorum ignorantiam non ingratam esse dicat, cum hoc dicere debeat, sibi non ingratum esse saltem hoc scire, nihil Atticum novi habere. Scripserat: non molestum fuit, *si* nihil aliud, scire me novi te nihil habere. Notus est usus huius formulæ si nihil aliud pro eo, quod est saltem; vid. in Verr. lib. I, 152, Liv. III, 19, 6, XXX, 35, 8, XXXIII, 44, 9.

Lib. XIV, 20, 4: Quæris, ut suscipiam cogitationem, quidnam istis agendum putem: con-

---

[1]) Suetonius quisquam de rebus dixit Iul. 59 (a quoquam incepto) et Aug. 57 (ex quoquam, ubi auditur acervo), Columella II, 6, 4 (quisquam ager), alii. Neuius consolationem cuiusquam intelligit; sed de uno Attico Cicero cogitare videtur.

silia temporum sunt, quæ in horas commutari vides. Latinum non est *quærere, ut quis faciat*, pro eo, quod est *postulare*; itaque Baiterus abesse malit illa: ut suscipiam cogitationem, quæ nemo additurus erat, tam Latine præsertim et proprie. Sententiæ formam viderat Lambinus (quod rogas), sed a proximo et vero aberravit, quod hoc est: *Quod vis*, ut suscipiam cog., q. i. agendum putem, consilia temporum sunt, cet. (Ep. 21, 2 utendum esse vetere coniectura: ut *arma* omnes haberent, et res et verbum rei proprium inspicerent ostendit.)

Lib. XV, 6 initio epistolæ, restituta cod. Medicei scriptura, lacuna sic indicanda est: Cum ad me Brutus noster scripsisset et Cassius, ut Hirtium, qui adhuc bonus fuisset, * * * sciebam neque eum confidebam fore mea auctoritate meliorem (Antonio est enim fortasse iratior, causæ vero amicissimus), tamen ad eum scripsi cet. Quæ exciderunt, huiusmodi fere fuerunt: [*confirmarem et excitarem, etsi alieno a causa animo fuisse*] sciebam, cet. Sic demum intelligitur tamen.

Ibd. 20, 4: quæ (mercedes dotalium prædiorum) si fideliter Ciceroni curabuntur, quamquam volo laxius, tamen ei propemodum nihil deerit. Vereor, ne *lautius* scribi debeat.

Ibd. 26, 4 e codicis Med. vestigiis hæc efficiuntur: M. Ælium cura liberabis; me paucos specus in extremo fundo, et eos quidem subterraneos, servitutis *putasse* aliquid (cod. apudtale quid) habituros; id me iamiam nolle (iam non nolle?) cet.

Ad Ciceronis de philosophia libros quæ annotata habebam nec antea edideram, ea partim a. 1857 (ad Academica, Tusculanas, paradoxa, libros de rep. et de legibus), partim 1859 (ad libros de nat. deorum, de divin., de

fato) ad Halmium misi, quibus is et Baiterus ita usi sunt, ut maiorem partem in contextu ponerent, reliqua in annotationibus; quæ ad Academica pertinebant, cum sero, impressis iam illis libris, ad Halmium pervenissent, apud Baiterum in eius et Kayseri exemplo leguntur. Neque post id tempus ad hos libros redii, nisi quod eorum, qui de finibus bonorum sunt, recensionem recognovi. Itaque exhausta tum materia, nunc hanc scriptorum Ciceronianorum partem fere præterire licet; nam neque quæ in scripturæ codicum delectu nonnullis locis minus probo, ad hoc scribendi genus pertinent, neque unam alteramve emendationem, cuius necessitas veritasque minus perspecta est, nunc iterum commendare placet.[1]) Ne tamen prorsus nihil dicendum sit, pauculæ emendationes faciunt tum fortasse meo errore omissæ, una in Tusculanis post inventa. Nam

Academ. II, 54, ubi refutatur eorum sententia, qui ex rerum similitudine concludunt posse esse res prorsus nulla nota distinctas, in codicibus sic scribitur: e t c u r i d p o t i u s c o n t e n d i t i s, q u o d r e r u m n a t u r a n o n p a-

---

[1]) Moleste tuli (dicam enim aperte) Off. II, 17 a Baitero, benevolentissimo meorum iudice, retentam esse, omissa etiam in altera editione coniecturæ meæ mentione, vulgatam hanc scripturam: h o m i n u m . . s t u d i a a d a m p l i f i c a t i o n e m n o s t r a r u m r e r u m p r o m p t a a c p a r a t a v i r o r u m p r æ s t a n t i u m s a p i e n t i a e t v i r t u t e e x c i t a n t u r. Quid enim ad nostrarum rerum amplificandarum studium valet (aliorum) virorum præstantium virtus? et quis in hac re sapientiæ locus est? Nostra virtute studia allicienda sunt. Ad hæc cum accedat, ut in antiquissimis codicibus scribatur v i r o r u m p r æ s t a n t i a s a p i e n t i a, nihil certius est, quam scriptum a Cicerone esse: *m o r u m* p r æ s t a n t i a e t v i r t u t e, corrupto m o r u m addito esse s a p i e n t i a, tum factum p r æ s t a n t i u m. Antiquum, sed manifestum mendum est.

titur, ut non suo quidque genere sit tale, quale est, nec sit in duobus aut pluribus nulla re differens ulla communitas? ut sibi sint et ova ovorum et apes apium simillimæ. Quid pugnas igitur? cet. Miror primum Baiterum in altera editione vetere Lambini errore deceptum esse, ut scriberet nulla communitas, cum in priore verum tenuisset, positis iis, quæ ego adolescens recte scripsi. Ii enim, quorum hic sententia defenditur, contendebant suo quidque genere esse tale, quale esset, nec esse in duobus nulla re differentem ullam communitatem. Itaque sequitur, ut dicant, naturam non pati, ut non ita sit, pertinetque prima illa negatio ut non ad totum hunc complexum sententiæ ex affirmativo membro et negativo (nec sit — ulla) constantem. Deinde autem iure hæretur in illis ut sibi sint; sed quod Baiterus a W. Muellero sumptum posuit ut si sint et ova cet., sententiæ et disputationi contrarium est; neque enim hoc tanquam falsum comparatur et exempli causa additur, sed simillima ova ovorum, apes apium esse, prorsus conceditur, negatur autem quicquam inde ad id, de quo agatur, argumenti nasci. Itaque rectissime per se hoc ponitur conceditur que: Sint et ova ovorum et apes apium simillimæ, quibus ea, quæ sequuntur, annectuntur. Relinquuntur illa ut sibi, ex quibus efficitur, quod superiora recte et apte expleat: ulla communitas *visi*. Hoc enim ipsum quæritur, possintne duæ pluresve res visum (φαντασίαν) nulla re differens præbere communeque habere.

De nat. deor. II, 26: aquæ etiam admixtum esse calorem primum ipse liquor aquæ declarat effusio. Sic codices antiquissimi (A P V Baiteri, a quibus reapse non dissentit C (H), in quo est dederat effusio), atque hinc nata corrigendo esse perspicuum est, quæ in ceteris sunt, declarat effusæ, d. effusioque, d. et effusio. Prorsus improbabiliter vocabulum tollitur, præ-

eunte codicis H correctore. Scribendum erat: ipse liquor aquæ declarat *et fusio.* Græcum χύσιν Cicero reddit; vocabulo utitur iam Lib. I, 39. [Sic Lallemandus.][1])

Tuscul. IV, 64 quod editur, consentientibus codicibus: quibus igitur rationibus instantia feruntur, eisdem contemnuntur sequentia, mendosum esse certum est, quod nunquam sequentia aut omnino aut in hac ægritudinis et metus separatione pro futuris ponuntur, ad quæ metus pertinet, ut ægritudo ad instantia (hoc est, præsentia). Ciceronem scripsisse: contemnuntur *veni-*

---

[1]) Quod doleo interdum etiam a prudentibus hominibus tacita præteriri, quorum certa menda et perspecta a superioribus et emendata sint, eius rei notabile exemplum in huius operis libro III, 23 mihi se obtulit. Nam nihil Baiterus neque in maiore editione neque in ea, quam cum Kaysero curavit, annotavit ad hæc verba: sæpe dixti nihil fieri sine deo. Et tamen prorsus vitiose dei nomen hic poni, ubi omnia ad mundi notionem eiusque cum eis, quæ in mundo essent, comparationem referrentur ipsaque argumenti conclusio proximis verbis constitueretur in illis ex eo procreantur, hoc est, e mundo, Heindorfius intellexerat et accommodate ad id, quod II, 88 legitur: ex quo et oriuntur et fiunt omnia, scribendum indicaverat: nisi ex eo; Schuetzio placuit sine eo. Mihi, cum casu in hunc locum incidissem, statim idem in mentem venit, quod olim apud Heindorfium videram. Contra in eodem libro § 54 nunc sine ulla varietatis mentione editur proxime superiores, cum ante Davisium omnes recte edidissent proximæ superiores. Codicum quidem testimonium ambiguum est; sed ita (proximus superior) Ciceronem locutum esse, reliqui ostendunt loci, in quibus nulla relinquitur ambiguitas aut dubitatio, huius operis II, 53, Orat. 216, ad Fam. I, 9, 20 (ubi temere prorsus Cobetus superioribus tolli voluit), Tac. Ann. I, 77. Nimis facile Orellio graviter erranti creditum est.

entia, apparet ex § 11 (quæ enim venientia metuuntur, eadem afficiunt ægritudine instantia, ubi præcedit: metum futuris, ægritudinem præsentibus), III, 14 (easdem impendentes et venientes timemus), Acad. II, 135, cet. Sequentia ortum est ex eo, quod proximum præcedit longe aliter positum: dux consequentis molestiæ.

Cat. M. 14 scribendum sic esse: ille autem Cæpione et Philippo iterum coss. mortuus est, cum ego quinque et sexaginta annos natus legem Voconiam magna voce ... *suasi. Sed* annos septuaginta natus cet. (pro suasissem. Annos sept. n.), admonuit me aliquando Io. Forchhammerus. Nam et prava significatio oritur ex hac coniunctione: mortuus est, cum ego suasissem, et desideratur sed in oratione ad propositum (quod non faciebat is cet.) revocanda.

Ibd. 28 sublata geminatione litteræ scribendum est: sed tamen est decorus *seni* (pro senis) sermo quietus et remissus.

Postremo loco **fragmentorum** quoque ex Ciceronis libris, qui interciderunt, correctiones pauculas brevissime subiiciam, Kayseri et Baiteri ordinem sequens. Nam in fr. 8 orat. pro Fundanio (ex Iul. Rufiniano, Kays. p. 7) scribendum est: si tibi hoc *a Parmenone aliquis* ac non ipse Parmeno nuntiasset; in oratione, quæ inscribitur pro L. Othone (p. 26) ponenda ex Arusiano Messio p. 245 Lindem. vera inscriptio: cum a ludis contionem avocavit (cfr. Plut. Cic. 13); in fr. 1 orationis contra contionem Q. Metelli (p. 26) sine dubio scribendum est: sic enim *agam*, ut opinor: insequar fugientem, quoniam cet., fr. autem 9 (p. 27) e codicum Quintiliani vestigiis efficiendum videtur: qui indicabantur, eos

vocari, custodiri, ad senatum adduci iussi, in *senatus fide posui.* Ex orationum, quæ interciderunt, indice (p. 37) tollenda est, quæ pro L. Atratino fingitur, et quæ incredibili errore pro Cæsare Vopisco; una ponenda, quæ duobus nominibus fertur pro L. Corvino (pravo) et pro C. Orchivio (vero): addenda, si operæ pretium est, quam vol. I p. 155 erui, pro negotiatoribus Achæis. In epistolarum ad Cæsarem libri III fr. 1 (p. 40, e Nonio) scribendum est: non te exercitu retinendo *tuereris* (pro tueri), sed eo tradito aut dimisso; in epist. ad Cæsarem iun. lib. II fr. 7 (p. 42, indidem): scriptum erat equestre prœlium valde secundum, *peditis* (vel *militis*, pro in his) autem potius adversum, libr. autem III fr. 2 (indidem): ego autem *antiquus sum* (pro antiquissimum), *oriundus* (oriundum) Scythis, quibus antiquior lætitia est quam lucrum; in fr. denique epist. ad Catonem (p. 47, indidem): nec idcirco mihi *deserendam* (pro desiderandam) esse dignitatem meam, quod eam multi impugnarint, sed eo magis recolendam, quod plures desiderarint. In Hortensii fr. 66 (p. 63, e Nonio) supplenda, quæ exciderunt, sic: [*si*] ad iuvenilem libidinem copia voluptatum [*accessit*], gliscit illa, ut ignis oleo.

In libri quarti de rep. fr. e Nonio v. auguro (Kayseri et Bait. vol. VIII p. 227) scribi debet: cui quidem utinam vere, fideliter *quidem certe* auguraverim. (Fideliter abunde Ciceronianum non est.)

In Asconii Pediani commentario in Pisonianam p. 126 Hot. scribendum est: qui fuit pater naturalis Africani posterioris de *Macedoniaque* ultimum *et Perse* rege triumphavit. In Milonianæ argumento p. 141: duo de plebe *noti* homines (non novi; cfr. p. 145 extr.), in enarratione p. 151: quod non *fere tra-*

ditur (vulgo: quod non ferat auditor). (De p. 144 vid. vol. I p. 153.)

Cap. III.

Cæsar. Sallustius.

A dispersis Ciceronianæ materiæ reliquiis venio libenter ad **Cæsarem**, ad cuius commentarios emendandos quæ annotavi, fere integra servo, partim ante annos non paucos nata, partim paucos abhinc annos, cum eius, qui tum Galliam imperio regebat, de vita rebusque Çæsaris opere ego quoque ad hos libros relegendos excitatus sensim eos ita pertractavi, ut Nipperdeii recensionem ad instrumentum ab ipso collectum dispositumque exigerem. Ad eas copias nunc, cum hæc edenda recognoscerem, adiunxi Duebneri exemplum Parisiis a. 1867 splendidissime impressum et quæ mihi ab aliis inventa et disputata apud Duebnerum aut alibi occurrerunt, non pauca quidem inania et parum prudenter excogitata in libris, quos omnes in scholis terunt. Ac de codicum quidem generibus et auctoritate, quod ad summam rem attinet, Nipperdeio Duebneroque ita assentior, longe præferendam esse alteram sectam etiam antiquiorum (Bongarsiani, Parisiensis primi, Vaticani) alteri interpolatorum et correctorum, ut tamen, quod illi non negant, in hac ex suo fonte interdum verum verive vestigia servata esse, id ego, maxime in postremis belli Gallici libris, paulo latius patere putem, de quo dicam nonnulla ad V, 25.[1]) In belli civilis commentariis, in quibus tantum deterioribus codicibus utimur, accessit maxime in

---

[1]) His typothetæ iam traditis accepi Philologi vol. XXXI fasc. 3, in quo Hellerus et alibi et p. 517 et 519 in eandem sententiam disputavit.

prima parte libri primi, sed etiam alibi interdum, singularis quædam veteris scripturæ ob codicis archetypi condicionem obscuratio et depravatio, in notissimis quoque nominibus et verbis, et deinde interpolatio tantum Latinorum vocabulorum formam sine ulla sententiæ specie sectans (ut c. 3: completur urbs et ius comitium tr. pl. centurio evocat; cfr. II c. 29). Itaque coniecturæ in belli civilis libris frequentior necessitas est eiusque non lenissimæ, indicia, quibus utatur, interdum incerta sunt aut nulla. Sed tamen in belli quoque Gallici libris, quorum longe facilior et lævior currit oratio, insident menda aliquot nostris codicibus antiquiora.[1] Incipiam autem a loco et ab aliis tractato et a me ipso antea.

Bell. Gall. I, 17, ubi in Lisci oratione sic in codicibus scribitur: Hos seditiosa atque improba oratione multitudinem deterrere, ne frumentum conferant, quod præstare debeant; si iam principatum Galliæ obtinere non possint, Gallorum quam Romanorum imperia perferre, neque dubitare debeant, quin, si Helvetios superaverint Romani, una cum reliqua Gallia Hæduis libertatem sint erepturi, mendum esse consentitur, sed de mendi sede dissentitur. Via igitur et ratione eam indagemus. Primum constat in illis: Gallorum quam R. imperia perferre requiri verbum, in quo comparationis

---

[1]) Unum et alterum mendum prorsus certa ratione a superioribus notatum et sublatum apud Nipperdeium et Duebnerum tacitum præteritur, ut B. G. V, 1: ad celeritatem onerandi subductionesque, ubi recte Ciacconius subductionisque; nam in utroque celeritas quærebatur et pluralis ineptus est, et VI, 1, ubi Rubenius et Iungermannus consul is pro consulis, quod sic dicitur, quasi consul alius sit, non ipse Pompeius.

et melioris rei significatio sit; quam quod Nipperdeius ex ipso perferre efficit in præferre mutato, Horatius præferre se dixit inertem videri quam sapere et ringi; qui hæc quam illa præferre in prosa oratione dixerit, neminem novi; deinde non animadvertunt ne ceteri quidem, eos, qui frumentum aliave imposita exsolvant, apud huius ætatis scriptores *dare* frumentum aut *præbere* dici, nunquam *præstare*, nisi adiungatur significatio fiduciæ efficiendæ (gewaehrleisten, sichern), quæ ab hoc loco aliena est. Itaque corrigendi conatus eo dirigendus est, ut præstare a frumento abiunctum ad illam comparationem transferatur. Deinde certum est et a multis intellectum, alterum debeant, quod verbi forma prorsus pravum est (pro eo, quod est eos debere; nam pronomen abesse nequit in illis, quibus hoc persuadeatur, significandis), huc translatum esse ex superiore debeant itidem infinitivo subiecto. Iam illius, quam dixi, corrigendi viæ triplex potest esse exitus, primus, quem Faernus invenit, ut scribatur: Hos . . . deterrere, ne frumentum conferant, quod præstare *dicant*, si iam . . . non possint, Gallorum . . . perferre, in quo verbi dicant in debeant mutati ratio non facile redditur, alter, quem ego olim indicavi, ut, sublatis quod et debeant, scribatur: ne ... conferant; præstare, si iam cet., ipse quoque violentior, tertius, in quem postea demum incidi, ut, nulla littera mutata, duæ voces vicinæ sedem permutent: ne ... frumentum conferant, quod *debeant*; *præstare*, si iam cet. Atque hanc rationem nunc prorsus puto sequendam; facillime intelligitur, qui præstare prave cum debeant coniunctum, deinde transpositum sit. Recte autem præstare ex eorum, quos Liscus reprehendit, persona dictum accipitur, pendens ab seditiosa oratione. [In hanc emendationem etiam Hellerus incidit Philol. XXXI p. 519.]

Ibd. 26: Cæsar ad Lingonas litteras nuntiosque misit, ne eos frumento neve alia re iuvarent; qui si iuvissent, se eodem loco, quo Helvetios, habiturum. Scribendum: . . . iuvarent; qui iuvissent, se eod. loco cet., hoc est, eos se e. l. h. Altero modo scribendum erat: . . . *iuvarent; si iuvissent*, cet., hoc est, recta oratione: *ne iuveritis; si iuveritis, habebo*; non potest includi *qui*.

Ibd. 42: eo legionarios milites legionis decimæ, cui quam maxime confidebat, imponere. Non aptum quam maxime, quoniam simpliciter significatur legio primum fidei locum tenens. Iam melioris familiæ codices omnes habent a prima manu cui quod maxime, supra scripto, nisi in Bongarsiano, quam, quod deteriores tenent. Scribendum igitur cui maxime; nam quod aut ex quoi ortum est aut adscriptum, ut significaretur cui esse quod ei.[1]) [Sic Charkius.]

Lib. II, 17: ut instar muri hæ sæpes munimenta præberent. Ineptus pluralis numerus munimenta; codices boni omnes munimentis. Nemo bonus scriptor instar pro adverbio posuit (*tanquam murus*), sed aut cum verbo *esse (esse instar alicuius rei)* aut pro obiecto *(habere instar alicuius rei)* aut appositione adiunctum

---

[1]) Initio capitis necessario e Par. 1 (etsi hunc Duebnerus subtrahit, substituit Voss. I) et aliquot deterioribus recipiendum est (ut fecit Whittius nostras) existimaret pro existimare; inepte hoc verbum cum licere coniungitur, aptissime cum illo: quoniam ... accessisset. I, 45 recte Duebnerus (ut ante Whittius) edidit: quare negotio desistere non posset; neque suam neque pop. Rom. consuetudinem pati, cet. Prorsus vitiose ante neque interponitur et geminatione ortum. I, 47 Scaliger præceperat, quod correxi olim: eo magis, quod pridie ... retineri non *potuerant* (pro poterant).

(*epistola instar voluminis*, hoc est, volumen æquans). Cæsar nihil scripserat nisi hoc: ut instar muri hæ sæpes præberent, hoc est, muri vim usumque haberent. Qui munimentis adscripsit, instar muri tamen obiectum esse intellexit, sed, quid esset *instar præbere* (alicuius), non intellexit: deinde, qui instar muri pro tanquam murus acceperat, munimenta fecit, ne præberet obiecto careret. Additamenta manifesta omnes codices habent I, 54 (senserunt), II, 1 (in hibernis), 12 (confecto), 15 (eorum), 20 (quod erat... oporteret, turbata rhetorica orationis forma), III, 9 (certiores facti), IV, 3 (et atque quod), 10 (que et in oceanum influit), V, 28 (magnas, recte sublatum a Schneidero et Duebnero; ridicule post quantasvis, hoc est, vel maximas, superadditur magnas etiam), VII, 47 (contionatus, quod ipse sustuleram, nondum cognita Gruteri emendatione). Ipse prætermissa ab aliis additamenta notavi I, 26 (si), IV, 24 (oppressis).[1])

Ibd. 22 ipse incideram in emendationem necessariam, quam deinde vidi a Whittio, amico meo et olim discipulo, præceptam. Ineptissime enim milites (quamquam ne hi quidem usquam in proximis per se separatimque appellati sunt) dicuntur *diversis legionibus* (ablativo casu) *resistere*, quasi milites legiones regant. Scribendum igitur est: cum *diversæ* (hoc est, loco et regione separatæ) *legiones* aliæ alia in parte hostibus resisterent. At, dicat aliquis, violentissime ablativus in nominativum mutatur. Si quidem causa mendi non manifesta esset, ex eo orti, quod *cum* coniunctio ab oscitanti librario præpositio habita est.

---

[1]) II, 4 recte scribitur in codicibus deterioribus: ad hunc propter iustitiam prudentiamque *summam* totius belli deferri. In melioribus ex summam ortum est suam, quod h. l. barbarum est, deinde additum summam post belli.

Ibd. 27: ut ... occurrerent, equites vero, ut turpitudinem fugæ virtute delerent, omnibus in locis pugnant quo se legionariis militibus præferrent. Sic codices meliores sine ulla varietate; in interpolatis substituitur: omnibus in locis pugnæ se leg. pr., ex quo illud ortum non esse, satis apparet. Sed quod Nipperdeius pugnant quo deleri vult, fingi, non dico probabiliter, sed mediocriter improbabiliter nequit, cur quis duas voces adeo a sententia et constructione absonas mediæ orationi facillime decurrenti interiecerit. Nec satis perspicue, nullo addito, equites se legionariis prætulisse dicuntur. Scripserat Cæsar: omnibus in locis *pugnando* se legionariis mil. præferrent.

Lib. III, 14: ut neque ex inferiore loco satis commode tela adici possent et missa ab Gallis gravius acciderent. Sic (aut adiici) editur nulla commemorata varietate. At IV, 23 et codices utriusque generis et editiones scriptum habent: uti ex locis superioribus in litus telum *adigi* posset, et B. C. III, 51: ut telum tormento missum *adigi* non posset, ubi ne minima quidem discrepantia notatur. Et tamen quis negat prorsus idem his tribus locis significari, telum cum perveniendi effectu contortum? Atqui, ut hic, sic II, 21 scribitur: longius . . . quam quo telum adiici (adici) posset, nisi quod cod. Cuiacianus adigi habuisse dicitur, et B. Civ. III, 56 editur: tantum ... uti ne telo tormentove adici posset, hoc quidem loco e Scaligeri coniectura contra codices, qui adigi habere traduntur, quamquam æque prava sunt *aciem telo adigi* et *adiici*, necessarioque cum Stephano scribendum est telum tormentumve, ut c. 51. Eademque inconstantia B. Afr. 56 editur: quo telum ex oppido adici non posset, annotatur autem, in codicibus esse abici aut abiici, præpositione manifesto prava, sed c. 72: cui parti corporis eius telum facile adigi posset. Verum quæ

hic c. 56 non tolerata a Vascosano ceterisque edito: est pravitas præpositionis (abici), ea toleratur B. Civ 34, ubi, priusquam telum *abici* posset aut no propius accederent, omnis Vari acies terga vei dicitur, plane ridicule; nam abiicere telum (sine wegwerfen) ubique licet, neque eius rei certum tei mensurave est. Sed et his duobus locis et ceteris omi restituendum est sine ulla dubitatione adigi, in quo verbo (*adigere*) inesse eam, quam supra posui, sig cationem, cum *adiicere* de iaciendo non dicatur nis oculi ad aliquid conversione manusve impositione, si aliud, solum participium *adactus* docere potest, sæpı ense aliave re cominus vi in corpus immissa et p trante, sed non minus de telo e longinquo misso posi (ut apud Vergilium Æn. XII, 320 de sagitta), et *a* apud Vergilium VI, 594 de homine per aera torqu mittendoque (cfr. IV, 25); significatur enim omnino v mens incitandi et promovendi vis (treiben, hineintreibeı forttreiben). Summa litterarum *c* et *g* in antiqua scrip similitudo effecit, ut etiam *arbitrum adicere* pro eo, est *adigere*, scriberetur in omnibus Ciceronis topico codicibus § 43. Permirum est, recentissimos Senecæ losophi editores de vit. beata c. 19, 3 edidisse clavos ipse adicit; nam de clavis stipitibusque et similibu urgendis et altius imprimendis *adigere* frequentissime lexica docent (apud ipsum Senecam exempla sunt de I, 6, 1, epist. 4, 4 et 14, 5 et 70, 25), *adiicere* loı sime hinc remotum est. Ne apud Ciceronem quiden legg. II, 61 ferendum est: bustum propius sexagi pedes adici ædes alienas, quod etiam accusat adiectus arguit, scribendumque *adigi*, quod de admov non raro dicitur et accusativum rei personæve, ad q quid admovetur, asciscit. (Ridicule e Cæsaris B. Gall. V ubi turris, flamma aliquamdiu intermissa, adacta dicitur, est, ad vallum admota, in lexicis ponitur *flammam turri*

gere.) Sed his constitutis intelligemus, quod pridem Iurinius intellexit, B. Civ. III, 56 Cæsarem scripsisse, instructum pro castris exercitum protegi potuisse telis ex vallo *adactis*, hoc est, vehementer contortis, ut supra capita militum transvolârent. Telis abiectis (quod in codicibus et editionibus scribitur) nemo protegitur, non magis quam clipeo abiecto.[1])

Lib. IV, 24: Militibus autem ignotis locis, impeditis manibus magno et gravi onere armorum oppressis simul et de navibus desiliendum et in fluctibus consistendum et cum hostibus erat pugnandum. Adeo incommode ablativis (ign. locis, imp. manibus) superponitur dativus oppressis, ita prope necessario onere cum impeditis manibus coniungitur (qua enim alia re impediebantur?), ita nimium est, oppressos fuisse milites eo onere, ut cogar putare oppressis additum esse ab aliquo, qui onere cum impeditis coniungi non attenderet. (Vid. ad II, 17.) Contra c. 25 vereor, ut recte deleatur primis (ex proximis primis navibus), potiusque suspicor scribendum: Hos item ex proximis *primi* navibus cum conspexissent, ut primi illi, qui in proximis erant navibus, conspexisse dicantur, deinde alii etiam ex ulterioribus.

Lib. V, 7: Ille enim revocatus resistere ac se manu defendere ... cœpit. Necessario in asseveratione scribendum est: ille *enimvero* revocatus. Nam eadem vi *enim* poni nemo nunc credat (cfr. emendatt. Livv. p. 244 n.); facillime excidit vero ante revo. [Ita Ciacconius.]

---

[1]) Contra apud Senecam de v. beat. 25, 1 recte editores inde a Gronovio ante Fickertum scripserant: inter egentes (me) abiice pro abige. Qui in pontem transfertur, ut ibi mendicus iaceat, abiicitur, non abigitur.

Ibd. 25: Tertium iam hunc (Tasgetium) annum regnantem inimicis multis palam ex civitate et iis auctoribus eum interfecerunt. Codices meliores, ex quibus cetera sumpta sunt: inimicis iam multis. Sed quinam interfecerunt? Nam proxime ante, quid Cæsar fecerit, narratur. Nec Carnutibus universe, si quis eos intelligi putat, cædem tribui ostendunt, quæ subiiciuntur (ad plures pertinebat et deinde: quorum opera cet.). Prave dicitur: inimicis multis palam et iis auctoribus, ut sit: „cum multi inimici essent, iis auctoribus“. Vitiosissime post hunc ... regnantem abundare eum perspicuum est. Hæc igitur ex omni parte vitiosa sunt, manifestoque verum est, quod in deterioribus codicibus scriptum Schneiderus et Frigellius secuti sunt: *inimici*, multis palam ex civitate auctoribus, interfecerunt; ad multis accommodatum est inimicis. Quod in melioribus post civitate additur et iis, nisi errore ortum est, cum factum esset inimicis, subesse [mihi ut Davisio] videtur *cædis*. Ut hic verior est codicum alioquin deteriorum scriptura, ita idem iudicandum est (ut I, 42 et II, 4 omittam, de quibus locis dixi) V, 37 (ex prœlio elapsi, ubi meliores lapsi), VI, 11 (idque; mell. itaque, quod plane alienum est), VII, 11 (contingebat, mell. continebat), 12 (ubi deteriores servarunt voces in melioribus, oculo librarii ab oppidum ad Noviodunum aberrante, omissas: Biturigum, positum in via, Noviodunum), 14 (deleri, mell. diligi, hoc et superius a Nipperdeio receptum), 35 bis (initio capitis: cum uterque utrique esset exercitus in conspectu, fereque ... castra ponerent, ... erat in magnis Cæsari difficultatibus res, nisi quod exercitui scribitur, casu ad utrique accommodato, deinde: cum iam ... coniecturam caperet pro ceperat, quod rectum esset, si significaretur res sæpius facta, omisso iam), 44 (dorsum esse

[redacted]

eius iugi prope æquum, sed silvestre et angustum, ubi alteri vitiose: sed hunc silvestrem et ang.), 58 (profecti a palude, mell. prospecta palude, ex quo infeliciter Nipperdeius fecit proiecta palude, quasi de obiiciendo munimento *proiicere* usquam dicatur, nec multo felicius Hoffmannus præsepti palude), 74 (pares pro pari, ipso sequente Nipperdeio, nisi quod paris scribit), 75 (cuique civitati, mell. cuique ex civitate, quod violenter et perverse Nipperdeius cuique populo enarrat, abundante mirifice illo ex civitate), VIII, 5 (oppida amiserant, mell. oppida dimiserant, quod ex oppidamiserant non recte corrigendo ortum est), 10 (barbari inflabantur, quod cum similiter factum esset in meliorum archetypo remotiore barbarinstabantur, natum barbari nitebantur), 12 (ubi hi codices plus decem versus servarunt in alteris omissos, cum archetypi librarius columnam transiluisset), 15 (ubi consederant; mell. ut consueverant, quo recepto origo additamenti subiecti non intelligitur, quodque ipsum tamen sine hoc additamento, quod Nipperdeius cum ceteris iure damnat, intelligi nequit), 29 (timore, ipso Nipperdeio ceterisque probantibus; mell. tempore), 42 (ita quam quisque poterat, maxime insignis . . . telis hostium ... se offerebat, quæ recte Duebnerus enarrat; in melioribus excidit quam ante quisque), 50 (et necessitudine legationis; ex legatione et quæstura apud aliquem gesta *necessitudinem* nasci, ex Cicerone notum est; *consuetudo* nihil est nisi, quæ iam nominata est, familiaritas privatæ vitæ). Ne quis autem meliora quidem hæc esse putet, sed coniectura nata, et ea prohibent, quæ in melioribus codicibus omissa hic servata sunt (VII, 12, VIII, 12), et ex reliquis non pauca illi suspicioni repugnant.

V, 30: hi sapient; si gravius quid acciderit, abs te rationem reposcent. Inepte per se hoc præ-

dicitur: hi sapient. Scribendum est: hi, *si* sapient, si gravius quid acciderit, abs te rat. rep., coniuncta, ut alibi, duplici condicione, altera remotiore et generali, altera propiore et speciali, de quo genere dixi ad Cic. fin. II, 112 p. 328 ed. II; et sic codex Vindob. apud Schneiderum.

Ibd. 42: Hæc et . . . ab nobis cognoverant et quosdam de exercitu habebant captivos; ab his docebantur. Postrema hæc inepte dissoluta sunt. Aut e deterioribus pro habebant recipiendum est nacti, aut potius scribendum: et, *quod* quosdam d. ex. habebant captivos, ab his docebantur. Excidit quod ante quos.[1])

Lib. VI, 43 in his: magno coacto numero ex finitumis civitatibus in omnes partes dimittit vix fieri potest, ut non exciderit *equitum* post coacto. (Cfr. infra: tanto in omnes partes diviso equitatu.)

Lib. VII, 14: vicos atque ædificia incendi oportere hoc spatio a Boia quoquo versus, quo pabulandi causa adire posse videantur. Duebnerus, „a Boia, inquit“, multis criticis suspectum: Nipperdeius uncos circumdedit.“ Nam neque Boiam, quod tanquam vulgo noti loci nomen ponitur, Cæsar usquam nominavit aut alius quisquam, neque omnino hic unum certum locum nominari res patitur. Sed quis hæc addidit et quo consilio? Iam videat mihi aliquis, quam pusillus error tenebras omnibus obiecerit. Scripsit Cæsar: hoc spatio *ab uia* quoquo versus. Ad utramque viæ partem certum spatium Vercingetorix vastari iubet; quæ

---

[1]) Cap. 49 sine ulla minima causa spernitur codicum scriptura: Gallum ab eodem Verticone . . . reperit (non eundem fortasse servum, qui c. 45 commemoratus est, sed alium).

longius ab via abessent, nullum hostibus usum præbitura esse. (Hoc quoque ponendum erat vol. I p. 152 ante Senecæ rhetoris locum.)

Ibd. extremo capite mire scribitur: Præterea oppida incendi oportere . . ., neu (scrib. e dett. ne) suis sint ad detrectandam militiam receptacula neu Romanis proposita ad copiam commeatus prædamque tollendam. Debet enim significari „proposita, unde copiam commeatus prædamque habeant sumantque“; verum ita copiam aut prædam *tollere* nemo unquam dixit. Aut scribi debet *potiendam* aut (quod Hotomano in mentem venerat) deleri tollendam; sed illud malim.

Ibd. 19: generatimque distributi in civitates omnia vada ac saltus eius paludis obtinebant. Saltus paludis nullos esse, recte multi iudicarunt; quæ substituunt, aut non apta sunt aut longius discedunt. Puto fuisse ac *meatus* (quibus in interiora penetrari poterat aut transiri).

Ibd. 22: et nostrarum turrium altitudinem, quantum has cotidianus agger expresserat, commissis suarum turrium malis adæquabant. Mali turrium vix appellari poterant trabes, neque trabes commissæ (alterius extremitate alteram attingente) quicquam ad turrium hostilium altitudinem æquandam videntur pertinere. Una littera *m* e duabus detracta fit: commissis suarum turrium *alis*, hoc est, partibus laterum extremis, quemadmodum velorum alæ dicuntur. Eæ committebantur trabibus ab una turri ad alteram porrectis et tabulis instratis. [Sic Ciacconius.][1])

---

[1]) Cap. 35. Poterantne cohortes, quæ quadratæ extremis ordinibus plenis introrsus inanes erant, cavæ dici? (*cavis* quibusdam cohortibus.)

Ibd. 54: quos et quam humiles accepisset .. et quam in fortunam quamque in amplitudine deduxisset. Deducimus, quæ excelso loco sunt, in inf riorem; ex inferiore in superiorem educimus et evehimu Et *eduxisset* significant codices deteriores, in quibus, semel scripto, est amplitudinemque duxisse. Eade correctio adhibenda est c. 68, ut scribatur: impedimen tis in proximum collem *eductis* pro deducti Idem error tollendus erit e Senecæ cons. ad Polyb. 6, :

Ibd. 56: Nam ut commutato consilio iter i provinciam converteret, ut ne metu quidem ne cessario faciundum existimabat, cum infami atque indignitas rei et oppositus mons Cevenn viarumque difficultas impediebat, tum maxim quod . . . timebat. Sic codices, nisi quod deteriores converteret, id ne metu quidem cet. Non refella neque eos, qui ut . . ., impediebat mire defendunt, ne que eos, qui audacter ut in ne mutant; hoc unum dicam cum per se prave hoc loco interponi aliorum (quos Cæsa consultos non significat) sententiæ mentionem, sive omniu (ut nemo non . . . existimabat) sive nonnullorum (r non nemo), tum perspicue cohærere hæc: Nam ut . converteret, ne ... quidem nec faciundum exist mabat. Hoc reperto confirmatoque, deinde intelligi deb necessario nullo modo cum verbo faciundum pro verbio coniungi posse; tum enim subiici causæ debeb quæ necessitatem itineris in provinciam convertendi te rent aut saltem minuerent; subiiciuntur autem, quæ p ipsi necessitati obstabant suadebantque, ut audacte interiora Galliæ penetraretur. Revocandum igitur e cibus: id (hoc e deterioribus pro ut) ne metu qui necessario faciundum existimabat. Concedit sar necessarias metuendi causas fuisse; sed ne iis q cedendum se putasse. Restat, ut cum Rob. Stephano a tollatur mendum ortum ex erroris causa non rara, ut e

bus vocibus relativis continuis (quom quod) altera omitteretur (cfr. de VIII, 42 ad V, 24). Scripserat enim sine dubio Cæsar: Nam ut . . . converteret, id ne metu quidem necessario faciundum existimabat, cum *quod* infamia atque indignitas rei . . . impediebat, tum maxime quod cet. Ut ante ne tum quidem ex ultima syllaba verbi converteret ortum est.

Ibd. 86: loca prærupta ex ascensu temptant. Neque usitate neque recte dicitur ex ascensu locum temptare. Rectum et Latinum erit: loca prærupta *escensu* temptant.

Lib. VIII, 9: Hæc (castra) imperat vallo pedum XII muniri, loriculam pro hac ratione eius altitudinis inædificari. In pronomine hac omnes iure hærent; sed ne illo quidem sublato usitate dicetur pro ratione altitudinis. Puto Hirtium scripsisse: pro *portione* eius alt. (De c. 19 dixi in emendatt. Livv. p. 61 n.)[1]

Ibd. 24: ad colonias civium Rom. tuendas ne quod simile incommodum accideret decursione barbarorum, ac superiore æstate Tergestinis acciderat, qui repentino latrocinio atque impetu illorum erant oppressi. Satis infinite illorum dicitur, quoniam non iidem hoc barbari fecerant, qui in ceteris coloniis timeri poterant. Sed codices meliores impetu incolæ illorum, deteriores impetu eorum.

---

[1]) VIII, 5 scripseram: calamitate ceterorum *docti*, deinde *conlectis*. Illud Kochium, hoc Gœlerum occupasse video. Sub tentoriorum utrum iumentorum lateat, quod Kochius suspicatus est, an vocabulum supellectilem significans, non decerno.

Significatur impetu *Istrorum*. Ad id nomen adscriptum fuerat illud incolæ. (Ponendum hoc fuerat vol. I p. 145. Latere nomen proprium vidit etiam Frigellius; sed Illyriorum longius discedit, nec illi hæc loca attingebant.)

Ibd. 28: Cuius præceptis ut res gereretur, Q. Atius Varus . . . suos hortatur, cet. Opinor fuisse: ut *mos* gereretur. Neque enim præceptis recte accipi posse videtur: „ut præceperat".

Ibd. 36: Qua re ex compluribus cognita, cum intelligeret (C. Caninius), fugato duce altero, perterritos reliquos facile opprimi posse, magnæ felicitatis esse arbitrabatur, neminem ex cæde refugisse in castra, qui de accepta calamitate nuntium Drappeti perferret. Et ex his verbis et ex iis, quæ sequuntur, apparet, Caninio in mentem venisse, posse Drappetem et eius copias incautos opprimi, antequam quicquam de Lucterii clade omnino audirent, nedum ea perterrerentur. Non in terrore hostibus iam incusso, sed in securitate eorum ex ignorantia spem habebat. Itaque sententiæ perspicue repugnat perterritos. In deterioribus codicibus scribitur perterreri reliquos facile et opprimi. Tollendum et perterritos et perterreri (cum et), illatum utrumque, non intellecta narratione et sententia, ex superiore illo de Lucterio: repentino malo perterriti.

Ibd. 52: Neque hoc tantum pollicitus est (C. Curio), sed etiam per se discessionem facere cœpit; quod ne fieret, consules amicique Pompeii iusserunt, atque ita rem moderando discusserunt. Neque iubendi hic locus erat (præsertim amicis privatis Pompeii), neque Latine dicitur iubeo, ne fiat. Neque moderatio ulla in hac re erat aut ab Hirtio in Cæsaris adversariis laudatur. Scribendum est: Quod ne fieret, consules am. P. *evicerunt*, atque ita rem *morando* discusserunt. Ac morando iam Iurinius.

Belli civilis libri primi primis capitibus, de quorum depravatione singulari supra dixi, non multum auxilii, quod non ab aliis occupatum sit, affero. Itaque indicabo aliquoties confirmandi causa, in quæ ab aliis inventa sponte inciderim.

Lib. I, 4: Scipionem eadem spes provinciæ atque exercituum impellit ..., simul iudiciorum metus, adulatio atque ostentatio sui et potentium, qui in rep. iudiciisque tum plurimum pollebant. Neque significatur nec facile intelligitur, quos homines Scipio adulatus sit, aut quomodo ea adulatio eum impellere potuerit. (Homines Scipionem adulantes significari nullo pacto patitur nomen cum Scipionis ipsius spe, metu, ostentatione coniunctum.) Accedit copulationis forma vitiosa (simul metus, adul. atque ost.) Itaque valde suspicor tollendum adulationis nomen prave ad ostentationis nomen adscriptum. Sed ipsa ostentatio sui et suarum rerum est; alios (potentes) nemo ostentat. Scriptum videtur fuisse: simul iudiciorum metus atque ostentatio sui et *potentiæ*, *qua* in rep. iudiciisque tum plurimum *pollebat.*[1])

Ibd. 6: Marcellus vero passurum in præsentia negat. Codices non pro vero habent. Fuerat, opinor: Marcellus *cos.* passurum cet.

Ibd. 7: ut tribunicia intercessio armis notaretur atque opprimeretur, quæ superioribus annis armis esset restituta. Scribendum primum

---

[1]) Cap. 3 annotaveram sic scribendum esse: Completur urbs et *ipsum* (codd. et ius) comitium tribunis, centurionibus, evocatis, ignarus in idem incidisse Hugium. In comitio ante curiam Cæsar obversatos significat, ut senatum terrerent. Cap. 5 *latronum* audacia mea sponte scripseram, cum nondum scirem Manutio idem placuisse.

vetaretur; nam notare armorum non est, nec notari, sed tolli intercessionem querebantur. Deinde non tollenda plura verba, sed, ut contraria inter se acerbe referantur, addenda, quæ post nis (annis) facile excidit, præpositio: quæ superioribus annis (primo ipsius Pompeii consulatu) *sine* armis esset restituta. [Sic Hotomanus.] (Paulo post ego quoque conieceram: amissa restituisse videatur *bona.*)[1])

Ibd. 22: uti se a contumeliis inimicorum defenderet, ut tribunos plebis in ea re ex civitate expulsos in suam dignitatem restitueret. Ineptissimum est in ea re nec melius, quod superiores editores contra codices posuerant, ea re; utrum enim ob contumelias inimicorum Cæsaris an ad Cæsarem a contumeliis defendendum? Cæsar scripsit: tribunos pl. *iniuria* ex civitate expulsos. [Sic Faernus.] (Apud Ciceronem pro Flacco 77 quod ex iniuria factum erat in curia, ante multos annos correxi.) Eodem capite paulo post scribitur: adeo esse perterritos nonnullos, ut suæ vitæ durius consulere cogantur. Scribendum est *conentur*, hoc est, ut meditentur, ut in eo sit, ut consulant (de consilio effectui propinquo), ut persæpe hac ætate conari ponitur; vid. hic c. 20, Cic. Verr. III, 1, V, 11, Læl. 16, Brut. 292, Lucret. I, 25, 937. [Sic iam Gruterus.]

---

[1]) Cap. 9 in transcursu in memoriam revocabo immerito neglectam Elberlingii, sodalis olim et amici mei, (et ante eum Hotomani) emendationem: sibi semper primam fuisse dignitatem. Nam de Cæsaris ipsius dignitate (quem novicio et Gallorum usu honorem appellamus) agi clamant, quæ subiiciuntur. (Cfr. bell. Alex. 8: qui primam dignitatem haberent.) Cap. 14 extr. Rubenius, prudentissimus alioquin homo, aberravit. Non circum familias (gladiatorias) conventus Campaniæ Lentulus gladiatores Cæsaris custodiæ causa divisit (neque enim ullæ conventus familiæ erant, et minime tuta ea custodia fuisset), sed circum familiares suos, qui in illo conventu erant.

Ibd. 35 (in Massiliensium excusatione, cur neque Cæsari neque Pompeio se adiungant): quorum alter (Pompeius) agros Volcarum Arecomicorum...publice iis (Massiliensibus) concesserit, alter (Cæsar) bello victas Galliæ (sic Par. 2, Vindob., Gallie Leid. I, Gallias recentiores) adtribuerit vectigaliaque auxerit. Sic codices mendose. Sed quod e Glandorpii coniectura scribitur bello victos Sallyas, fefellit eum ceterosque inanis species. Nam Sallyum sive Salluviorum a Cæsare victorum Massiliensibusque attributorum nulla usquam fit mentio neque fieri potuit, ut qui multo ante domiti in provinciæ parte numerarentur. Pompeii, qui per Galliam provinciam in Hispaniam ivit, muneri recte contrarium refertur, quid Cæsar Gallia (tota et barbara) victa fecerit. Sed et ex ipsius Cæsaris silentio (qui beneficia sua hoc loco non omissurus erat) et reliquorum et ex animo Massiliensium in bello civili perspici potest, Cæsarem nihil magni muneris in eos contulisse nec populos novos eis attribuisse. Massilienses, ut utriusque beneficiorum par momentum efficerent neve Cæsarem deprimendo offenderent, a Cæsaris parte beneficii loco ponunt servata, quæ iam haberent, et nonnihil aucta. Hoc enim codicum quoque vestigia ostendunt, e quibus effici videtur: alter, bello *victaGallia ead(em) tribuerit* vectigaliaque auxerit. Cum elisis litteris em factum esset Gallia e adtribuerit, primum victas, deinde (in recentioribus codd.) etiam Gallias scriptum est. [Victa Gallia Hotom.]

Ibd. 39: Erant ... præterea scutatæ citerioris provinciæ et cetratæ ulterioris Hispaniæ cohortes circiter LXXX equitumque utriusque provinciæ circiter V millia. Nipperdeius, animadverso errore, quod c. 48 (et 75) aperte cetrati ex citeriore provincia commemorantur nec ullum alibi vestigium est Hispanorum utriusque provinciæ armorum genere discretorum,

quum ex ulteriore Hispania, quam Varro obtinebat, prorsus nulla auxilia Afranium et Petreium habuisse putaret, imprudenter et violenter delendo grassatus est, oblitus, si sic Cæsar scripsisset, ut ipse vult (præterea scutatæ et cetratæ cohortes circiter LXXX equitumque circiter quinque millia), nemini in mentem venire potuisse quicquam de provinciis addere. Quis sit error, et ipsa verborum forma ostendit (ulterioris Hispaniæ, ubi Cæsar tantum ulterioris posuisset) et res. Nam cum Cæsar Afranium et Petreium narrasset peditatus auxilia ex sua tantum provincia (citeriore) habuisse, equitatus etiam ex ulteriore, peditatum autem armorum genere distinxisset itaque scripsisset: præterea scutatæ citerioris provinciæ et cetratæ cohortes circiter LXXX equitumque utriusque provinciæ circiter V milia, librarius aliquis, utriusque provinciæ in equitatu mentione commotus, peditatum quoque ut armis, ita provinciis discretum putavit, deceptusque etiam ordine verborum addidit illud ulterioris Hispaniæ. Paulo post in hinc latet numerus optimi generis hominum. Ante audierat plura excidisse et ea, quæ supersunt, ad Varronem pertinere ipse quoque annotaveram.

Ibd. 45: Præruptus locus erat, utraque ex parte derectus, ac tantum in latitudinem patebat, ut cet. Suspicor Cæsarem scripsisse: Locus erat utraque ex parte derectus cet. Ad derectus explicandum adscriptum præruptus incommodo loco in orationem irrepsit.[1])

---

[1]) Certius est c. 51 scribendum esse, ut Hotomanus volebat: cum servis *libertisque*, non liberisque. Nam quod τέκνα interpretantur, primum Cæsar neque tam ambigue scripsisset et certe liberos servis præposuisset. Sed omnino in hoc commeatu sagittariorum, equitum, impedimentorum ad exercitum euntium nihil est loci feminis puerisve.

Ibd. 64: cernebatur equitatus nostri prœlio novissimos illorum premi vehementer ac nonnunquam sustinere extremum agmen atque interrumpi. Qui premuntur ipsi novissimi, illi quomodo extremum agmen, quod ipsi sunt, sustinere dicantur, non intelligo; nec primi insequentium et lacessentium nonnunquam, sed semper sustinendi erant; nominativo casu extremum agmen accipi nullo modo potest. Scribendum igitur indico: ac nonnunquam *subsistere* extremum agmen atque *iter* interrumpi, adscita in interrumpi Forchhammeri mei coniectura, quam Duebnerus quoque secutus est. [Subsistere Vascosanus.][1])

Ibd. 71: Afranianos contra multis rebus sui timoris signa misisse. Nihil est timoris signum mittere, scribendumque certissime signa *dedisse*, fortasse signa *iam dedisse*. Paulo post ridicule hæc coniunguntur: Quod si iniquitatem loci timeret, datum iri tamen aliquo loco pugnandi facultatem, quod certe inde discedendum esset Afranio nec sine aqua permanere posset. Quis enim dubitabat, quin *aliquo* omnino loco pugnandi facultas futura esset, et quid hoc contrarium habet iniquo loco? Nec melius est, quod ex uno recentissimo codice substituitur, alio loco. Quo autem pertinet tamen? Scripserat, ni fallor, Cæsar: datum iri *iam æquo* loco pugnandi facultatem. Qui pugnam poscebant, si Cæsar iniquitate loci deterrere-

---

[1]) C. 62 editur: ut equites . . . possent tamen atque auderent flumen transire, pedites vero tantummodo . . . summo pectore exstare et . . . impedirentur cet. Nescias, utrum pravius sit, possent et auderent exstare, an: auderent . . . et impedirentur. E cod. Leid. 1 recipiendum exstarent iam Davisius Morusque et alii viderant.

tur, admonebant, brevi æquum locum datum iri, cum Afranius ex eo, quem nunc teneret, discedere cogeretur.

Ibd. 74: Deinde imperatoris fidem quærunt, rectene se illi sint commissuri. Non quærunt requiruntque fidem, quasi desit, sed qualis sit, quærunt. Geminanda syllaba est: Deinde *de* imperatoris *fide* quærunt. Intellexerant hoc iam Ciacconius et Scaliger, nec tamen hæc nomina editores, ut attenderent, moverunt.

Ibd. 79: Nam tantum ab equitum suorum auxiliis aberant, quorum numerum habebant magnum, ut ... ultro eos tuerentur. Usus loquendi certissimus postulat *auxilio* (ut aliquid ab iis auxilii haberent); id oscitans librarius mutavit ob sequens quorum.

Ibd. 81: tota nocte munitiones proferunt castraque castris convertunt. Castra castris convertere quid sit, neque exemplo ullo docemur neque ex ipsa verbi natura et usu intelligere possum; castra castris *conferre* de eo, quod h. l. aperte significatur, et Cicero et Livius et ipse Cæsar (b. civ. III, 79) et Hirtius (b. G. VIII, 9) dixerunt, idque verbum hic quoque a Cæsare positum iudico, etsi proxime præcedit proferunt. [Sic Ciacconius.] Sequitur: Sed quantum opere processerant et castra protulerant, tanto aberant ab aqua longius, et præsenti malo aliis malis remedia dabantur. Adeo dure subiectum mutatur cumque de ipso hominum conatu iudicetur (*κακὸν κακοῖς ἰῶντο*), passive dicitur, adeoque pravum est remedia dare malo malis, ut vix dubitem, quin Cæsar *remediabantur* scripserit, quo verbo si eum uti potuisse non crederem, quoniam apud infimæ demum ætatis scriptores reperitur, ab ipso medebantur

positum dicerem, pro eo substitutum postea remediabantur. Sed tam facile huiusmodi deponentia a substantivis ducebantur, ut hoc Cæsari sub stilum venisse negare non audeam, qui etiam materiari dixerit. Nam adiectivum male materiatus alia ratione fingitur (ut male moratus, similia). Remediabilis et irremediabilis apud L. Senecam et Plinium mai. leguntur.

Ibd. 82 permire spatii brevitas, etiam in fugam coniectis adversariis, non multum ad summam victoriæ iuvare potuisse dicitur, cum hoc significetur, propter spatii brevitatem ipsam victoriam non multum profuturam fuisse. Quod enim obstat, ne aliud quid prosit, ridicule ipsum non adiuvare dicitur. Accedit, ut non de summa victoriæ agatur, sed de victoriæ fructu ad summam, hoc est, ad summam rei et certaminis. Itaque audeo suspicari a Cæsare scriptum fuisse: quod spatii *brevitate* . . . non multum ad summam *victoria* iuvare poterat, eo ablativi pro præpositione propter usu, de quo dixi Gr. Lat. § 256 n. 2, posito exemplo e b. Gall. V, 34, cui adiungi potest III, 29 (continuatione imbrium) et (Hirt.) VIII, 9 (sive certaminis periculo cet.). Corrupto victoria et cum summam conflato, ne subiectum deesset, factum est brevitas. Quæ interpolandi levitas et audacia ne incredibilis videatur, in hoc ipso capite admonemur egregia Forchhammeri mei emendatione, quam iure Duebnerus secutus est; vidit enim, cum ex impediendæ reliquæ munitionis causa factum esset imp. rei quæ munitionis causa, additum esse ad mendum aliquo modo occultandum fiebat, ut in omnibus nostris codicibus scriberetur: rei quæ munitionis fiebat causa similiterve, sine sensu. Conferri etiam velim, quæ de subiecto et obiecto a librariis permutatis dixi vol. I p. 585 et Hauptii in Senecæ libello de const. sap. c. 4, 3 emendationem.

Ibd. 84, ubi Afranii pro se et suis apud Cæsarem oratio redditur, pæne incredibile est ab omnibus sic edi: Itaque se victos confiteri; orare atque obsecrare, si qui locus misericordiæ relinquatur, ne ad ultimum supplicium progredi necesse habeant, quasi, qui supplicium patiuntur, dici possint ad ultimum supplicium progredi et necesse habere progredi, quorum utrumque eius est, qui necesse putat ultimum supplicium sumere. Itaque *habeat* de Cæsare coniectura scripseram, cum nulla esset apud Nipperdeium varietas annotata. Nunc apud Duebnerum video habeat e duobus antiquioribus codicibus et pluribus recentium proferri et tacite sperni. [Primi editores non spreverant.]

Ibd. 85: Neque enim sex legiones alia de causa missas in Hispaniam septimamque ibi conscriptam neque tot tantasque classes paratas neque submissos duces rei militaris peritos. Classes nullas omnino in Hispania fuisse aut in omni hac rerum narratione appellari, constat et expositum est a Nipperdeio. Latet hic quoque mendum licenter mutando occultatum; scriptum enim fuerat sine dubio: neque *cohortes alasque* paratas. Cum ex cohortes alasque factum esset non primo errore, sed sensim tot tantasque, additum est classes. Paulo post, ubi in codicibus est: in se etiam ætatis excusationem nihil valere, quod superioribus bellis probati ad obtinendos exercitus evocentur, scribendum est non quum (parum enim apta causalis significatio est), sed *quin* (nihil valere nec obstare, quin), quæ particula non ita raro in quod transiit, velut apud Ovidium Trist. V, 6, 27 (ad Cic. de fin. V, 32 p. 662).

Lib. II, 1 ex hac codicum scriptura: ad id mare, quod adigit ad ostium Rhodani non adiacet faciendum fuisse videtur, sed adigitur, hoc est, admovetur et

quasi insinuatur (sich hineinkeilt); cfr. quæ ad b. Gall. III, 14 dixi. (Paulo post recte Ciacconius evocat pro vocat.)[1]

Ibd. 5 (de Massiliensium, dum ante portum classes pugnant, animorum habitu): ut omnis iuventus, quæ in oppido remanserat, omnesque superioris ætatis cum liberis atque uxoribus ex publicis custodiis quæ aut muro ad cælum manus tenderent cet. Nesciunt, quid faciant verbis ex publicis custodiis quæ. Emendatio nec obscura et certa est: *e speculis custodiisque.* Custodiæ enim in altis locis erant. (Cap. 6 scribendum esse: et artificio gubernatorum *et* mobilitati navium locus dabatur, iam Hofmannum animadvertisse video.)

Ibd. 16: ubi (Massilienses) ... suorum tormentorum usum, quibus ipsi magna speravissent, spatio propinquitatis interire, parique condicione ex muro ac turribus bellandi data, se virtute nostris adæquare non posse intelligunt, ad easdem deditionis condiciones recurrunt. Quod est spatium propinquitatis? et qui spatio propinquitatis perire potest usus tormentorum? Nam et longinquitate spatii (vel spatio) et brevitate nimia perire posse omnes scimus. Nimirum hic quoque, simili errore atque I, 82, cum Cæsar scripsisset *spati propinquitate*, ex spati, quod plenum non videbatur, factum est spatio, deinde propinquitatis. Tum autem, quoniam se pronomen

---

[1]) C. 4 ex invisis latitatis recte Elberlingius iuvenis effecerat invisitatis, quo uti debuerat Nipperdeius. Duebnerus inusitatis.

necessario (etiam ob positum) subiecti loco est, opinor scriptum fuisse se *virtutem* nostris adæquare non posse.[1])

Ibd. 29 ad ipsa scripturæ menda, quibus posterior capitis pars in nostrorum codicum archetypo obscurata et perturbata erat, certo tollenda prope nihil afferre possum, in quibusdam fortasse formam sententiæ et partium separationem melius adumbrare, quod faciam sine ulla argumentatione: [Erat] civile bellum; genus hominum, *cui*, *quod liberet*, *liceret* facere et sequi, quod vellet; legiones eæ, quæ paulo ante apud adversarios fuerant; (nam etiam Cæsaris *beneficia imminuerat* consuetudo, qua offerrentur;) municipia etiam diversis partibus coniuncta (*æque* enim ex Marsis Pelignisque veniebant); *et* qui superiore nocte in contuberniis †commilitesque [*circulisque?*] *auditi fuerant* sermones militum dubii, durius accipiebantur, nonnulli etiam ab iis, qui diligentiores videri volebant, fingebantur. In his extremis fieri potest, ut lacuna sit et huiusmodi fuerit forma: et qui superiore nocte in contuberniis † commilitesque *fuerant*, graviora *afferebant*; sermones cet. Illud certum est veniebant universe de militibus utriusque partis dici. (Æque pro neque Nipperdeio debetur, imminuerat Iurinio).[2])

---

[1]) C. 21 Elberlingius recte scribi voluit: Tributis quibusdam *populis* privatisque præmiis, ut est in tribus ex antiquioribus codicibus. Non præmiorum genus distinguitur, sed eorum, qui acceperint.

[2]) Cap. 30 Clarkius ad veritatem suspicione prope accessit; sic enim scribendum est: quæ . . . castra Vari oppugnanda censerent, quod *id* (hoc vulgo abest) huiusmodi (seditiosis) militum consiliis maxime contrarium esse arbitrarentur, sublato otium. Nam quod, addito in, contrarium esse enarrant nocere, prorsus fieri nequit.

Ibd. 31: Aut vero quid proficimus, si ... discedimus? Scrib.: At vero. Aut neque per se aptum est neque cum vero semel posito sic coniungi potest.

Ibd. 34 scribendum: Simul ab sinistro cornu P. Attii equitatus omnis et una levis armaturæ interiecti complures ... cernebantur *et* ad eos Curio (vulgo: cernebantur. Ad eos C.) equitatum... mittit. Alioquin simul non habet, quo referatur.

Lib. III, 4 Cæsar scripsisse videtur: ex servis suis pastoribusque *amicorumque* suorum.

Ibd. 10: Condiciones pacis ... Romæ ab senatu et a populo peti debere. Interea et reipublicæ et ipsis placere oportere, si uterque in contione statim iuravisset cet. Neque reipublicæ placere aliquid recte dicitur aut etiam placere ei oportere, neque Latinum est placere oportere, si ... iuravisset pro eo, quod est utrumque iurare. Vitium latet in interea. Cæsar scripserat ... debere. *Id interesse* reipublicæ et ipsis placere oportere. Si uterque in contione...iuravisset se...exercitum dimissurum, depositis armis ..., necessario populi senatusque iudicio fore utrumque contentum.

Ibd. 11 (ubi agitur de L. Vibullio, Pompeii præfecto, a Cæsare, in cuius potestatem venerat, cum mandatis et pacis condicionibus ad Pompeium misso): Vibullius his expositis Corcyræ non minus necessarium esse existimavit de repentino adventu Cæsaris Pompeium fieri certiorem, cet. Iure mirantur Vibullium, quæ ad Pompeium, qui in Candavia erat, mandata haberet, Corcyræ exposuisse, itaque Corcyræ Nipperdeius tolli voluit; sed manet pravitas; cui enim et quando exposuit? Omnino perridicule et perverse post Cæsaris mandata dantis orationem continuo exposita mandata dicuntur, tum demum de itinere ad Pompeium narrari

incipit. Nimirum hic quoque ludimur antiquo mendo interpolando occultato. Sic enim scriptum a Cæsare erat: Vibullius (qui nave missus erat), *expositus* Corcyræ, non minus cet. Iam ordine omnia procedunt et narrantur, escensio primum Corcyræ facta, tum susceptum celerrime ad Pompeium iter, cetera. [Sic Ciaccon.] Sed in festinati itineris narratione residet mendum a multis animadversum necdum plane correctum. Sic enim in codicibus scribitur: continuato nocte ac die itinere atque omnibus copiis mutatis ad celeritatem iumentis ad Pompeium contendit. Sub illis omnibus copiis, quæ Nipperdeius sine ulla probabilitate deleri vult, iam Lipsius viderat subesse aliquid, quod ad frequentiam mutationis pertineret, cuius significatio abesse nequit, sive eam temporis nomine contineri velis (omnibus horis) sive, quod apud antiquos magis suspicere, loci. Itaque Lipsius omnibus oppidis. Sed parum id erat fieri in oppidis sæpe longe distantibus. Ipsæ litteræ verum demonstrant: omnibus *coponis* (cauponis).[1])

Ibd. 13: Cæsar præfecto occupato itinere ad Dyrrhachium finem properandi facit. Sic codices, nisi quod nonnulli profecto vel perfecto habent; unde quod Aldus fecit, ceteri tenuerunt, præoccupato, ei nemo facile adscripturus interpretationem erat, minime quidem perfecto, ex quo præfecto ortum Nipperdeius putat. Cæsar sine dubio posuerat *præcepto* itinere, eique adscriptum est occupato. [Ciaccon.] Paulo post, ubi in codicibus scribitur: ut castellis vigiliisque bene meritæ civitates tutæ essent præsidio, non delendum erat

---

[1]) Elberlingius commemorata Lipsii coniectura „rarius aliquod vocabulum scriptum fuisse" suspicatur, quod non intellectum mutaverint librarii. Proxime aberat a vero.

præsidio, cuius vocabuli addendi nulla causa fuit, sed retrahendæ litteræ quattuor, quæ post sent (essent) exciderunt: tutæ essent *sine* præsidio; id enim caput rei erat, præsidio imposito opus non esse.

Ibd. 16 egregiam Elberlingii emendationem, qui, cum scriberetur Pompeii summam esse ac fuisse semper voluntatem, sublato Pompeii nomine, quo omnia pervertuntur, *suam* summam esse . . . voluntatem restituit, neglectam a Nipperdeio, secutus est Duebnerus (nisi quod minus bono ordine summam suam posuit). Sed restat, quod Bibulus dicitur inimicitias habuisse privatas cum Cæsare ex ædilitate et prætura conceptas; nemo enim in hac re præturam Cæsaris Bibuliqve nominat, consulatum nemo non commemorat. Itaque hic quoque interpolationis licentia apparet; nam cum *consulatu* ante conceptas, oculo ad alteram syllabam con aberrante, omissum esset (ex ædilitate et conceptas), additum est prætura; sciebat, qui interpolavit, eam ædilitati proximam esse. Apparet utriusque interpolationis partum prorsus gemellum esse recteque Beroaldum audacem fuisse.

Ibd. 17: Nihilominus tamen agi posse de compositione ..., neque hanc rem esse impedimenti loco. Ille neque legatos Cæsaris recipere cet. Ineptum *esse impedimenti loco* pro eo, quod est *esse impedimento*. Codices: neque hanc rem illis esse impedimenti loco neque legatos cet. Cæsar scripserat: neque hanc rem *illi* esse *impedimento*. *Libo* neque legatos cet. Nomen proprium corruptum est.

Ibd. 18: Bello perfecto ab iis Cæsar hæc facta cognovit, qui sermoni interfuerunt; conatus tamen nihilominus est aliis rationibus per colloquia de pace agere. Debebat esse: Hæc Cæsar bello perfecto. Sed cur perfecto demum bello hæc Cæsari indicata sunt, quæ statim renuntiari debuerunt? et

quo pertinet nihilominus? Nam deterrere Cæsarem, quæ nondum cognoverat, non poterant. Sententiæ sic separandæ sunt: reductus existimabor bello perfecto". Ab iis Cæsar hæc cet. [Recte quædam edd. vetustiores.]

Ibd. 19: et crebro...pronuntiaret, liceretne civibus ad cives de pace duo legatos mittere. Delent duo, quod sane perineptum est; sed aptum, quod latet, de pace *tuto* legatos mittere. (Paulo post recepta Elberlingii emendatione retinendum erat una e codicibus: atque una visurum, quemadmodum. Deinde egregiam Oudendorpii coniecturam: sed (debebat addi: is) omissa oratione de pace altercari cum Vatinio incipit clarissime confirmant codicum vestigia apud Duebnerum indicata interpolationisque fœditatem aperiunt. Id ipsum Cæsar, Labieno inimicus, reprehendit, quod omissa ea re, cuius causa colloquium petitum esset, inutiliter altercari cœperit. Equidem cum solo Nipperdeii exemplo uterer, omnibus litteris (excepto is) eandem emendationem feci.) [Tuto iam Dionys. Vossius.]

Ibd. 25: Ac nonnullæ eius rei prætermissæ occasiones Cæsari videbantur, quod certe sæpe flaverant venti, quibus necessario committendum existimabat. Quid hic agit certe? et quam infinitum flaverant venti, et ventis committendum esse? Latet verum non valde involutum: quod *cercii* sæpe flaverant venti. (Paulo post aberravit Nipperdeius, non attendens leniores ventos incommodos fuisse Cæsarianis, velis utentibus et celeri navigatione Pompeianam classem vitantibus, ut apparet e cap. 26.)

Ibd. 30 scrib.: Nam prætervectas Apolloniam Dyrrhachiumque naves viderant ipsi, *et* iter secundum eas terra direxerant. (V. viderant, ipsi iter cet.)

Ibd. 36: nam plerumque in novitate fama

[redacted]

antecedit. Manifesto significatur famam re maiorem esse. Scribendum videtur fama *antecellit.*[1])

Ibd. 44: Atque ut nostri perpetuas munitiones videbant perductas ex castellis in proxima castella, ne quo loco erumperent Pompeiani ac nostros post tergum adorirentur, [timebant] ita illi interiore spatio perpetuas munitiones efficiebant, ne quem locum nostri intrare ... possent. Quod inclusum est verbum, Faernus sustulit, additum (at vide licentiam), cum, ne unde penderet, non animadverteretur.. Sed corruptum esse videbant nec sententiam constare, manifestum est intellectumque a multis; corrigendo aberrant (ut longe Kochius, quem Duebnerus secutus est). Nihil præter illud unum verbum mutandum: Atque ut nostri perpetuas munitiones *volebant* perductas ..., ne ..., ita cet. Eodem capite paulo post scribitur sic: Quæ cum erant loca Cæsari capienda, etsi prohibere Pompeius totis copiis ... non constituerat, tamen suis locis sagittarios funditoresque mittebat, cet. Quæ non habet, quo referatur; (hoc vitium sensit Terpstra;) cum erant non recte dicitur (nam si quæ scribitur, causalis significatio est). Scribendum: *Quæcunque* erant loca Cæsari capienda cet. Eodem modo id pronomen alibi depravatum esse et a me correctum memini, nec tamen nunc locum reperio. [Sic Th. Bentleius.]

Ibd. 48: Est etiam genus radicis inventum ab iis, qui fuerant valeribus, quod appellatur

---

[1]) Cap. 40 rectissime Nipperdeius: mole tenui naturali (minus recte naturaliter) obiecta, cui qui obiecit tenuem molem pro angusta non dici, non videtur tellurem tenuem (Ovid.), frontem tenuem (Hor.), limitem tenuem (Quintil.) similiave cognovisse.

chara, cet. Scribendum: qui *vivebant oleribus*. Substantivum, in quod etiam Hoffmannus incidit, prorsus certum est; pro vivebant potest scriptum fuisse vescebantur.

Ibd. 49: quibus quotidie melius subterere tempus maioremque spem maturitate frumentorum proponi videbant. Mendi nota iure apponitur. Correctio non e longinquo petenda videtur: quibus [*rebus*] quotidie melius *se terere* tempus ... videbant. Quam facile rebus post quibus exciderit, apparet.[1])

Ibd. 57: Sese omnia de pace expertum nihil adhuc arbitrari vitio factum eorum, quos esse auctores eius rei voluisset, quod sua mandata cet. Excidit aliquid, cum in hanc sententiam scriptum esset: nihil adhuc [*effecisse; id*] arbitrari vitio factum eorum. Nam si quis putat ex iis, quæ in codicibus scripta sunt, idem fere enarrando effici posse, neque recte hæc coniunguntur sese expertum ... arbitrari neque nihil factum vitio alicuius recte de culpa rei non effectæ dicitur, ne quid de verborum ordine dicam. (Paulo post restituendum compellare, hoc est, reprehendere ac pæne accusare; compellere sic dici nequit.)

Ibd. 63: Nam ut ad mare nostræ cohortes nonæ legionis excubuerant, accessere subito prima luce Pompeiani. Numerum cohortium excidisse putant quidam, iure, si cetera sana sunt. Sed offendit etiam plusquamperfectum excubuerant pro excu-

---

[1]) Cap. 54 recte Duebnerus renuntiaverunt revocavit; sed pro vespeciariis tenenda erat certa Cuiacii emendatio veste, cibariis, non pro cibariis ponendum congiariis, quod longius a litterarum vestigiis discedit nec ipsum aptum est; neque enim congiaria libera republ. unquam inter præmia militaria singulorum militum aut cohortium nominantur.

bebant. Itaque videndum est, ne scriptum a Cæsare sit: Nam ut ad mare nostræ *cohortis* nonæ legionis *excubiæ erant*, accessere, cet. (C. 62 recte Iurinius: ad eam partem munitionum ducit, quæ pertinebat, pro pertinebant.)

Ibd. 64: Itaque quodcunque addebatur subsidio, id corruptum timore fugientium terrorem et periculum augebat. Nonne scribendum: *correptum* timore fugientium (et quasi contactum)?

Ibd. 66: Ita complures dies manserant castra; munitiones quidem omnes integræ erant. Bis idem dicitur mire posito quidem, quasi gravius aliquid addatur; omittitur id, quod dicendum erat; (nam quamdiu superfuerint castra, nihil ad rem pertinet). Excidit vox propter similitudinem litterarum: Ita complures dies *inania* manserant castra (et sine præsidio; sed munitiones cet.). (Ab inan aberratum ad man.)

Ibd. 69: adeo ut, cum Cæsar signa fugientium manu prenderet et consistere iuberet, alii dimissis equis eundem cursum confugerent, alii ex metu etiam signa dimitterent, cet. Equos hinc removendos esse omnes intelligunt; de correctione non convenit. Proximum videtur et aptum: alii *dimissi sequi* eundem cursum *contenderent*, alii cet. Cum litteris male coniunctis et una addita factum esset dimissis equis, verbum mutatum est. (Dimissi a Cæsare, qui prehenderat, post admonitionem.)

Ibd. 71: Hoc nomen (imperatoris) obtinuit (Pompeius) atque ita se postea salutari passus, sed in litteris, quas scribere est solitus, neque in fascibus insignia laureæ prætulit. Desideratur prius neque; itaque Nipperdeius: passus neque in litteris, quas cet., in qua orationis forma non recte abest tamen. Sed multo gravius offendit ridicule additum illud: quas scribere solitus est, quasi hoc

dicendum Cæsari fuerit, Pompeium litteras scribere solitum esse. Neque in litteris unquam præferebantur insignia laureæ. Exciderunt aliquot litteræ, cum in hanc formam scriptum esset: ita se postea salutari passus *est*, sed in litteris *nunquam* scribere est solitus neque cet. Non scribebat: „Cn. Pompeius imperator". (Est sæpe post us omissum esse, dixi adolescens app. crit. ad disput. de Asconio p. 4, poteramque multa addere exempla, ut Cic. de harusp. resp. 49, Val. Max. VII, 4, 1, Gell. XVII, 15, 2. Hic quidem ante sed multo facilius excidit, recteque additur in edd. usque ad Oudend.) (Cap. 74 sententiæ sic dirimendæ sunt: ut...omnes arderent cupiditate pugnandi. Cum superioris etiam ordinis nonnulli oratione permoti...rem prœlio committendam existimarent, contra ea Cæsar cet. Orationem Cæsar dicit suam, qua etiam militum animi incitati erant; ratione illam sententiam caruisse ipse exponit.)

Ibd. 79: et ad Æginium, quod est obiectum oppositumque Thessaliæ, Cæsari venienti occurrit. Nipperdeius: quod est oppidum oppositum Thess. Sed nec obiectum nec oppositum Thessaliæ oppidum quo sensu dicatur, intelligo, nisi si quod forte in insula oræ Thessaliæ obversa situm est. Itaque scribendum opinor: quod est *adiectum appositumque* Thessaliæ, quemadmodum de vicinia et propinquitate b. Alex. 28 dicitur adiectum flumini Nilo. Appositus sic apud Ovidium, Senecam, Tacitum dicitur, nec multum distat apud Ciceronem de invent. II, 165 appositum ac propinquum, nisi quod translate dicitur.

Ibd. 81: præter Larisæos, qui magnis exercitibus Scipionis tenebantur. Satis apparet intellectumque ab aliis est, uni oppido non magnos exercitus impositos fuisse. Latet fortasse: magnis *coerciti copiis* Scipionis tenebantur.

Ibd. 84: ut (Cæsar) ... adolescentes atque ex-

peditos ex antesignanis electis milites ad pernicitatem armis inter equites prœliari iuberet. Rectissime editores superiores delectum ad homines pertinuisse viderant scripserantque electos, quod ad antesignanis errore accommodatum est. Sed desideratur aliquid ad armis. Id inest in milites, quod frustra tolli iubent, nulla, propter quam additum sit, causa significata. Scribendum est: adolescentes ... electos, *mutatis* ad pernicitatem armis, inter equites cet. Initio capitis scribi debet, quæ correctio ab editoribus primis præcepta ad Oudendorpium locum tenuit: *quom* (pro quo) satis perspectum habere militum animos videretur. A consilii significatione abhorret videretur, neque præcedenti sententiæ hæc adiungi possunt, quoniam ex intermissione prœliorum animus militum non perspiciebatur. (Et debebat ut dici.)[1]

Ibd. 87 solœce scribitur: Hæc cum facta sunt in consilio, magna spe et lætitia omnium discessum est, nisi forte significatur eo ipso tempore discessum esse, cum hæc fierent. Sed licenter primi editores

---

[1]) Cap. 82 recte Marklandus de præturis ac sacerdotiis. Prave præmia ac sacerdotia coniunguntur, cum et sacerdotia et omnia, quæ subiiciuntur, præmia sint. Cap. 86 indignissime negligitur certa Elberlingii emendatio: neu suam neu reliquorum opinionem fallerent pro eo, quod litteris male distractis (ne usu) conflatisque, accedente levissima interpolatione (manu pro amneu), natum est: ne usu manu reliquorum, relicto in copulæ defectu manifesto indicio, quod editores sustulerunt addito que (manuque) effectaque perversissima oratione, ut milites usu fallere imperatoris opinionem dicerentur. Prorsus Nipperdeii prudentiam in hoc loco desidero.

essent pro sunt posuerunt. Fuit fortasse: Hæc *tum* facta sunt in c., magnaque spe et læt. o. d. e.

Ibd. 103: duobusque millibus hominum armatis, partim quos ex familiis societatum delegerat, partim a negotiatoribus coegerat, quosque ex suis quisque ad hanc rem idoneos existimabat. Scribendum: *quos* ex suis quisque cet., ut significetur delectus. Nam quosque neque pro et quos accipi potest neque pro quoscunque (vid. ad Cic. fin. exc. VI p. 832), et si posset, pravum h. l. esset quoscunque.

Ibd. 106 miror non notari certissimum mendum in his: compluresque milites huius urbis omnibus partibus interficiebantur. Cur enim in media de Alexandria narratione subito hæc urbs a ceteris distinguitur? Quid Cæsar scripserit, incertum est; potest scripsisse *in uiis* urbis, ut per se addatur omnibus partibus, non uno loco unave regione.

Ibd. 108: Hunc incitatum suis et regis inflatum pollicitationibus, quæ fieri vellet, ... edocuit. Mire hæc distinguuntur, ut alterius pollicitationibus incitatus Achillas, alterius autem inflatus dicatur. Cæsar sine dubio posuerat tantum: Hunc suis et regis inflatum pollicitationibus. Huic alterum interpretamenti loco additum est. [Sic Kranerus.] (Cfr. b. Alex. 16 pulsis...victis, ubi rectius Forchhammerus victis delet quam Nipperdeius pulsis.) Nec magis dubito, quin

Ibd. 109 sic Cæsar scripserit: quorum alter accepto vulnere per suos pro occiso sublatus, alter interfectus est, a mala manu accesserit occupatus inter vulnere et per. (Codices in his libris optimi non habent verba accepto vulnere ... alter.)[1])

---

[1]) Cap. 112 mira patientia toleratur regionibus pro regibus, quod olim inventum est.

Ex aliorum libris, qui Cæsaris commentariis adhærent, is, qui de bello Alexandrino est, ut octavus de bello Gallico, non solum scribendi genere, sed etiam codicum condicione ipsis Cæsaris libris proximus est, paulo fortasse negligentius habitus et ob ignoti scriptoris dicendi genus inelegans ad corrigendum difficilis. In eo

C. 2 sic scribitur: Præterea alias (turres) ambulatorias totidem tabulatorum confixerant subiectisque eas rotis funibus iumentisque obiectis directis plateis in quamcunque erat visum partem movebant. Configere de transfigendo et concidendo ponitur, raro de tabulis similibusve inter se copulandis, nunquam de compingenda et struenda re. Itaque confinxerant scriptum puto de novo simul invento et de fabrica, ut iam Davisius. Tum autem funes et iumenta turribus obiicere nugatorium est; funibus et iumentis turres rotis impositas movebant. Delendum est obiectis, ortum ex subiectis. [Sic iam Scaliger.]

C. 7 etsi in iis, quæ post hæc: descivisse a suis videbatur subiiciuntur, mire scriptor suam personam interponit et inutilibus verborum ambagibus utitur, tamen eiicere ea non audeo, quod neque, quemadmodum addere in mentem cuiquam venerit, intelligere possum, nec huiusmodi annotationum aliud vestigium in Cæsaris codicibus reperio, neque sententia sine eis plena est; debet enim dici defectionem non sine causa timeri potuisse. Itaque sic corrigenda hæc puto (non longe a P. Manutio discedens): *at* mihi, *si* defendendi essent Alexandrini . . ., multa oratio frustra absumeretur; cum vero cet.

C. 17: omnes Pharitæ terga verterunt. His pulsis custodia portus relicta naves ad litora et vicum applicarunt. Sic codices; quod ex Iurinii coniectura substituitur: custodiæ portus relicti vix intelligi potest, rectam saltem sententiam non habet; neque

enim ulli erant relicti in custodia portus præter illos, qui fugerant, neque portus custodes naves ad litora applicare poterant, sed tantum ii, qui in navibus erant. Scribendum est: His pulsis custodia portus, *reliqui* naves cet.

C. 19: Hunc (pontem) fuga Pharitæ reliquerant; certiorem illum propioremque oppido Alexandrini tuebantur. Non certior erat alter pons, sed *citerior.*[1]) [Sic Rob. Stephanus.]

C. 23: multitudinem confectam tædio puellæ fiduciario dominatione crudelissima Ganymedis. Sic codices antiquiores; nam recentes regno post fiduciario addunt. Nipperdeius fiduciaria. Verius erat: confectam tædio puellæ, *fiduciarii* (*et fiduciarii?*) dominatione crudelissima, deleto nomine Ganymedis. Is appellatur fiduciarius, quod regnum fiduciarium exercebat.

C. 25: cum ... Euphranor primus prœlium commisisset et illi triremem hostium perforasset. Significatur: et *illico* triremem. Eandem vocem infra Senecæ alicubi et Iustino (XLIII, 3, 9) restituam. [Sic Iurin.]

C. 26: idque oppidum (Pelusium Mithridates) ... repente magnis circumdatum copiis multiplici præsidio pertinaciter propugnantibus, et copiarum magnitudine, quas integras vulneratis defessisque subiiciebat, et perseverantia ... in suam redegit potestatem. Mendi manifestæ sunt et copiæ præsidio pertinaciter propugnantes, quod quid sit, nescio, et multiplex præsidium, quoniam apparet, Mithridatem numero copiarum longe superiorem fuisse.

---

[1]) C. 20 decepit recentiores futilis error, littera bis scripta. Allevati ipsi scutis ligneis homines, non allevatis scutis, in qua levatione nihil ipsis auxilii erat, et animo . . . nisi natarunt.

Magnis omittit codex Leid., antiquissimorum alter. Scribendum est: repente circumdatum copiis *multiplicibus*, præsidio pertinaciter *propugnante*, et copiarum magnitudine ... et perseverantia ... redegit.

C. 27: Quorum impetum Mithridates magna cum prudentia constantiaque virtutum et Alexandrinorum imprudentia, consuetudine nostra castris vallatis, sustinuit. Scriptor, ni fallor, posuerat: Quorum impetum Mithridates cum prudentia constantiaque *virtutis*, *tum* Alexandrinorum imprudentia ... sustinuit. Obscurato tum, præpositioni, quæ videbatur, cum additum est magna.

C. 32: Re felicissime ... gesta Cæsar magnæ victoriæ fiducia proximo terrestri itinere Alexandream...contendit. Scrib. *magna e victoria* fiducia. Extremo capite recte Morus felicem vidit interpretamentum esse adscriptum ad talem: sed etiam talem adventum eius fuisse lætabantur.

C. 37: In fronte enim simplici derecta acie, cornua trinis firmabantur subsidiis: eadem ratione hæc media collocabantur acie duobus dextra sinistraque intervallis simplicibus ordinibus instructis. Hæc sensu cassa sunt; sensum habebunt eumque bonum sic scripta: eadem ratione hæc (subsidia cornuum) *ac* media collocabantur *acies*, duobus dextra sinistraque *intervalli* (ad dextram sinistramque intervalli, quod in medio erat, cum ibi tantummodo unus primus ordo esset) simplicibus ordinibus instructis.

C. 40: At Pontica ex altera parte legio, cum paulum aversa hostibus cessisset, fossam autem circumire acies secundo conata esset, ..., in ipso transitu fossæ . . . oppressa est. Cessit paulum legio, non tergis datis fugit; itaque *adversa* scribendum

est. Deinde illud acies secundo, quod mendi manifestum est, nuper et infeliciter et licenter a compluribus tractatum est, initio facto a Nipperdeio, qui ac transcendere scripsit Duebnerumque habuit obsequentem. Multo simpliciore via ad verum pervenietur: fossam autem circumire *acie (ab acie?) secunda* conata esset. Legio duplici acie instructa paulum fronte hosti obversa cessit et interim post frontem, secunda acie, fossam non tam transire, quam (ad finem fossæ) circumire conata est; sed in ipso transitu (cum tamen in fossam incidisset) oppressa est. (Paulo infra aut post sustinuit excidit *et*, aut cum aliis scribendum est magnisque.)

C. 43 post gesserat exciderunt quædam verba, quibus spes et conatus Gabinii significabantur, dein transibatur ad rei difficultates: [sed] neque provinciæ cet.

C. 49: Cassius . . . ad ius dicendum Cordubam se recepit contractumque in ea æs alienum gravissimis oneribus provinciæ constituit exsolvere. Debebat saltem dici in ea urbe; verum non tum demum æs alienum contraxit simul et exsolvere voluit, sed vetere se liberare voluit. Videtur fuisse: contractumque *antea* æs alienum, nisi fuit *alea*.

C. 53: Concurritur ad Cassium defendendum; semper enim Berones compluresque evocatos cum telis secum habere consuerat. Frustra quæritur, cuius hic populi nomen lateat; neque enim barbaris corporis custodibus tum magistratui Romano uti in mentem veniebat, nec iis infinite nominatis postposuisset scriptor compluresque evocatos. Dissolutorum morum homo semper, opinor, secum *gerrones* habebat.

C. 58: Sed id qua mente, communis erat coniectura. Necessario scribendum *erit*. Permittit enim scriptor hæc lecturis. Poterat etiam de iudicandi libero iam nunc arbitrio est scribere, ut Livius IV, 20, 8

(existimatio communis omnibus est) et XXIII, 47, 8 (communis existimatio est). Fecerit ex superioribus audiri posse videtur. Qui hic delenda quædam putarunt (Vielhaber et Duebnerus), eorum suspicione nihil inanius esse potest.

C. 66 eiecto pravo, quod editores addiderunt, supplemento (venit), oratio sic continuanda est: biduum Mazacæ commoratus Comana, vetustissimum et sanctissimum in Cappadocia Bellonæ templum, ..., id homini nobilissimo Lycomedi Bithynio adiudicavit. Pluribus interpositis nominis in memoriam revocandi causa pronomen (id) superadditur. Tollitur sic difficultas, quæ non parva in eo erat, quod Cæsar e Cilicia Mazacam progressus redisse Comana (quæ Ciliciæ propiora sunt) videbatur. Mazacæ, non Comanis, de templo statuit.

C. 67 egregia Marklandi emendatio (excitusque imperiis) adiuvanda sic videtur: *excitus uerbis imperiisque.*[1] (De c. 72 dixi vol. I p. 48.)

C. 73: Huc omnem comportatum aggerem ex castris servitia agerent (plerique codd. agerentur) iussit. Scribendum *gererent* (*gereret*?) iussit. Geritur agger, non agitur, e loco in alium locum. (A littera bis scripta est.)

Sequitur liber belli Africani et genere toto narrandi et orationis forma multo longius a Cæsare ad ple-

---

[1]) C. 68 male Nipperdeius et Duebnerus desciverunt a certissima Clarkii emendatione, iam in codicibus aliquot præcepta, retinueruntque has sordes: defensionem (defectionem Clarkius) eius nullam posse excusationem eius (om. Cl.) imprudentiæ recipere. Factum recipit aut non recipit defensionem excusationemque imprudentiæ. C. 72 init. Duebnerus prudentior fuit.

beium colorem, non tamen sine affectatione quadam elegantiæ et antiquitatis deflectens. In tali libro paucissimis verbis utar.

C. 3 ferendum videtur, quod in codicibus est: quod neque *circum loca* gubernatoribus præfectisque, *quid* peterent, præceperat, hoc est, missis nuntiis edictove circa singula loca, unde solvebant. Certe, quod editur: neque certum locum ... quem, ferri nequit, quoniam idem sequitur; debet poni, quod forma imperandi contrarium sit præcepto signatis tabellis dato.

C. 6 extr., 7 init. sic interpungenda [cum vett. edd.] oratio est: Itaque eo die castra posuit ad oppidum Ruspinam. Kal. Ianuariis inde movit cet. (De c. 9 errat Clarkius).

C. 8 scribendum: ita præcipiebat, uti, fieri posset necne, locum excusatio nullum haberet (hæc e codicibus) nec *mora aut* tergiversatio (v. moram tergiv.) Excusatio nulla recipiebatur eiusmodi, ut quæreretur, fierine posset necne.[1])

C. 19 in codicum scriptura uti frenato condidicerat latet, quod sententiam requirere veteres editores senserant: uti frenato *eco* (equo) *docuerat.* (Etiam c. 29 ad ecum Dæhnius restituit ex hac scriptura addecuma.) Eodem capite paulo post, ubi in codicibus scribitur partim quartum tanto (Par. 2, Leid.), partim quater tanto, nihil est, cur non Latine positum a scriptore putemus *quarto* tanto. Sic quoque enim loquuntur Latini, alterum tantum, altero tanto, aut, ut apud Plautum est, tria tanta, sexcenta tanta (etiam apud Frontonem ep. p. 91 Nab.).

C. 35: petierunt, ut sibi liceret verba sine periculo proloqui. Ad id nulla venia opus erat, et iam

---

[1]) C. 18 post colle deiectis conieceram; Duebnerus e codicibus recepit.

[redacted]

in precando verba proloquebantur; *uera* proloqui sine periculo licere volebant. [Sic Vascosanus et alii edd.]

C. 37 extr., 38 init. Codices: quarum (turrium) apud ultimam præsidium et statio fuit Scipionis. Post Cæsar ad iugum...ascendit cet. Tollendum simpliciter post. Oculus librarii primum aberravit ad postquam duobus versibus infra positum, post primam syllabam se revocavit. Tum ex docuisse (cod. Par. 2 et Vindob.) effici debet *docui fuisse* (pro esse). C. 40 tollendum postquam, additum a librario initio periodi, non animadverso sequi cum, quo genere iterum erratum est c. 50.

C. 47: sed in tertio quartoque die procedendo propiusque hostem accedendo castra communiebat. Scrib. sed tertio *quoque quartove* die. Infra e codicum vestigiis efficitur: Itaque subito imbre grandineque consecuta gravata (sic codd.) pondere *tentoria sunt* (codd. tenebris) aquæque vi subruta disiectaque (sic codd.). Tentoriorum nomen subesse Oudend. viderat.

C. 54 e vestigiis codicum, quæ huiusmodi sunt: et magis in seditione concitandisque militibus adversariorum vestrorum imperatoris quam pudoris modestiæque fueritis studiosiores, efficitur: *adversandi vestro imperatori* quam pudoris modestiæque fueritis studiosiores.

C. 57 scribendum videtur: Cum nihilo minus eius sermonem nuntius ad *Scipionem* (sic Davisius pro ad se) referret, *se* (pro sed) restare, ut reliqua, si vellet (codd. reliqua quæ si vellet), perageret, viator præterea cet. Sed in iis, quæ sequuntur: quam aut Scipionis obtemperasse nuntio aut Cæsaris eiusdem partis civibus incolumem reverti malle, etiamsi pro Cæsaris cum editionibus e Leid. 1 substituamus cæsis, meræ tenebræ sunt, non solum ob

malle pro maluisse positum, sed quod, quæ hæc cædes sit aut quæ omnino hæc altera, qua M. Aquinus uti potuerit, condicio, prorsus non intelligitur. Hariolor huiusmodi aliquid olim scriptum fuisse: aut Cæsaris [*voluntati, qui eum cum ceteris*] eius partis civibus incolumem reverti mallet; sed ut dixi, hariolatio hæc est. (Sub codicum Scaligerani et Cuiaciani nomine coniectura latere potest.)

C. 61: Quod proprium gaudium bellantibus fortuna tribuere non decrevit. Subest: *bellandi iis* fortuna tr. n. d.

C. 72: atque in consuetudinem equos patientia bestiarum adduxerat. In cuius rei consuetudinem equos adduxerat patientia elephantorum, quæ alioquin nulla significata est, sed tarditas? Imo Cæsar equos, antea bestiarum odorem stridoremque reformidantes, adduxerat in consuetudinem *patientiæ* bestiarum, hoc est, bestias ferendi [sic Lipsius], vel potius equites eos *adduxerant*.

C. 74 (ubi ego quoque *subministraturos* annotaveram) e codicibus revocandum est: de eorum (pro deorum) voluntate studioque erga Cæsarem et notanda post Cæsarem lacuna. Ineptissime enim h. l. dii interponuntur et eorum erga Cæsarem studii documentum fingitur, quod transfuga Vagensis suos cives (ipsos legatos) certiores fecerit, oppidum Vagam deletum esse. Lacunæ explendæ sufficit hoc: erga Cæsarem [*ex legatis cognoscitur et*] transfuga cet. Sed plura non deesse, quis spondeat?

C. 78: ut haberent facultatem turmas Iulianas circumfundi. Scrib. *circumfundendi.* Nam ut dixerit scriptor *facultatem habeo circumfundi*, tamen non dixit *circumfundor turmas* pro eo, quod est *turmis*. Nam Latinum est *circumfundi hostium turmis* et *circumfundere turmas* (etsi sæpius passive). [Sic iam Ursinus.]

C. 79: Postquam ... animadvertebat et (hoc recte addit Iurinius) adversarios non virtute eorum confidere ... intellexit. Scr. virtute *suorum*.

C. 83: A dextro interim cornu funditores sagittariique concita tela in elephantos frequentes iniiciunt. Nihilo magis, opinor, concita quam quæ solebant iacere; rectum est (revocato ti ante te): a dextro cornu ... sagittarii *concitati* tela ... iniiciunt. (C. 82 et Nipperdeium et Duebnerum miror silere de Scheelio irruptione pro eruptione scribente, cum agatur de irrumpendo in castra hostium. Et probarat Oudendorpius!)

C. 87: plebem inermem oppido eiecerat et ante portam bellicam castris fossaque parvula duntaxat munierat ibique, custodiis circumdatis, habitare coegerat. Ridicula est porta bellica, et deest significatio, quid munierit. Aususne est scriptor antique et Catoniane dicere: *verrucam* ... munierat, ut cruciabiliter, feroculus, suppetias ire (sæpe) et alia similia dixit (vid. Nipperd. p. 18)?

Belli Hispaniensis librum, ab infimi loci homine et nihil ex rebus gestis nisi particulas quasdam tenente scriptum confuse et sermone usque ad barbariem rustico, tum a librariis ita incredibiliter corruptum, ut nihil fere in antiquis litteris simile sit, paucissimis locis attigi, cum neque dignum, in quo tempus tererem, iudicarem neque multum me profecturum sperarem. Quæ tamen aut suspicatus sum aut certius repperi, hæc sunt:

C. 1: Ita paucis commoda hoste hortato maiores augebantur copiæ. Opinor fuisse: Ita pacis commoda hoste *furato*. Et pacis in parte codicum est, recepitque Duebnerus.

C. 22: illi præsidio insecuti ex adversione legatos iugularunt. Scrib. insecuti ex *Ursavone*.

C. 25: cum locum efflagitarent, ut consueti insequi existimare posses paratissimos esse ad dimicandum. Subest: ut, *consuetudinis inscius*, existimare posses (si consuetudinem eorum clamandi et se iactandi non nosses).

C. 27 tollenda sunt hæc verba: contra Pompeium castra posuit, præcepta a librario ex versu fere quarto inferiore (castra contra Pompeium constituit).

C. 28, ubi in codicibus scribitur: quod Ursaonensium civitati fuissent fautores, antea litteras miserat, pronomen relativum, quod editores requirunt, in ipso verbo inest: civitati, *qui essent* fautores, antea l. m. Extremo capite proxime ad verum Nipperdeius accessit; sic enim scribendum est: loca excellentia tumulis contineri, *intervalla* planitie dividi.

C. 29: Huc accedebat, ut locus illa planitie equitatum ornaret et diei solisque serenitate. Pro equitatum cod. Leid. (et Nipperdeius) recte equitatem, h. e., æqu. Scribendum est: ut locus *illam planitiei* æquitatem ornaret diei (et recte Nipp. delevit) solisque serenitate.

C. 34: Erant hic legiones quæ ex perfugis conscriptæ. Fuit: Erant hic legiones *duæ* ex perf. consc. Sequitur: Legio XIII oppidum defendere cœpit; nam (Leid. 1; Par. 2 et alii non) cum iam depugnarent, turres ex parte et murum occuparunt. In nam superest extrema pars vocabuli, cuius priores syllabæ haustæ sunt propter similitudinem litterarum cœpit. Sic enim scriptum olim erat: Legio XIII oppidum defendere cœpit; *oppidani*, cum iam depugnarent, turres ex parte et murum occuparunt.

C. 38: munitum locum natura ceperat sibi Pompeius quamvis magna multitudine deducti homines...defendere possent subeunt in adventu

[redacted]

nos depellunt qui telis. Fuerat: ... Pompeius *ut*, quamvis magna multitudine *adducta*, *pauci* homines...defendere possent. Subeunt in adventu *nostri depelluntque* telis. In iis, quæ proxime præcedunt, sublatis quattuor verbis, quæ male repetita sunt, reliquum mendum residet.

Ad Sallustii Catilinam aut Iugurtham perexiguum habeo, quod proferam, novi, nec, si quid ex iis, quæ olim (a. 1837) non multa cum Boiesenio communicavi, non recte neglectum videtur, eam rem nunc multis agam, velut in Catil. c. 22 prave illis aperuisse consilium suum adiungi non ipsius Catilinæ declarationem consilii (eo fecisse), sed, interposita copula, scriptoris de consilio narrationem (atque eo fecisse); itaque necessario e codicum optimorum vestigiis (atque eo dictitare fecisse) efficiendum esse verbum Catilinæ orationem significans, ut Sallustius, quid ille dixerit, narret (atque eo *dixisse eam rem* fecisse aut simile quid); in Iugurthæ autem c. 47 perverse veræ scripturæ a me monstratæ, sed ante ab Ursino (frequentiam mercatorum et *commeatu iuvaturam* exercitum et iam paratis rebus munimento fore) prælatam esse eam, quæ neque mendi originem ostendat et duplicis utilitatis significationem tollat et summam sententiæ pravitatem habeat, quoniam sola hominum frequentia, non commeatuum, rebus paratis munimento esse poterat; nam c. 110 qui persuasurum me credam hominibus simplicem veritatem amplecti non audentibus, ut antiquissimorum codicum scripturam sequantur (fuerit mihi eguisse aliquando pretium tuæ amicitiæ, hoc est, eo sit empta amicitia tua pretio, ut aliquando eguerim), inania artificia abiiciant? Itaque his omissis nunc primum dicam

Catil. c. 14, 6, ubi editur: postremo neque sumptui neque modestiæ suæ parcere, dum illos ob-

noxios fidosque sibi faceret, tam perspicue scribendum esse neque sumptui neque *molestiæ* suæ, ut vix credam, id nemini in mentem venisse. Modestiæ neglectus ad ea, quæ hic commemorantur, nihil pertinet; neque cum sumptu, qui fieret et subiretur, recte modestia, sed immodestia, quæ non fugeretur, componenda erat. Præter sumptum in parandis iis, quorum cupidi adolescentes erant, ne operæ quidem molestiam fugiebat.

Iug. 53, 7 non ex adventare, quod sane ferri nequit, faciendum erat adventarent, sed, pravo interpretantis additamento sublato, scribendum: ac primo ... strepitu, velut hostes, alteri apud alteros formidinem simul et tumultum facere, hoc est, velut si hostes essent, cum pro hostibus acciperentur. [Sic iam Cortius.]

Ibd. 84, 2 quod scribitur auxilia a populis et regibus sociisque arcessere, manifesto mendosum esse Siesbyeus vidit; nullos enim præter populos et reges fuisse socios neque ab omnibus populis regibusque, sed tantum ab iis, qui in societate essent, auxilia arcessita esse; itaque omisso que scribendum esse: aux. a populis et regibus sociis arcessere.

Ibd. 85, 10 vix credibile est, non pridem sic sententias esse diremptas: Quæso, reputate cum animis vestris, num id mutari melius sit. Si quem ex illo globo nobilitatis ... mittatis ..., scilicet, ut in tanta re, ignarus omnium trepidet, festinet, sumat aliquem ex populo monitorem officii sui; ita plerumque evenit, cet. [Sic Gerlachius.]

Ibd. 95, 3 quod Sulla litteris Græcis atque Latinis iuxta atque doctissime eruditus dicitur, scriptum a Sallustio videtur aut: iuxta atque *doctissimi*, quod etiam Iordano placuisse video, aut potius, quod Siesbyeo in mentem venit: iuxta atque *qui* doctissime. Nam eruditus iuxta ac personæ significationem, quacum comparatio fiat, postulat;

alioquin scriberetur: litt. Gr. iuxta atque Latinis doctissime eruditus.

Paulo plura effeci in orationibus et epistolis ex historiarum libris excerptis.

In oratione Lepidi (I, 41 Dietsch., 49 Kritz. 1856) § 20 sic scribendum est: ne ... capiamini, non opibus eius, quæ futiles et corruptæ sunt, sed vestra socordia, *qua raptum ire* (cod. Vat. quam raptum iri) licet et, quam audeas, tam videri felicem. Exprimitur, quid propter socordiam populi Sullæ liceat; ea fieri, ut Sulla, qui opibus vincere nequeat, improviso res ad se rapiat et felix videatur. Quæ Kritzius et Dietschius ad hunc locum scripserunt, prorsus confusa sunt. Alii quid nuper luserint, omitto.

Ibd. 26: Mihi, quamquam per hoc summum imperium satis quæsitum erat nomini maiorum, dignitati atque etiam præsidio, tamen non fuit consilium privatas opes facere. Nihil est *satis quærere nomini maiorum*; quid enim quæritur? pravius etiam *satis quærere præsidio*. Scripserat Sallustius: satis quæsitum erat nomini maiorum *dignitatis* atque etiam *præsidii*, tamen cet.

In oratione Philippi (I, 48 D., 56 Kr.) 16: Neque te provinciæ neque leges neque di penates civem patiuntur. Manifesto perverse, cum agitur, quis civis Romanus ferri possit, primæ partes iudicandi provinciis dantur, quarum in ea re nullæ omnino sunt, quoniam ipsæ prorsus extra populum et civitatem sunt. (Sensit aliquid Dietschius; sed æque prave ubi quæritur, quem magistratum provinciæ, quam, quem civem Roma ferre possit, neque omnino provinciarum administratio ulla ex parte ad id pertinet, de quo hic agitur.) Non est dubium, quin tribus primis vocabuli mendosi litteris populi Romani nomen contineatur (p. Ro.); quid cum illis consilium in vinciæ transierit, incertum est. Potest

scriptum fuisse: Neque te *populi R. iudicia* neque leges neque di penates civem patiuntur. Paulo post (18) scribendum videtur: Nam qui turbas *se* et cædem civium odisse ait; in codice deest se.

In oratione Licinii (III, 61 D., 81 Kr.), 12: cum...dicta alia, sed certatum utrimque de dominatione in vobis sit. Itaque cetera ex licentia aut odio aut avaritia in tempus arsere; permansit una res modo, quæ utrimque quæsita est et erepta in posterum, vis tribunicia, telum a maioribus libertati paratum. Sic omnes [inde a Cortio] interpungunt, ut incredibili pravitate tribunatus vis, quam Licinius sublatam queritur et restitui vult, una permansisse dicatur et tamen eadem in posterum erepta, tum autem hæc ipsa utrimque quæsita, quod si quis non intelligit quomodo dicatur, Kritzius enarrat, „a plebe quæsitam, ut confirmarent, ab optimatibus, ut tollerent". Hoc vero est *quærere vim tribuniciam*! Tantum absurditatis unum peperit comma prave additum et sublatum, quo recte posito (permansit una res modo, quæ utrimque quæsita est, et erepta in posterum vis tribunicia) apparet unam rem esse dominationem, de qua „utrimque certatum" Licinius dixerat, vim autem tribuniciam ereptam esse dici, non permansisse.

Ibd. 19: Namque ut illis (alimentis carceris) exiguitate mors prohibetur, senescunt vires, sic cet. Ferri non potest duplex ablativus pro eo, quod est illorum exiguitate. Itaque, nisi tolli velis exiguitate, quod qui addi potuerit, non video, scribendum puto: Namque ut *illic* exiguitate cet.

In epistolæ Mithridatis (IV, 61 D., 20 Kr.) initio scripturam codicis, quæ lenissime adiuvanda est, iam inde a Dousa depravarunt, nuper, addita transpositione, prorsus una cum sententia pessum dederunt. Scribendum est sic: Tibi si perpetua pace frui licet, nisi hostes opportuni et scelestissumi, *ni* egregia fama, si

Romanos oppresseris, futura est, neque petere audeam societatem et frustra mala mea cum tuis bonis misceri sperem. Si una condicio adesset (si), duæ aliæ non adessent (nisi ... ni), non auderet Mithridates societatem Arsacis petere; nunc nec illa adest et hæ adsunt; itaque petere audet: „Sed neque tibi, etiamsi nunc bello abstinueris, perpetua pace frui licebit, et hostes opportuni sunt. et egregia fama erit, si Romanos oppresseris". Unam syllabam ni addidi post mi (scelestissumi). Deinde § 3 scribendum est: si *vere æstimare* voles, non vera existimare.

Subiungam fragmentorum quorundam minutorum apud Nonium positorum emendatiunculas.

I, 86 D (93 Kr.) apud Nonium p. 310 Merc.: Profectus (edd. Sall. illo prof.) vicos castellaque incendere et fuga cultorum deserta igni vastare neque elate aut fetustissimus metu gentis ad furta belli peridoneæ. Sic codices. Scribendum: neque (h. e. neque tamen) late aut *effuse nimis*, metu gentis cet.

II, 17 D. (23 Kr.), Non. p. 538: occurrere duci et prœlium accendere, adeo uti Metello in sagum, Hirtuleio in brachium tela venirent. Declaratur, quam se ipsi duces pugnæ miscuerint et periculo obiecerint; scribendum: occurrere *duces* et cet. [Sic iam Gerlachius.]

IV, 37 D. (52 Kr.), Non. p. 318: Atque hiavit humus multa vasta et profunda. Fuit, opinor: Atque hiavit humus *lacuna* vasta et profunda.

V, 13 D (16 Kr.), Non. p. 236: Quibus de causis Sullam in victoria dictatorem uni sibi equo descendere, adsurgere sella, caput aperire solitum. Scrib. Sullam *victorem ac* dictatorem cet.

(De III, 15 D., 14 Kr., apud Non. p. 489, dixi vol. I p. 37. Admodum miror confidentiam eorum, qui huic et similibus fragmentis certam in narratione sedem assignant.)

Ad Cornelium Nepotem nihil annotari editione nunc dignum.

Liber VIII.

Cap. I.

Velleius Paterculus. Valerius Maximus.

Quoniam Livium, quem totum recensui, hic sepono et omitto, a Ciceronis et Cæsaris temporibus venio statim ad Tiberianæ ætatis et proximæ subsecutæ scriptores. Nam ne is quidem hic locum ullum habebit, qui, cum maiorem vitæ partem imperante Augusto egisset, Tiberio principe scripsit, M. Seneca, quod omnia, quæ ad eum annotata habebam, superiore anno A. Kiesslingio eius reliquiarum editionem paranti libenter homini docto et prudenti utenda concessi et hoc volumen non exiguo onere levavi.

Velleii Paterculi historiæ Romanæ quam sit et simplex instrumentum criticum et tenue, omnes norunt, quamque egeat coniecturæ ope. Eam ei et superioribus temporibus multi ferre studuerunt et nuper. Mihi et olim Velleium legenti ad manum fuerunt et nunc hæc scribenti præsto sunt Ruhnkenii, Kritzii, Haasii editiones; qui post alteram Haasii editionem prodierunt libelli ad Velleium pertinentes, eos antea non paratos nunc conquirere otium non est; itaque veniam peto, si quid inscius ab alio præceptum posuero, quod mihi in priore volumine p. 18 de

II, 29, 2 et p. 153 de I, 18, 1 accidit, cum eo tempore tantum priore Haasii exemplo uterer. Multa, quæ ipse inter legendum annotaveram, postea vidi a superioribus (Acidalio, aliis) præcepta, quorum bonis inventis mallem quidam nunc uterentur quam in novis reperiendis se torquerent.[1])

Lib. I c. 4, 4: Et mox Æolii, eadem profecti Græcia. Scr. *ex* eadem pr. Gr. Haustum ex ante ea.

Ibd. 12 init. Universa deinde, ut prædiximus, instincta in bellum Achaia, cuius pars magna eiusdem Metelli Macedonici virtute armisque fracta erat, maxime Corinthiis in arma ... instigantibus, destinatus ei bello gerendo consul Mummius. Verba ut prædiximus transponenda sunt post pars magna. De universa Achaia in bellum instincta nihil adhuc Velleius dixerat; Achæos rebellare incipientes acie fusos a Metello narravit, id est, magnam Achaiæ partem eius virtute fractam esse.

---

[1]) Huiusmodi est in secundo statim capite prioris libri recte ab Heinsio repositum Megara pro Megaram (vid. præf. ad Liv. II, 1 ad XXIV, 30, 9; æque prave II, 102 contra Mureti admonitionem retinetur Artageram), tum a Lipsio: in insula circumfusa Oceano . . . Gades condidit pro eo, quod codex habuit: insulam circumfusam Oceano . . . Gades condidit. Aliud est apud Græcos *κτίζειν νῆσον* de ea cultoribus frequentanda, usu crebrum, aliud *insulam condere*, apud Latinos inauditum, *insulam* vero *Gades condere* perridiculum, hoc quidem etiam si Græce dicere conere v. c. *Ῥόδον Λίνδον κτίζειν*. Utinam cautius philologi exemplis et comparatione similitudinis uterentur. Sed de *m* littera addita detractave nunc spero plerisque ita persuasum esse, ut sciant *Megaram* quater scriptum nihil valere contra *Megaris* aut *Megarorum* bis aut etiam semel positum.

Ibd. 14, 2: Post septem annos, quam Galli urbem ceperunt, Sutrium deducta colonia est. Certus Velleii usus postulat *ceperant*. Vid. I, 8, 4 (post duos et viginti annos, quam prima constituta fuerat), 13, 1 (erat condita), II, 44, 4 (redacta erat). Animadverti velim (cfr. vol. I p. 167 sqq.), aberratum esse in una vocali, non aberratum, ubi perfectum et plusquamperfectum tota syllaba differrent. Eodem capite § 7 addito que ante qu scribendum esse: *interiectoque* quinquennio, superiorum et eorum, quæ sequuntur, comparatio docet.

Ibd. 16, 3: æqualesque eius ætatis non magis quam operis. Si recte, ut puto, contra codicem additur non, scribi debet: eius non ætatis magis quam operis.

Ibd. 17, 5: Huius ergo recedentis mq. seculum ingeniorum similitudinis congregantisque se et in studium par et in emolumentum causas cum semper requiro, numquam reperio, cet. Sic codex (etsi in apographo Amerbachiano est inq. pro mq). Primum litteræ aliquot extritæ esse videntur scribendumque: Huius ergo recedentis *in suum quodque* seculum ingeniorum similitudinis congregantisque se et in studium par et in emol. cet. (de suum quodque vid. ad Cic. fin. V, 46 p. 689); deinde non semper, sed *sæpe* huius rei causas a Velleio requisitas esse puto. (Sæpe pro semper Ciceroni restitui III n. deor. 72; ibidem 69 restituerat Manutius.)

Lib. II, 1, 5: Sed Pompeium gratia impunitum habuit; Mancinum verecundia quippe non recusando perduxit huc, ut per fetiales . . . dederetur hostibus. Frustra se torquent in quippe ad sententiam accommodando, nec cetera expediunt. Credo

scriptum fuisse: Mancinum verecundia *quicquam noxae recusandi* perduxit huc, ut cet.[1])

Ibd. 9, 2: Clara etiam per idem aevi spatium fuere ingenia in togatis Afrani, in tragoediis Pacuvi atque Acci, usque in Graecorum ingeniorum comparationem evecti (cod. evectis, fortasse recte Heinsius *evecta*) magnumque inter hos ipsos facientis operi suo locum, adeo quidem, ut in illis limae, in hoc paene plus videatur fuisse sanguinis. Celebre et Lucili nomen fuit. Perversa sunt et quae de Accio magnum inter ipsos Graecos suo operi locum faciente excogitantur (et ne nominati quidem Graeci erant, sed Graeca ingenia), et magis etiam, quae de eodem (tragico) inter Afranium, togatarum scriptorem, et Pacuvium emergente. Ipsum illud singulari numero positum suum opus admonere debebat, transiri ad aliud et singulare poesis genus. Scribendum est: magnumque inter hos ipsos facientis operi suo locum (adeo quidem, ut in illis plus limae, in hoc paene plus videatur fuisse sanguinis) *et celebre* Lucili nomen fuit. Recte iam non *magnum locum facere* dicetur, quod nihil est, sed *locum operi suo facere.* Sententiis male diremptis et celebre inversum est.

Ibd. 10: Persequamur notam severitatem censorum Cassi Longini Caepionisque cet. Neque hoc ferri potest (itaque Haasius notam deleri vult) neque notae, quod debebat saltem esse notarum (hoc est, in notis). Una littera m detrahenda est: Persequamur *nota* severitatem, hoc est, notemus et quasi notam adfinamus; hoc enim facit Velleius, non persequitur (plura

---

[1]) II, 5 extr. sponte annotaveram: Hic virtute . . . at Fabius Aemilianus, Paulli exemplo, *disciplina* in Hispania fuit clarissimus. Praeceptum erat a Puteano.

narrando) severitatem censorum. Similiter in hoc ipso capite § 2 dicitur: Notetur Domitiæ familiæ peculiaris quædam . . . felicitas et c. 11, 3: Cæciliæ gentis) notanda claritudo est et 68, 3 notetur.[1])

Ibd. 19, 3: ut agnovit Marium, magno eiulatu expromenti indignationem casus tanti viri abiecto gladio profugit e carcere. Eiulatus non sane expromit indignationem, sed nihilo magis apud Latine loquentes *exprimit*; (indignatio eiulatum alicui exprimere potest). Nec *magno eiulatu expromenti* pro eo, quod est *magno eiul., qui expromeret*, recte dicitur. Sublata geminatione vocalis i et una littera mutata faciendum est: magno eiulatu *expromens* indignationem. [Sic Acid.]

Ibd. 20, 5: Opus erat partibus auctoritate, gratia, cuius augendæ C. Marium cum filio de exilio revocavit. Neque asyndeton (auctoritate, gratia) ferri hoc loco potest, cum præsertim ita partibus pæne necessario eodem casu accipiatur, quo auctoritate, gratia, neque cuius augendæ Velleiano usu dicitur, neque, quod caput est, partes in republica gratiam quærunt, sed auctoritatem et speciem. Adhibenda est igitur transpositio: Opus erat partibus auctoritate, cuius augendæ *gratia* C. Marium cet. Non ita paucis locis apud

[1]) Eodem capite incredibili perversitate defenditur post alios a Kritzio, tenetur etiam ab Haasio hoc: fuere singulis omnino parentibus geniti, ab aliis autem substituitur non minus pravum singuli singulis parentibus geniti. Omnes enim, quotquot unquam nati sunt homines, singulos habuere parentes (patres; de iis enim agitur), nemo duos pluresve. Recte Lipsius: singuli omnino parentibus geniti; hoc peculiare fuit, quod septem deinceps Domitiis singuli filii, nulli plures, geniti fuerant iique omnes consulatum ceperant. Ad parentibus accommodatum est singulis, ut 17, 1 propter universis factum est integris pro integri.

Velleium similis in apertis et perspicuis verbis transpositio accidit, ut videtur, quod vocabulum incuria omissum et supra scriptum loco non suo interpositum est. Hoc enim errore c. 13, 3 scriptum erat in codice: male facta collegarum quam eius (eius quam) optime ab ipso cogitata, 27, 1 vir animi bellique fortissimus (animi fortissimus bellique) 38, 1 notavimus facilius ut quæ partibus (ut, quæ partibus notavimus, facilius), 41, 2: et quod inter omnes antiquissimos constabat (et, quod inter omnes constat, antiquissima, ubi alii accesserunt errores), 57, 2 dati ab eo neque protinus lecti (dati neque ab eo pr. l.), 68, 1 senatus et auctoritate cos. (senatus et consulis auctoritate), cet.

Ibd. 27, 2: cuius abscisum caput ferri gestarique circa Præneste Sulla iussit. Frustra Kritzius post alios ferri et gestari differre vult; nam neque per se *ferri caput*, nulla addita loci, in quem, aut personæ, cui feratur, significatione, aliud est nisi gestari, neque in hac verborum copulatione divelli *ferri* ab altero potest. Videtur scriptum fuisse: *ferro figi* gestarique c. P.[1])

Ibd. 31, 2: Quo senatus consulto (cod. senatus cos.) pæne totius terrarum orbis imperium uni viro deferebatur; sed tamen idem hoc ante septennium in M. Antonio prætore (cod. biennium in M. Antoni prætura) decretum erat. Sed interdum persona ut exemplo nocet, ita invidiam auget aut levat. Ridicule, quod Velleius proxima superiore senten-

---

[1]) C. 26, 1 parendum erat Heinsio, ex his: animi magis quam ævi paterni facienti an. m. quam fati paterni. De ingenio moribusve Marii filii non agitur, et fuit hac ex parte, Velleio iudice, patre dignus, sed fortunam habuit fatumque infelicius. Fatum medio sensu dicitur, ut c. 52, 1 fatalis.

tia Gabinia lege latum narravit, nunc senatus consulto factum dicit, cum præsertim adversatum senatum et aliunde sciamus et h. l. significetur et verbis sed tamen et iis, quæ deinde subiiciuntur (dissuadebant optimates); magis tamen ridicule quidam enarrant, senatus consultum dici pro plebiscito, quod senatus approbare vi coactus sit. Scribendum est: Quo *senatus* pæne totius terrarum orbis imperium uni viro *deferri rebatur.* Deinde sublato additamento, quod sententiam perimit, restitutaque rhetorica membrorum inter se relatorum forma scribi oportet: Sed interdum persona, ut exemplo nocet, ita invidiam levat. Id accidisse in Antonio Velleius proximis verbis exponit.

Ibd. 33, 1 (de L. Lucullo): ultimamque bello manum pæne magis noluerat imponere quam non potuerat, qui alioqui per omnia laudabilis et bello pæne invictus pecuniæ pellebatur (cod. expellebatur) cupidine. Pravum est *pelli cupidine* de eo, qui ea tenetur, neque quicquam ulla ex parte simile habent exempla a Kritzio corrasa; nam de vincendo sic dicitur *pellere,* ut loco movendi et fugandi significatio insit et emineat. Scripsit Velleius: *quia* (sic recte Bothius), alioqui per omnia laudabilis.., pecuniæ *pelliciebatur* cupidine. Infra § 2 scribendum est: neuterque ab eo, *qui* (codex quod) arguebatur, mentitus argui posset. Cum Pompeius Lucullo pecuniæ cupiditatem, Lucullus Pompeio imperii obiiceret, neuter ab altero, cui hoc obiiciebat (qui arguebatur), mentitus argui poterat; vera enim obiiciebat. [Sic edit. Bipont.] (Tum § 3 recte Lipsius: in gerendis verecundissimus *et* qui pro ut qui; continuatur res et amplificatur.)

Ibd. 35, 1: Ille senatus dies...virtutem M. Catonis, iam multis in rebus conspicuam atque prænitentem, in altissimo luminavit. Sic codex. Duo certa esse debent, incidi orationem post prænitentem (in quo lapsus

est Haasius) et retinendum esse in altissimo nec altitudinis imaginem cum luminis coniungi posse (quod Kritziu frustra efficere conatur). Initium emendationis et capu Haasius repperit: in altissimo *culmine*, sed huic accommodandum erat verbum, quod litteris male conflati corruptum est: virtutem M. Catonis, iam ante .. prænitentem, in altissimo culmine *locavit*.

Ibd. 36, 2: neque ullo in suscepti operis su carmine minorem Catullum. Contra eos, qui ope ris carmen et minorem in carmine defendunt, dic opus non est, quoniam ne carmine quidem uno Catullu censebatur, sed carminibus; (de prosæ orationis usu dico) Sed casu plerique arripere videntur, quod substituant Sui inutiliter et prave post suscepti operis additur Inde profectus sic scribendum suspicor: neque ullo [in suscepti operis *uigore* minorem Catullum. Geminata littera s factum videtur sui, tum ex gore et primis litteris sequentis vocis (min) natum carmine.[1])

Ibd. 48, 5: unice cavente Cicerone concordia publicæ. Puto fuisse *favente*. Nam cavere concordiæ quæ nulla erat, Cicero non poterat, sed favere, ut resti tueretur.

Ibd. 49, 1 (48, 6 H.): cum sine invidia in rep floruissent eminuissentque sine periculo, quiet aut certe non præcipitata, fatali ante initiun bellorum civilium morte functi sunt. Mortis genu uno adiectivo fatali ita definitur, ut prorsus otiosum si

---

[1]) Cap. 44, 4 idem conieceram, quod Heinsius, ius *urbis* (pr ius ab his). De civitate (quoniam omnes tum Itali Roma nam habebant) nihil mutatum est. Cap. 47, 3 homo non doc tissimus, Cludius, unus vidit, quid usus loquendi postulare (in coercitione ambitus exercuit, non in coerci tionem).

[redacted]

ante eam quietam dicere ac non præcipitatam, cum præsertim quieta mors vix Latine appelletur. Itaque recte iudicant, qui hæc adiectiva alio trahunt. Sed quod ea Kritzius referri vult ad præcedens rep., id interpositis illis eminuissentque sine periculo fieri nequit, ac ne ea quidem post quieta cum Lipsio satis commode additur. Verum ipsum præcipitata non recte contrarium ponitur quietæ reip. Scribendum puto: quieta aut certe non *præcipiti civitate.* Propter similitudinem litterarum cipi et civi duæ voces truncatæ coaluerunt. Civitate Ruhnkenius addebat.

Ibd. 68, 1: (M. Cœlius) cum in modica quidem servari posset (quippe peior illi res familiaris quam mens erat), in prætura novarum tabularum auctor extitit. Orationis forma certa est: cum ne in modica quidem * servari posset. Quod substantivum exciderit, et similitudo litterarum et res manifesto ostendit: ne in modica quidem *fide* servari posset. Etiamsi non plena et integra servaretur pecuniarum creditarum fides, sed tantum modica (ut solutio differretur similiave tentarentur), servari Cœlius non poterat; itaque fidem de foro tollere omnem conatus est. Deinde quæ in codice sic scribuntur: accito etiam Milone Annio, qui, non impetrato reditu, Iulianis partibus infestus erat, in urbe seditionem haud magis occulte bellicum tumultum movens, primo summotus a rep., sic puto multo, quam factum est a plerisque, lenius corrigenda: accito etiam Milone Annio, qui ... infestus erat, in *urbem*, seditionem *ac* magis occulte bellicum tumultum movens, cet. Postremo § 2 geminatis duabus litteris scribendum est: *In* incepto pari similis fortuna Milonis fuit, quamvis Kritzius ignorari vim ablativorum dicat.

Ibd. 75, 1: Ti. Claudius Nero, ... Ti. Cæsaris pater, magni vir animi doctissimique ingenii.

Non movet Kritzium, quod nemo veterum in hoc Claudio doctrinam laudavit; et tamen movere nonnihil debebat; nam si qua huiusmodi fama de eo fuisset, probabile est non omissurum eam fuisse Suetonium. Sed certius illud est, neminem (saltem in prosa oratione) *doctum* ingenium appellasse, quod separata sunt ingenium et doctrina; excultum doctrina ingenium laudatur. A Velleio positum puto *rectissimi*.

Ibd. 82 init: Qua æstate Cæsar tam prospere Libium in Sicilia bene fortuna in Cæsare et rep. militavit ad Orientem. Non est dubium, quin in Libium ipsum id, quod desideratur in relativa sententia, verbum insit; certum deinde est, quod Schegkius vidit, bene pro pæne (pene) scriptum esse. Ad hæc non difficulter adiungitur verbi, quod est militavit, emendatio, ut sic scribatur: Qua æstate Cæsar tam prospere *bellavit* in Sicilia, pæne fortuna *et Cæsarem* et *remp. mutilavit* ad Orientem. Aptissime significatur magnitudo cladis, quæ accepta esset, nisi captivi Romani indicio servatæ Antonii legiones essent, ad Cæsarem quoque, qui a rep. separari non poterat, pertinens.

Ibd. 86, 2: ad solium alarunt in prisca gravitate celeberrimi fides, mox diu clementia luctatus sua Cæsar servavit incolumem. Priora sanavit Puteanus (At Sosium L. Arruntii, pr. gr. cel., fides), nisi quod in ad latet Sosii prænomen. (Fortasse ante hæc præter vocabulum modum plura exciderunt; valde enim abrupte hoc unum exemplum clementiæ interiicitur.) Sed in extremis residet mendum; nihil est enim (absolute) *luctari clementia sua*, nec diuturnitas luctationis apte commemoratur. *Cum* clementia sua Cæsar luctatus non est, sed ei (Velleii iudicio) libentissime paruit. Scribendum est: mox, *odium* clementia *eluctatus* sua.

Vicit et expugnavit odium, quo Sosius premebatur, clementia.[1] (Sententiam attigerat Cludius.)

De c. 88, 2 dixi vol. 1 p. 35. Eodem capite extremo, quoniam in codice scriptum sic erat de Servilia: præmaturam mortem immortalem nominis sui pensavit memoriam, recte Burerius intellexit scribendum esse præmatura morte (ex quo natum est præmaturam morte, deinde mortem), quod ceteri neglexerunt, Kritzius parum acute reprehendit. E cap. 115, 4, quem locum ipse citat, satis intelligitur, Velleium *pensare* posuisse cum accusativo bonum, quod quis consequi vellet, significante, ablativo incommodum, quod pro pretio esset, notante. Commodum *pensare cum* incommodo dixerunt Ovidius (met. XIII, 192: laudem ut cum sanguine penset) et Seneca (de vit. beat. 4, 4), Cicero *compensare* (fin. II, 96, V, 48). (Cap. 87, 3 professioni ei, qua præcepit Cludius.)

Ibd. 89, 5: Consulatus tantummodo usque ad undecimum, quem continuaret Cæsar, cum sæpe obnitens repugnasset, impetrari potuit. Ineptissimum quem continuaret, nec minus impetrari potuit. Editio prima impetrare. Agitur de Cæsare Augusto vetera instituta revocante, in una tamen re

---

[1]) Eiusdem cap. § 2 incredibile est, ferri ab editoribus hæc: qui deprecari quidem pro se non sustinerent, vitiosissime posito quidem, cum iam Heinsius perspexerit, ante de excidisse ne, tum additum non (qui ne deprecari quidem p. s. sustinerent). Non paucis locis in codicibus sic mutilatum est *ne . . . quidem*, quorum ipse unum et alterum alibi attigi. Cfr. c. 68, 1. Apud Senecam epist. 94, 21 recte edebatur inde ab Erasmo: sed non ideo ne aliis quidem adiecta proficiunt (hoc est: sed inde non sequitur, ut ne aliis quidem proficiant). Fickertus codicibus obsequens ne et sententiam sustulit; Haasius non aliis quidem scripsit, contempta orationis lege. Cfr. ad Senec. quæst. nat. VII, 31, 2.

nova et civilem modum excedentia subire coacto. Vim enim ei a populo adhibitam adulator Velleius fingit, et ipse Augustus ita videri volebat. Scripsit Velleius: Consulatus tantummodo usque ad undecimum *quin* continuaret Cæsar, cum sæpe obnitens repugnasset, impetrare *non* potuit.[1])

Ibd. 99, 4 (3) ad hanc formam scriptum fuisse suspicor: ut omnes, qui pro consulibus legatique in transmarinas profecti provincias visendi eius gratia ad [*eum venissent*, (*et quis*] *non venit?*) semper privato ... fasces suos summiserint. *Conveniendi* verbo locus non est. Omnes ad Tiberium venisse Suetonius testatur Tib. 12.

(De c. 103, 3 dictum est vol. I p. 21.)

Ibd. 106, 3: classis, quæ Oceani circumnavigaverat sinus, ... flumine Albi subvecta, plurimarum gentium victoria cum abundantissima rerum omnium copia exercitui Cæsarique se iunxit. Frustra victoria defenditur, frustra victori scribitur, inaudito verborum ordine. Scribendum: plurimarum gentium *victrix*.

Ibd. 107, 2: Nostra quidem furit iuventus, quæ, cum vestrum numen absentium colat, præsentium potius arma metuit quam sequitur fidem. Qui potest hoc Germanus e medio hostili exercitu profectus dicere, suam iuventutem Romanorum absentium numen colere? Vera sententia (hoc est, qualis

---

[1]) De capitis 90 initio hoc tantum pro certo dicere possum et coram aliero non ortum esse ex his: ut concordia invalu-ere, quæ ipsa minime apte inter coalescendi et lacerandi imagines interponuntur. Latet, opinor, ablativus in cro desinens, coniunctus cum membris. (Coalescentibusque reip. membris et *formæ involucro*?)

Velleio placere potuit) nascetur, si sic scriptum fuerit: quæ, cum vestrum numen absentium *non* colat, (quod facere debebat, deinde etiam) præsentium potius arma metuit quam f. s. Potuit etiam scribi: quæ, cum vestrum numen absentium colere debeat.

Ibd. 108, 2: (Maroboduus) statuit, avocata procul a Romanis gente sua, eo progredi, ubi, cum propter potentiora arma refugisset, sua faceret potentissima. Causæ significatio (propter) inepta est, ineptum etiam per se positum cum refugisset; scribendum esse: ubi, cum potentiora arma refugisset, sua faceret potentissima, vel sola membrorum concinnitas ostendit.

Eod. cap. § 3 (al. 109 init.) de eodem Maroboduo sic scribitur: Corpus suum custodia tum imperium perpetuis exercitiis pæne ad Romanæ disciplinæ formam redactum brevi in eminens ... perduxit fastigium. Multa licenter editores et alii mutant nec tamen rectam sententiam aut orationem consequuntur; Kritzius et Haasius longe aberrarunt. Una littera in duas mutanda, una addenda: Corpus suum *custodientium* imperium, perpetuis exercitiis pæne ad Romanæ disciplinæ formam redactum, brevi ... perduxit cet. (Corpus eorum, qui suum custodiebant imperium.) (Paulo post (109, 1) Acidalius recte ex totumque, præcedente *m*, fecit in totumque, quomodo Columella et Plinius maior persæpe dixerunt, ille in uno secundo libro 1, 2 et 11, 8 et 17, 7).

Ibd. 111, 3: Quanto cum temperamento simul utilitatis res auctoritate imperatoris agi vidimus (a Tiberio)! Recte vidit Ruhnkenius laudari coniunctionem aptam militaris imperatoriæque auctoritatis et virtutis eam lenientis; eam esse (quæ hac demum ætate appellatur) civilitatem. Sed plura mutat, quam opus est; satis est enim sic scribi: Quanto cum temperamento

simul civilitatis (hoc est, quanta adhibita simul civilitatis admixtione) res auctoritate *imperatoria* agi vidimus!

Ibd. 114, 3: agebatque medium plurima dissimulantis, aliqua inhibentis. Ut concedatur, medius poni cum duobus genetivis ad interiectum genus significandum (velut *medius regis et servi*), quod ipsum aperto exemplo non confirmatur (nam aliter de loco dicitur *medius cæli terræque*, aliter etiam *medius pacis bellique*), tamen dicendum fuit: *medium* omnia *dissimulantis et* omnia *inhibentis*, primum addita copula, quæ omitti nullo pacto potest, deinde positis iis, quæ extrema sunt et inter quæ aliquid medium significatur; nam *plurima dissimulare* et *aliqua inhibere* non contraria et extrema sunt, sed coniuncta iam et temperata. Itaque scribendum credo: agebatque medium, plurima *dissimulans*, aliqua *inhibens*. Ac video idem Acidalio, peringenioso et, quamquam iuvenis obiit, subacti iudicii homini, in mentem venisse.

Ibd. 116, 3: et A. Licinius Nerva Silianus, P. Silii filius (quem virum, ne qui intellexit quidem, abunde miratus est), ne nihil non optimo civi, simplicissimo duci perisset præferens immatura et fructu amplissimæ principis amicitiæ et consummatione ... imaginis defectus est. Certum est illis: ne nihil non ... præferens contineri indolis et spei, quæ in iuvene fuerit, significationem. Itaque orationis forma hæc fuit: nihil non optimo civi [*simile*, *viro*] simplicissimo, duci *peritissimo* præferens, immatura [morte] (hoc invenit Orellius) cet. Id quoque certum est, Velleium in exornata et ad splendorem et ad acumen iuvenum nobilium laude non utramque partem sic terminasse: Ælius Lamia ... defectus est et A. Licinius ... defectus est, sed altero tantum loco verbum posuisse, in priore parte alium id hominem annotasse.

Ibd. 118, 1: nunc provocantes alter alterum iniuria, nunc agentes gratias, quod ea Romana iustitia finiret. Non congruit ea (plur.) cum iniuria; nec Germani apud Quintilium Varum iniuria inter se provocabant, sed de iniuriis, quas ante illatas dicebant, lites serebant. Una littera addenda est: provocantes alter alterum *in iurgia*. Paulo post (§ 2) neque iure civitatis Rom. neque cum iure civitatis R. ius equestris consequens gradus ferri potest, ne ipsum quidem *ius equestris gradus* pro equestri gradu; (nam *iure civitatis* est eo iure, quod civitas dat). Videtur fuisse: iure etiam civitatis Romanæ *decus* equestris consequens gradus, hoc est, ei proximus. Nam ita ferri consequens potest; alioqui cum Heinsio consecutus scribi debebat. [Sic Burmannus.]

Ibd. 119, 2: Exercitus ... circumventus, cum ne pugnandi quidem egredie aut occasionis, in quantum voluerant, data esset immunis, castigatis etiam quibusdam gravi pœna, quia Romanis et armis et animis usi fuissent, inclusus silvis ... trucidatus est. Ex vestigiis codicum efficitur: cum ne pugnandi quidem *egrediendive* aut *occasio iis*, in quantum voluerant, data esset *aut impunitas*, castigatis etiam cet. Singulas correctionis partes alii coniectura attigerunt, nemo totam.

Ibd. 125, 4: Quo quidem tempore, ut pleraque ignave Germanicus, ita Drusus, qui a patre in id ipsum plurimo quidem igne emicans incendium militaris tumultus missus erat, prisca antiquaque severitate usus ancipitia sibi timere quam exemplo perniciosa et his ipsis militum gladiis, quibus obsessus erat, obsidentes coercuit. Quo iuvenis, cum solo Ruhnkenii exemplo utebar, invento me gaudere memini, ignovit pro ignave, præceperat

editor Bipontinus secutusque Kritzius est.[1]) Sed neque in id ipsum incendium (exercitus Germanici) Drusus missus erat, sed in Pannoniam, neque ferri quidem potest; deinde in timere manifestum tenetur mendum. Velleius, ut et Germanicum et Drusum laudare possit, hunc quidem multo benignius, aliquid inter seditiones interfuisse significare debet. Scribendum videtur: Drusus, qui a patre in *diversum* plurimo*que idem* igne emicans incendium mil. tum. missus erat ... ancipitia sibi [*maluit*] *tenere* quam exemplo perniciosa cet. (Plurimoque idem Heinsio debetur.)

Eodem cap. § 5: At Hispanias exercitumque virtutibus celeberrimaque in Illyrico militia, prædiximus, cum imperio obtineret, in summa pace et quiete continuit. Nihil certius est ex toto orationis progressu et rerum serie, quam hic in nova provincia transiri ad alium hominem (a quo proximis verbis ad Dolabellam transitur); itaque hactenus veritatis partem Haasius attigit; sed a perspicuis totius loci formæ indiciis aberravit. Sic enim Velleius scripsit universa forma, si non his ipsis verbis: At Hispanias exercitumque [*in iis cum M. Lepidus, de cuius*] virtutibus celeberrimaque in Illyrico militia prædiximus, cum imperio obtineret, cet. Nullam litteram extra lacunam mutavi. De Lepidi militia Velleius dixit c. 114 et 115.

Ibd. 127, 2: Etenim magna negotia magnis adiutoribus egent neque in parvo paucitas ministeria defecit. Posterior pars sententiæ neque per se

---

[1]) Altera me tum valde delectabat emendatio, qua c. 121 restitueram ingressi Germaniam. Eam iam tum Bardilius occupaverat.

intelligi potest (saltem ita ut Latine expressa videatur) neque cum priore ullo modo cohæret aut ad rem, de qua agitur, pertinet. Aptissima omnia erunt sic scripta: *atque impar capacitas* ministeria deficit. Aperta mendi causa est (in par pacitas) et progressio. Nihil frequentius esse perfecto pro præsenti substituto in verbis a capio, facio, iacio compositis, dixi in emendd. Livv. p. 354; idem in Senecæ codicibus fieri infra annotabo.

Ibd. 129, 2: Cum quanta gravitate ut senator et iudex, non ut princeps, et causas pressius audit? quam celeriter ingratum et nova molientem oppressit? Nihil est presse causas audire, perversior etiam comparativus pressius; et audiendi forma laudatur verbis quanta gravitate, ut ridicule, quidquid est adverbii, superaddatur. Tum autem proxima (ingratum ... oppressit) apertissime ostendunt hic non universe gravitatem Tiberii in causis audiendis laudari, sed certam causam, idque eo certius est, quod ipse Velleius capitis initio se ad singula exempla transire dicit, quæ eadem deinceps forma ponit. (Qua prudentia Rhascupolim ... evocavit? et postea: Quibus præceptis instructum Germanicum suum...recepit? cet.). Ea causa quæ sit, indicabit nomen hominis ex litteris et pressius erutum: Cum quanta gravitate ... *causam Drusi Libonis audivit?* Neque enim (etsi id facilius ex pressius elicitur) tantum M. Drusi scriptum puto. M. Drusi Libonis accusationem et interitum Tacitus Ann. II, 27 sqq. narrat. Hoc quoque vol. I p. 145 ponere debui. Copias ipse meas ignoravi.

Valerii Maximi libros nuper Halmius diligentissime et prudentissime exegit ad codicem longe ceteris integriorem fidelioremque, Bernensem (B), comparata, quæ fere cum eo contra ceteros consentit, Iulii Paridis epitoma. Sed tamen cum hac ipsa Halmii opera et instrumenti

breviter et perspicue expositi facili usu allectus Valerium a. 1866 relegerem, non ita pauca occurrerunt, in quibus viderer paulo plus efficere et rectiora restituere posse, quorum nonnulla iam pro exemplis in priore volumine posui.

Lib. I, 1, 1 in codicis B scriptura bis non *s*, sed *m* in fine addendum est, ut generatim dicatur singulari numero: bene gerendarum rerum *auctoritatem* augurum observatione, Apollinis *prædictionem* vatum libris (B auctoritate ... prædicatione) ... explicari voluerunt.

Ibd. (I, 1) 8: Non mirum igitur, si pro eo imperio augendo custodiendoque pertinax eorum indulgentia deorum semper excubuit, quo (codd. quod) tam scrupulosa cura parvula quoque momenta religionis examinari videntur. Primum eorum non habet, quo referatur, neque omnino de certis quibusdam dis, sed universe de omnibus (qui quidem Romæ colebantur) dicitur. Scribendum igitur: pertinax *deorum* indulgentia semper excubuit. (Vid. infra ad VI, 2, 3.) Genetivo in eorum corrupto additum est deorum. [Sic Vorstius.] Tum vero ferri nequit nudus ablativus quo, coniectura Kempfii positus, in his: quo (imp.) t. scr. cet. Aut præpositio addenda est (in quo) aut cum Torrenio scribendum: quod ... examinare videtur.

Ibd. 11 (de Fabio Dorsuone): in Quirinalem collem pervenit; ubi omnibus sollemni more peractis, in Capitolium propter divinam venerationem victricium armorum perinde ac victor rediit. In codice non est ac. Prorsus prave veneratio victricium armorum de victoribus Fabium venerantibus ponitur, nec minus prave dicitur Fabius propter divinam venerationem redisse. Ac turbatur in propter (pop. deinde e correctione pp.). Valerius scripserat: in Capitolium *prope* divina veneratione (h. e. Gallis eum prope ut deum venerantibus), victricium armorum

perinde victor (id est, non minus ipse eorum victor, quam illa victricia erant) rediit.

(De I, 1 Ext. 2 dictum est vol. I p. 37.)

Ibd. 6, 10: (Octavius) præsumpsit animo ea re significari exitium suum, in quem metus augurium tristi fine vitæ incidit. Consentitur mendum esse in his in quem metus. Correctio facilis est et certa: *idque* metus augurium (hoc est: et hoc, quod metus augurabatur) tristi fine vitæ incidit.

Ibd. (I, 6) E. 1: ne, si ulterius Romana (ostenta) apprehendero, e cœlesti templo ad privatas domos non consentaneos usus transtulisse videar. Neque quid sit usus (plur. num.) transferre neque quid usus non consentaneos transferre, intelligo. In Lipsii coniectura et visus consentanei vehementer displicent et ipsum visus plurali numero in prosa oratione de oculis positum. Scribendum videtur: non *consentaneo usu* transtulisse videar (ostenta).

Ibd. E. 2: Nam Midas cunctorum pæne regum opes abundantia pecuniæ antecessit, infantiæque incunabula utili deorum munere donata onustis auro atque argento gazis pensavit. Grana tritici in os puero dormienti congesta mire utile munus appellantur (quoniam iis granis ne vesci quidem puer poterat); aliud latere ostendit etiam pensavit; scribendum enim: infantiæque incunabula *uili* deorum munere donata onustis auro a. a. gazis pensavit. (Vile illud munus large compensatum est.)

Ibd. 7, 2: Non est inter patrem et filium ullius rei comparationem fieri, præsertim divinitatis fastigio iunctos. Non disputo nunc, dixeritne Valerius cum poetis, ut semel Tacitus dixit, est facere; nam, quod hoc loco scribitur: est (non est), hoc fieri neque is neque alii dixerunt. Excidit aut *fas* aut *opus*.

Cfr. hoc cap. E. 1 (deflexis) et cap. 8 E. 5 (admirabilis fuit) al.

Ibd. (I, 7) 8: Propioribus tamen, ut ita dicam, lineis Haterii Rufi, equitis Romani, somnium certo eventu admonitum est. Quid sit somnium certo eventu admonitum et propioribus lineis admonitum, prorsus non intelligo scribendumque dico *eventui admotum* est, hoc est, celeriter eventum habuit. Etiam IV, 1 E. 8 in B prima manu admonuit pro admovit scriptum est. [Sic iam Lipsius.]

Ibd. E. 2: veneficii ... suspicionem animo retulit. Sic B; pauci deteriores repulit. Scribendum animo *pepulit*. (*Animo suspicionem retundere* de eo, qui deponit et expellit, nihil est.)

(De E. 4 dixi vol. I p. 58, ubi cum pertinaci casus violentia poteram comparare pertinacem necessitatem in c. 8 E. 10.)

Ibd. E. 8: (Hamilcar) ... perinde ac divinitus promissa victoria exercitum pugnæ comparabat: in quo inter Siculos et Pœnos orta dissensione, castris eius Syracusani subita irruptione oppressis ipsum intra mœnia sua vinctum pertraxerunt. Scribendum, ut opinor: ... comparabat, *quom* inter Sic. ... Syracusani ... pertraxerunt.

Ibd. 8, 4 restituenda codicum scriptura est, notata antiquissima lacuna (nam etiam in Iulii Paridis et fortasse Augustini codice fuit): Fortunæ etiam Muliebris simulacrum...non semel, sed bis locutum constitit, prius his verbis: rite me, matronæ, dedistis riteque dedicastis, [*deinde* * * *]. Nihil est in verbis prisci; (nam Halmius priscis his verbis scripsit).

Ibd. 7: ... fidem auctores vindicent; nostrum sit inclitis litterarum monumentis consecrata... non refugisse. Scrib. nostrumst. Auctoribus Vale-

rius rem permittit, quid sui sit officii, dicit. (Vol. I p. 67 ima.)

Ibd. E 18 excidit verbum aliquod, cum ad hanc formam scriptum esset: Quapropter hæc potissimum aut in liberis potentissimi regis ... aut in homine sortis ignotæ [*evenerint*], ne ipsa quidem ... rationem rerum natura reddiderit, non magis quam, quid ita (sic recte codd. deteriores pro qui ita) silvestres capreas ... tantopere dilexerit, cet.

Lib. II, 1, 7: quia inter ista tam sancta vincula non magis quam in aliquo sacrato loco nudare se nefas esse credebatur. Manifesto sententia postulat *fas* esse credebatur, nisi scribas non *minus*. Eritne, qui me doceat, non magis interdum sic poni, ut utrumque affirmetur? (Gr. L. 305 n. 2.) Scilicet scribi poterat: non in sacrato aliquo loco magis nefas esse credebatur quam inter ista tam sancta vincula. Quod nunc scribitur, ipsum contrarium est. [Sic iam ed. Ald. et Vorstius.]

Ibd. 2, 5 (ubi Valerius Tarentinam civitatem alloquitur): horridæ virtutis in se ipsum convexum stabilimentum nitore fortunæ præsentis inflata fastidiose æstimas. Neque convexum stabilimentum est appellaturve neque (quod alii ediderunt) in se connexum. Valerius scripserat in se *conixum*, *συννενευκὸς εἰς ἑαυτό*, quomodo Cicero n. deor. II, 115 omnes mundi partes dixit undique medium locum capessentes æqualiter niti. [Sic Guyetus.]

Ibd. 8, 3: triumphi honorem, decretum sibi a senatu ..., sprevit ac repudiavit, nimirum non plura præcerpens quam acciderunt. Multitudinis significatio et comparatio (non plura) omnino absurda est. Videtur fuisse non *peiora*, ut dignus eventus superioribus significetur.

Ibd. (II, 8) 7: Itaque et Nasica Ti. Gracchum et G. Metellus Opimii factiones mœsti trucidarunt. Sic codex optimus. In litteris G. M. inest Gaium. Scribendum est igitur sic: Itaque et Nasica Ti. Gracchum et *Gaium et illas Opimius* factiones mœsti trucidarunt. Velim et hic animadverti, quemadmodum Metellus ortum sit ex *m* et vocibus vulgatissimis.

Ibd. 9, 1 (in Camilli et Postumii censorum ad cœlibes, quos æra pœnæ nomine solvere iusserant, oratione): Ite igitur et nodosam exsolvite stipem, utilem posteritati numerosæ. Pro nodosam, quod absurdum absurde a Kempfio defenditur, scribendum est *non odiosam*. Non gravem aut invisam esse debere stipem censores docent, utilem posteritati. Odiosam Perizonius scribi volebat; negationem et litteræ ostendunt (nam ex nonodiosam ortum est nodosam, semel scripto no) et sententia.

Ibd. 10, 6: Minturnenses autem maiestate illius (C. Marii) capti compressum iam et constrictum dira fati necessitate incolumem præstiterunt. *Oppressus* fati necessitate Marius dici aliquo modo poterat, *compressus* ridicule dicitur. Fuit *comprensum* et constrictum. Idem error in B est III, 3 E. 7. Recte etiam Pighius V, 3, 2 Ti. Gracchi manu faucibus *apprensam* rempublicam scribi voluit pro oppressam.[1])

[1]) Ibd. 2 quod ante multos annos annotaveram: sed et rex lacessitus, a Perizonio occupatum video. Cfr. II, 9, 2 (et censor et Cato, ubi alterum et B omittit), III, 2, 7 (et Gallus et victores), III, 3 E 2 (et tyranno et Phalari). IV, 1 (et iuvenis et cœlebs et victor).

(Lib. III, 2 E. 5 emendavi vol. I p. 113.)[1]

Lib. III, 3 E. 4: Pæne tamen occidit gloriosius (lingua Anaxarchi) quam viguit, quia tam forti fine illustrem professionis actum comprobavit Anaxarchique non vitam modo deseruit, sed mortem reddidit clariorem. Falso vita Anaxarchi deserta dicitur. Itaque conantur scribere: vitam non modo non deseruit, duabus primis vocibus transpositis. Tollendum potius modo, ut fiat: vitam non deseruit, sed mortem reddidit clariorem. Vitam comprobavit, fecit tamen, ut mors vita illustrior esset.

(De 5, 4 et 7 E. 6 dictum est vol. I p. 21 et p. 20. Posteriorem emendationem præceptam fuisse nuper a Gelbokio Bavaro ab Halmio edoctus sum.)

Ibd. 7 E. 7: ne vicissitudine talis beneficii imparem iudicando humilius de origine sua sentire existimaretur. Sic codex. Halmius e Perizonii coniectura vicissitudini, in qua scriptura necessario addendum erat se, quod habent editiones vulgares; nam *imparem iudico* pro eo, quod est *imparem me iudico*, barbarum est. Hic quoque addendum *m*: *vicissitudinem* talis beneficii imparem iudicando.[2])

Ibd. 8, 6: Itaque te, Sempronia, ... non,

---

[1]) III, 2, 7 lacuna, quæ verbis sex e superiore loco repetitis orta est, sic explenda videtur: ut...et ornamenta præteritæ vitæ retinerent et plebi ad fortius sustinendos casus suo [*exemplo animos facerent*]. Venerabilis cet. E fortius sust. (ut iam Aldus scripsit) natum est fortiu, *s* semel scripto, tum fortium, ne quis in eo ludat.

[2]) III, 6, 1 miror revocatum esse: quo plus recessui sumunt, cum pridem recte scriptum esset plus recessus. Hic quoque *s* ante *s* extrito additum est *i*. Cap. 8, 1 sine ulla dubitatione retinendum erat exempla.

ut absurde gravissimis virorum operibus inserens, maligna relatione comprehendam, sed, quia ... producta ad populum ... nihil a tuorum amplitudine degenerasti, honorata memoria prosequar. Si se inserturum Semproniam Valerius negaret, absurde inserens, non ut abs. ins. scripsisset, nec tum maligna relatio esset, sed inepta et stulta. Ut Semproniam Valerius, quia producta ad populum non degeneravit a suis, honorata memoria prosequitur, sic maligna relatio futura erat, si secus de eius ad populum aditu indicaretur, idque iudicium illis verbis ut absurde gr. v. op. inserens contineri debet. Scripserat Valerius, quamvis audax videatur correctio: non ut absurde *te* gravissimis virorum operibus *inserentem* maligna relatione comprehendam, sed cet. Apparet tamen erroris origo ex te post de omisso et ex inserente ante *m* scripto, dein prave mutato. (Ibd. E. 5 iam alii recte quam metu pro quam in metu.)

Lib. IV, 1, 12: Acerrime cum Scipione Africano (Metellus) Macedonicus dissenserat eorumque ab æmulatione virtutis profecta concitatio ad graves testatasque inimicitias progressa fuerat. Sic B; codices deteriores contentio. In codicis B scriptura subesse videtur *concertatio.*

Ibd. E. 9 (nam de 1, 14 dictum est vol. I p. 91), ubi scribitur: gratias agere populo Ro. non dissimulanter tulit, vix fieri potest, ut non addendum sit *se* (gratias *se* agere).

Ibd. 3, 4: Deinceps et iis vacemus, quorum animus aliquo in momento ponendi pecuniam nunquam vacavit. Non solum per se improbabiliter ponendi h. l. in ponendo mutatur, cum præsertim efficiatur structura rarissimi usus, ut dativo gerundii accusativus subiungatur, sed ineptissimum est hoc totum *vacare pecuniæ in aliquo momento ponendæ*, quasi ad eam

[redacted]

rem et sententiam opera et tempore opus sit. Accedit vitiosissimus concursus *vacemus* ... *vacavit*. Valerius scripserat: *quorum animus aliquo in momento ponendis* (iis rebus, quæ in aliquo momento ponendæ essent) *pecuniam nunquam annumeravit*; nisi fuit *æquavit*. Sententia quidem dubia non est.[1])

Ibd. 3, 13: *totidemque suæ præcipuæ gloriæ triumphos*. Prorsus vitiose abundat pronomen; scribamus: *suæ et præcipuæ* (hoc est, singularis et pr.) *gloriæ*: non abundabit.

Ibd. 5, 3 sententiis recte divisis cetera facile emendabuntur et tuto: *suffragatorem agere cœpit. Ut scilicet præturam melius Africani memoriæ concederet quam sibi vindicaret nec maximum ésset* (esse B) *verecundiæ pretium, Scipio tunc honorem adeptus est, sed Cicereio* (cod. *sed si Cic.*, orta particula ex *Ci*) *magis gratulati sunt*. Non maximo carissimove pretio verecundia constitit, quoniam Cicereio homines magis gratulati sunt.

(De c. 4, 11 dixi vol. I p. 45, de 6, 1 p. 38, de 6, 3 p. 35 n.)

Ibd. 6 E. 1: *Sunt et alienigeni amores iusti obscuritate ignorantiæ non obruti*. Cur amores iusti appellentur, nescio, scribendumque puto *iuste*.[2])

(De c. 7, 2 dictum est vol. I p. 90. Prorsus simile additamentum Halmius recta suspicione attigit II, 7 E. 2,

---

[1]) Cap. 3 init. lacuna sic notanda et explenda est (præeunte A. Schotto) . . . *infamia flagrat.* [*Faventibus itaque*] *linguis contrarios his tam diris vitiis mores commemoremus.*

[2]) Cap. 7 procem. debebat Halmius Kempfium sequi (*altera diremptio non utique iniquitatis, altera utique levitatis crimini subiecta est*).

aliud notatum est VI, 1, 11, non receptum VII, 6, 1: impetum. Add. VIII, 7 E. 5.)

Ibd. 7, 7: vestros enim constantes animos, vestra strenua ministeria, vestram inexpugnabilem taciturnitatem proque dignitate et salute amicorum perpetuam excubationem, testationem benevolentiæ, ... posterior intuens ætas cet. Ignave et inepte extremo membro adiungitur appositione illa testatio benevolentiæ, quæ, si loquendi usum sequimur, nihil aliud est nisi oratio, qua quis se benevolum esse testatur. Scribendum est duabus litteris transpositis: perpetuam excubationem *et stationem* benevolentiæ. Benevolentia excubabat et stationem agebat pro dignitate et salute amicorum.

Ibd. 7 E. 1: Eodem autem momento et hora a Dionysio constituta * eam qui acceperat supervenit. Ubi notam posui, duæ litteræ in B evanuerunt. Scribendum est: Eodem autem momento et hora a Dionysio constituta *et*, eam qui acceperat, supervenit (id est, qui horam acceperat, cui constituta erat). Pro ablativo acceptum hora fœdam facit tautologiam.

Ibd. 8, 1: pretium Hannibali protinus numeravit, si ad calculos revocetur, parvum, utpote septem iugeribus, et hoc in Pupinia, addictis redactum, si animo erogantis, omni pecunia maius. Ad ablativum animo erogantis nullo pacto audiri potest revocetur, neque in hac diligenti membrorum comparatione (si ... revocetur, si ...) nescio quod artificium adhiberi. B habet: si animo prærogantis. Latet, opinor: si animo *penses* erogantis.

Lib. V, 1 init.: Liberalitati quas aptiores comites quam humanitatem et clementiam dederim, quoniam idem genus laudis expetunt? Quarum prima inopia, proxima occupatione,

rtia ancipiti fortuna præstatur. Vitia iam alii aserunt. Primum enim ablativi prorsus perversi sunt, oniam liberalitas non inopia præstatur, sed inopi vel opiæ, similiterque duæ reliquæ virtutes; debebat igitur ltem in addi. Deinde supra modum ridicula est occuationis in hac re inter inopiam et ancipitem fortunam entio, sive ei humanitatem sive clementiam respondere ites; quis est enim is fortunæ status, et quid ei præcipue ebetur præstaturve? Scribendum primum: Quarum rima *inopi* ... tertia ancipiti præstatur *forunæ*; tum intelligendum proximam esse, quæ proxima postrema nominata sit, clementiam, tertiam humaniitem, quæ ancipiti nec tamen lapsæ et occidenti fortunæ ebetur, ad quam spectat clementia. Itaque huius formæ generis significatio latet nec tamen valde involuta in lo occupatione. Scripserat enim Valerius: quarum rima inopi, proxima *occubanti*, tertia ancipiti ortunæ præstatur.[1])

Ibd. (V, 1) E. 1: Quis autem illam (manum lexandri) osculari non cuperet (sic Perizonius pro arreret), quæ iam fato oppressa maximi exertus complexui humanitate quam spiritu viviiore suffecit. Non agitur de humanitate spirituve vido, sed de manu morientis vivida, non tam spiritu, qui ene defecerat, quam humanitate. Scrib.: humanitate uam spiritu *vividior* suffecit.

Ibd. E. 4: Nam cum ... abscisum eius (Pyrrhi) aput Alcyoneus, Antigoni regis filius, ad pa-

---

[1]) V, 1, 1 verum esse nequit si modo verum (est). Nunquam enim sic Valerius critici personam sumit, omnium minime dubitaturus de splendido senatus Romani facto. Sed quoniam deleta sunt veteris scripturæ in B vestigia, mendum relinquendum est.

trem propugnatorem laborans læterat lætus velut aliquod felicissimum victoriæ opus attulisset, Antigonus ... caput sublatum causea ... texit, cet. In iis, quæ post verba ad patrem ante lætus ... attulisset corrupta leguntur, nihil inesse et per parenthésin interponi potest, nisi quod ad Antigonum et eius præsentiam pertineat. (Quæ Fœrtschius excogitavit, præterquam quod tæter labor prave dicitur de difficili pugna, nullo modo hoc loco interponi poterant nec milites propugnatores appellari.) Scribendum videtur: ad patrem (*propugnator enim laborantibus aderat*) lætus cet. Antigonus Argivis auxilium ferebat.

Ibd. 2, 10 (de libitinariis): Quorum laudem adiecta lege condicio auget magis quam extenuat, quoniam quidem quæstum contempserunt nulli alii rei quam quæstui viventes. Frustra Halmius (Emendatt. Val. p. 9) hæc defendit; nam neque pretium dicis causa, ut addici res posset, indicatum condicio erat neque lege addebatur, neque condicionis lege adiectio quicquam coniuncti habet cum iis, quæ adduntur: quoniam quidem cet. Scribendum, omisso pravo interpretamento: Quorum laudem *abiecta* condicio auget magis quam extenuat. Vilis erat condicio hominum uni quæstui viventium. Supra, sordium gratarum hoc se exemplum ponere, Valerius dixit. [Fere Lips. et Kempf.]

Ibd. E. 4: Ille (Masinissa), cum iam ætate deficiente ... in lectulo laberetur. Nihil est, quod Perizonius, egregie alioquin de Valerio meritus, effecit, in lectulo dilaberetur. Nam aliter supra c. 1 E. 1 Alexander violentia morbi dilabi sic dicitur, ut de vi veneni corpus solvente cogitetur, neque cetera verba (in lectulo et opes relinquens) ad illud dilaberetur

[redacted]

commodari possunt. Nihil subest nisi *iaceret.* quod ceret errore scriptum sensim in laberetur transiit.

Ibd. 3, 4: et virum, mitto quod amplissimæ ignitatis, certe salubritatis studio præstantis fficii privatim sibi venerandum, iugulum præere iussit. Ridiculum in Cicerone laudando studium alubritatis, neque ulla verborum probabilis iunctura xpediri potest. Codex B salubritati. Scribendum: erte *salutaris studi,* præstantis offici, privatim ibi venerandum (quod Cicero eum in iudicio defenerat). Kempfius salutari studio, ablativo non recto.

Ibd. E. 3 extr. (in accusatione Atheniensis populi): um interim, cineribus nostris fœde . . . disperis, Œdipodis ossa . . . inter ipsum Arium paum . . . et excelsam præsidis Minervæ arcem onore aræ decoratos sacrosanctiores colis. Sic . Mirifica sunt, quæ nuper excogitarunt. Proxime vestiia premendo ad verum pervenitur: honore aræ *decoata sacro sanctiore* colis. (Sacrum singulari umero si quem offenderit, Freundii lexicon adeat, quoniam chelleri tenues in hoc vocabulo copiæ sunt.)

Ibd. 5, 2: M. vero Fabius consul inclita agna et amicis et Veientibus superatis. Sic B, uus vestigiis proximum est et *Faliscis.* Et facile pro truscis, quos Livius et Dionysius cum Veientibus conngunt, in aliis annalibus proximus Etruriæ populus nomiari potuit.[1])

---

[1]) Cap. 9, 4 recte Lipsius vidit nihil addendum esse, sed se sublato scribendum: asseveratione deinde eius (uxoris) et iureiurando nil (codd. se nil) tale suspicari persuasus, hoc est, ad nil tale suspicandum (sed suspicionem abiiciendam) adductus, quemadmodum III, 8, 1 Capua pacisci persuasa dicitur.

Ibd. 10 E. 2: Xenophontis corpus religioni immobile stetit et animus in consilio prudentiæ stabilis mansit. Religio (in tali corporis et animi divisione) ad animum pertinet, non ad corpus. Itaque retinendum, quod primum in B scriptum fuerat, regioni, correcta extrema vocali, ut sit *regione*, de loco et statu.

Lib. VI, 2, 3: Nec timori datum est silentium (plebis ad duram Scipionis orationem), sed, quia beneficio Æmiliæ Corneliæque gentis multi metus urbis atque Italiæ finiti erant, plebs Romana libertati Scipionis libera non fuit. Perversum prorsus *liberum esse alicui* aut *libertati alicuius*, et, si libera plebs non fuit, timuit, quod ipsum negatur. Scripserat Valerius: libertati Scipionis libera *favit*. Corrupto favit in fuit (cfr. vol. I p. 21), additum est non. (Occultatos iam in B antiqua interpolatione errores notavi I, 1, 8, III, 8, 6, IV, 6, 1, V, 1 init., V, 2, 10, V, 2 E. 4, IX, 12 E. 8; alios notabo, ut VI, 9 E. 7.)

Ibd. E. 1: Provocarem ad Philippum, sed sobrium. Pervertit sententiam condicionalis oratio. Alii in hac narratione provoco ponunt; hic *provocaram* scribendum opinor. Mulier significat se ab alio iudice ad regem provocasse, sed non ad ebrium, in quem videt se incidisse.

Ibd. 5 E. 2: Is postquam recognovit classem illum Lacedæmoniorum...velle incendere. Nulla hæc recognitio est, sed ignotæ ante rei cognitio. Scribendum: postquam *rem cognovit*, classem illum L. velle incendere.

Ibd. 8, 1: Erat is (servus Antonii) etiamtum imberbis et stabat coram videbatque rem ad suos cruciatus pertinere. Ineptum coram, quod ad certas personas, ante quarum os statur, pertinet. Cod. B: stabant coronam videbantque. Significatur:

[redacted]

;abat *in corona* (auditorum circa iudicium) videbatue. (Cfr. VIII, 10, 2.)

Ibd. 7: quo evenit, ut Antius statim quæendæ incolumitatis occasionem adsequeretur. ïihil ad rem statim. B habet statum (post *s*). Effiitur, vocalibus transpositis: *tutam* ... occasionem.

Ibd. 9 E. 3: Cimonis vero incunabula opinine stultitiæ fuerunt referta; eiusdem stultitiæ mperia salutaria Athenienses senserunt. In ltero stultitiæ latere aliquid incunabulis contrarium ecte sensit Halmius; latet autem non adulescentiæ, ed (eiusdem) *adulti*, quod et ad litteras (ulti) propius st et rei aptius; neque enim adolescentis, sed viri Cimoiis imperia significantur. (Itaque ex III, 4, 1 validior etas hic comparanda fuit.)

Ibd. E. 7: Itaque neque existimari neque lici debent bona, quæ ut inflictorum malorum ımaritudine desiderium sui duplicent. Non agiır de duplicando desiderio, sed de sensu malorum memoia et desiderio bonorum (quæ putantur) duplicando. Scribendum: quæ *uim* inflictorum malorum amaitudine *desiderii* sui *duplicant*. Nihil igitur prorıus deest. Propter ut (natum ex ui ante in) ortum est luplicent et desiderium.

Lib. VII, 2 E. 10 positis Valerius Philippi Macedonis x epistola ad Alexandrum verbis, quibus non fideles esse ımicitias pecunia emptas declarat, subiicit epiphonema: A aritate istud pater, avus o Philippus, maiore x parte mercator Græciæ quam victor. Frustra 'erizonius et Fœrtschius laborant, aliis desperantibus. In roximo verum; huiusmodi enim est: A caritate istud ater, *ab usu* Philippus, maiore ex parte merator Gr. q. v. Quatenus pater hoc scripsit ad filium, a aritate sumpsit, quatenus Philippus, ab usu et experientia, uam magnam huius rei habuit.

Ibd. 3, 4: monuit, ut, omissa cupiditate, gredi modo controversia quam progredi mall Quoniam controversia in B iis punctis notatur, qu librarius voces errore e margine receptas notare solet, sublato ipsum modo de agri modo et mensura int debere, ut in iis locis, quos Halmius ad rhetor. La 379, 13 indicavit, Geertzius recte statuit.

Ibd. 7: Fabius autem Maximus, cuius dimicare vincere fuit. Latine non dicitur Fabii dimicare, ut sit „Fabii dimicandi vitatio"; rectissi et usitatissimum est: *cui* non dimicare vincere (cui dimicandi vitatio victoriæ loco fuit). Scio eodem modo nunc (apud Haasium) legi scriptum e codicibus optimus deest) in Senecæ lib. ad Polyb. 16, 2: hoc eius lugere viginti legionum sanguine fr parentare. Sed ibi quoque recte superiores: hoc ei lugere.

Ibd. 4, 1: Omnibus militaribus co Tullus Hostilius Fidenas adgressus, quæ s gentis imperii nostri incunabula . . . tor passæ non sunt finitimisque tropæis ... ali virtutem eius spes suas ulterius promovere cuerunt, Mettius Fufetius, dux Albanorum, dub ... fidem repente in ipsa acie detexit. Iure mius dubitat, tantamne negligentiam Valerius admi Facilis est correctio et lenis nec dubia: Omn. c. Tul Hostilius Fidenas adgressus *est*, quæ ... do runt; *tum* Mettius Fufetius cet. Facillime tum *t* et *m* extritum est; de est addito vid. ad Cæs. I III, 71. (Ibd. 3 cum *in* summa alimentorum in iam alii scripserunt.)[1]

---

[1]) Cap. 6, 1 Latinum non est, quod e Vahlenii coniectura mius edidit data armatura; nam armatura tantum de

Ibd. 6, 2: Itaque Campanæ urbis ... Casilinum, moderarum virtute clarum, perseverantis amicitiæ pignore impios oculos verberavit. Sic B. Ex secunda manus correctione in deteriores transiit modo rara virtute, ubi rara abundat, modo prorsus perversum est; Halmius e Fœrtschii coniectura incolarum virtute scripsit, genetivo satis otioso; nec omnino virtutem Valerius, quæ satis perseverantis amicitiæ nomine significatur, separatim nominasset, nisi aliquid ex contrario acuminis quæsisset. Id huiusmodi est: Casilinum, *mole parvum*, virtute clarum.

Ibd. 7, 3: quoniam Tettius in proprio iure procreato filio summa cum iniquitate paternum nomen abrogaverat. Quid sit filius in proprio iure procreatus, prorsus non intelligo. Valerius scripserat: in proprio *lare.*

Ibd. 8, 7: Nimirum consternatio, quæ animum eius transversum egit * * amavit enim sordes suas et dilexit pericula, cet. Lacunæ notas Halmius posuit, in codice nullum eius est indicium; nec quicquam subest gravioris mendi; scribendum enim est: Nimirum consternatio *quædam* animum eius transversum egit; amavit enim cet. Confusio orta ex (quæd) amanim. Cfr. IX, 12, 8.

Lib. VIII, 1 Absol. 6, tollendum est aut ante attollere, ut sic scribatur: huc deductum necessitatis, ut abiicere se tam suppliciter, attollere tam

---

armorum genere militibusque ea habentibus dicitur; armaturam dare pro e. q. e. arma dare (armare) nemo dixit. Vera videtur esse secundæ manus cod. B scriptura: laturos arma, genusque casu ad arma accommodatum.

deformiter cogeretur. Non alterumutrum, sed utrumque facere coactus est.

Ibd. Damn. 1 scrib. sed *et* alioqui vir sincerissimæ vitæ et ab hac suspicione procul remotus Vulgo abest et priore loco.

Ibd. Amb. 2 scrib.: quia ipse neque liberar duabus cædibus contaminatam neque punire *tan* (vulgo eam) iusto dolore impulsam sustinebat [Torren.]

Ibd. 2, 2: Quod si eadem formula Varro e damnari et adversaria absolvi potuisset, eiu quoque non dubito quin turpem et inconcessui errorem libenter castigaturus fuerit. Tollur adversaria, quod nemo addere potuit. Scribendum: e damnari et *ab* adversaria absolvi, hoc est, a eius petitione, ut apud Ciceronem pro Rosc. Com. 3 Senec. ep. 81, 4. Pro errorem restituendum *fervorem* (Halmius amorem.)

Ibd. 7 procem.: quæ (industria) cum sit perfecti sima virtus, duramento sui confirmat. Corrigu confirmatur. Sed neque industria perfectissima virt appellari a Valerio potuit, neque causalis significatio a est. Scribendum puto: quæ, *quo* sit perfectissin virtus, duramento sui confirmat. Industria v tutem durat et confirmat, quo perfectissima sit.

Ibd. 3: Terentius autem Varro, humanæ vi exemplo et spatio nominandus, non annis, qu bus sæculi tempus æquavit, quam stilo vivaci fuit. Gerundivum (nominandus) nullam omnino hal auctoritatem, in B in margine secunda manu additu nec exemplo vitæ nominandus quid sit, facile qu quam dixerit. Videtur fuisse: Terentius aut Varro, humanæ vitæ *exemplum* et (etiam?) sp tio, non annis ... vivacior fuit. Varro ob mul

plicem et scientiam et operam humanæ vitæ exemplum dicitur idque etiam spatio, hoc est, diuturnitate.

Ibd. 5: Namque alii commodo perculsi secessum petunt, duplicant tenebras. Nimia addunt et prava (alii); facillime verum efficitur: Nam *qui tali* incommodo perc. cet.

(De VIII, 7 E. 3 dixi vol. I p. 146.)

Ibd. E. 5 (de Carneade): ita ... ut ... cogitationibus inhærens manum ad mensam porrigere oblivisceretur; sed ei (cod. eum) Melissa, quam uxoris loco habebat, temperato inter studia non interpellandi et inediæ succurrendi officio, dexteram suam necessariis usibus aptabat. Prave de cura non interpellandi plurali numero studia dicuntur, pravissime divellitur (non) interpellare studia, cui contrarium est inediæ succurrere. Necessario igitur sublato, quod non intellecta sententia et verborum iunctura additum est, inter, scribi debet: temperato studia non interpellandi et inediæ succurrendi officio. Officium utrumque studiis parcendi et inediæ succurrendi apte miscuit. De additamento cfr., quæ ad IV, 7, 2 posui. Sed simul, ne vitiose aptabat duplicem dativum habeat, codice viam monstrante [cum Torrenio] scribendum videtur: sed *eum* (vel potius *eam*, manum eius) Melissa ... *dextera sua* necessariis usibus aptabat.[1])

---

[1]) Ibd. E. 8 incaute Halmius deseruit optimum codicem ceterosque, quos superiores editores secuti erant. Valerio Socratis industriæ laus augeri visa est, si vilissimum musicæ rationis elementum tantis doctrinæ copiis tamen senex adiungere voluisset. (Itaque præcedit: et quantula accessio illa futura scientia erat?) Vilissimam hanc accessionem homo et Romanus et sine acuto iudicio rhetorice ludens facil-

Ibd. 8 procem.: Alterum enim (otium) etiam inertibus vitandum, alterum strenuis quoque interdum adpetendum est, illis, ne propriae vitam inermem exigant, his, ut tempestiva laboris intermissione ad laborandum fiant vegetiores. Sic B, e quo fit apte: ne *propriam* vitam inermem exigant cet. Vel inertes, qui nihil publicæ alienæve rei ad se pertinere putant, segne otium vitare debent, ne propriam quoque vitam, quam tutam agere cupiunt, inermem et iniuriis obnoxiam exigant. (Halmius aberravit; illi homines pro patria nihil agere volunt, nec inermis vita pro patria exigi potest.)

Ibd. 9, 2: Is enim (P. Annius) solus in ambitu expers Antonianæ steterat. Certatim addunt substantivum, vocis (manus sec. supra lin. in B), orationis (ibd. in margine), eloquentiæ (e Iulio Paride), alia, non attendunt, vitiose superesse in ambitu, quod nullo pacto ad sententiam accommodari ita potest, ut ulla ambitus significatio usitata retineatur. In eo inest, quod quæritur, valde obscuratum; sed nihil puto latere nisi: *suauitatis* expers Antonianæ. Extrito *s* (post s) sensim reliqua mutata sunt. Si quis tamen propius ad litteras accesserit, accipiam.

Ibd. E. 2 e cod. B scribendum est: Pericles autem *felicissimis* naturæ incrementis, sub Anaxagora præceptore summo studio perpolitis, instructus liberis Athenarum cervicibus iugum servitutis imposuit.

Ibd. 15 procem.: Candidis autem animis voluptatem præbuerint in conspectu posita, quæ cuique magnifica merito contigerint, quia æque

---

lime appellare poterat, qui VIII, 14, 6 pingendi artem inter humillimas res positam etiam sordidi studii nomine dignatus est.

præmiorum virtutes atque honerum contemplatio iudicanda est, ipsa natura nobis alacritatem sumministrante, cum honorem industrie appeti et exsolvi grate videmus. Sic B, e quo facile et sine ulla dubitatione efficitur: quia æque præmiorum *virtutis* atque *operum* contemplatio *iucunda* est. Virtutis præmia atque opera componuntur. Iucunda iam Ascensius, qui præmiorum virtutis atque honorum scripsit, in hoc uno aberrans.

Ibd. (15) 2: tam hercule quam curia superioris Catonis effigies illius ad cuius generis officia expromitur. Videtur fuisse: tam hercule, quam *e* curia superioris Catonis effigies *unius* ad *huius* (sic multi) generis officia expromitur.

Ibd. 8: Iam quæ in Cn. Pompeium et ampla et nova congesta sunt, hinc adsensione favoris, illinc fremitu invidiæ, litterarum monumentis obstrepuntur. Longe aliter locus obstrepi dicitur, addito ablativo (aquis), hoc est *strepitu* (aquarum) *oppleri*. *Honores obstrepi litteris*, meræ nugæ sunt, eo magis, quod monumentis necessario dativus est, ablativis (adsensione et fremitu) iam positis. Scribendum simpliciter *obstrepunt*. Honores Pompeii tanto partim favoris, partim invidiæ fremitu (uterque enim eos comitatur) litteris obstrepunt, ut hæ vix eos accipere et tradere possint.

(De VIII, 15 E. 1 dixi vol. I p. 146, de IX, 1, 4 p. 90.)

Lib. IX, 1, 6: forum nostrum ... (Curionis) filii sescenties sestertium æris alieni aspexit, contractum famosa iniuria nobilium iuvenum. Quæ ea iniuria iuvenum? et qui iniuria alicuius æs alienum contrahitur? Sine dubio Valerius scripsit *luxuria*.

Ibd. 2, 1: (Sulla) dum quærit victorias, Scipionem se populo Romano, dum exercet, Hannibalem repræsentavit. Opinor se subditicium esse.

Aliud est *se repræsentare* (apud Columellam et iurisconsultos), hoc est, præsentem adesse, aliud *repræsentare aliquid* aut *aliquem*, hoc est, facere, ut adsit aut videatur adesse, quasi in vitam revocare et ob oculos ponere; vid. huius libri c. 11 E. 4.

Ibd. E. 2: ut æque terrestrium scelestum Karthaginiensium copiarum egressum terra quam maritimarum Neptunus experiretur. Necessario, quod et librarii quidam et editores fecerunt, tenenda transpositio in B significata: ut æque scelestum terrestrium K. copiarum; sed simul, ni fallor, aut *gressum* aut *ingressum* scribendum est. (In E. 3 Halmium, ne errori codicis B (amico suo) obsequeretur, et ordo verborum et sententia retinere debebat; præter cives Romanos Mithridates simul amicis interfectis piacula solvit; sed e codicis vestigiis (illos) fieri videtur aut *alios* amicos suos aut *multos* am. suos.)

(De IX, 2 E. 4 dictum est vol. I p. 41.)

Ibd. E. 5: adeo cæco furore summa quæque effervescit crudelitas, cum munimentum ex se ipsa repperit. Intelligerem, si scriberetur munimentum quærit (quæsivit); nunc scribendum prorsus puto: cum *nutrimentum* ex se ipsa repperit. Eo enim proxima pertinent.

Ibd. 3, 5: quotiens victoriæ victrix (ira fuit)! Congratulationem eius in Torquato spernendam, in Fabio pulcherrimam partem omittendam, in Appio totam fugæ postponendam reddidit. Scrib. *credidit*. Nam *victoriam reddere postponendam* pro eo, quod est *facere, ut postponatur*, mera et certa barbaries est. [Sic edd. aliquot veteres.]

Ibd. Ext. procem.: Voluntas operi cedat (ut maximorum virorum vitia ne sileantur), dum præclara libenter probanda necessaria narrandi conscientia non desit. Sic B a prima manu; in margine

[redacted]

›robando, quod Halmius posuit, nulla sententia, quæ ıuiusmodi esse debet, scriptorem, quod omittere non possit, scientem eo sustentari debere, quod sciat se libenter lterum, ut egregia facta laudet, facere. Recte igitur in B ltera manu probandi scribitur; sed una præterea littera ıutanda est: dum præclara libenter probandi neıssaria *narranti* conscientia non desit.

Ibd. 11 E. 4. Certum est, Valerium Fabiorum ad remeram cladem et diem Alliensem non confudisse, præırtim in diligenti enumeratione cladium memorabilium; ripserat autem: et trecentorum inclitæ gentis irorum strage foedatum [*amnem et*] Alliensem iem et oppressos in Hispania Scipiones cet. b AM ad ALL aberravit librarii oculus.

Ibd. 12, 8: Fine namque vitæ nostræ variis t occultis causis exposito, interdum quæ imıerentia supremi fati titulum occupant. Idem ror est, quem VII, 8, 7 sustuli, scribendumque: interum *quædam* immerentia cet. [Edd. aliquot veteres.]

(IX, 12 E. 8 emendavi vol. I p. 73.)

Ibd. 13, E. 4: cum forem cubiculi, extrinecus a custodibus opertam, interiorem claustro ›se obserasset. Scr. *interiore* claustro. [Sic Gyet.]

Cap. II.

L. Annæi Senecæ Scripta Minora (Dialogi).

Ad nullius scriptoris Latini libros aut plures mihi c proferendæ sunt emendationes coniectura repertæ quam l L. **Annæi Senecæ**, aut, quibus plus inesse putem, in iqua saltem librorum parte, ad orationis integritatem reituendam auxilii. Id accidit materiæ ipsius ubertate. lam neque cuiusquam, si Cicero et Livius excluduntur,

tot volumina supersunt, et ea horum voluminum fortuna fuit, ut multum huius generis ope egerent, nec eiusmodi superiorum philologorum sive opera sive operæ subsidia fuerunt, ut non multum necessario relinqueretur. Itaque cum Senecam adolescens et iuvenis non indiligenter legere cœpissem, partim ob veteris philosophiæ memoriam (quamquam ea campo non ita amplo continetur et declamatoriis ambagibus artificiisque mire extenuatur, et interdum corrumpitur; ipse autem subinde resumptus acumine et gravitate sententiarum animum incitare et oblectare potest, inter philosophos, qui ipsi per se vera quæsiverint, numerari nequit), partim rerum et ingenii condicionisque illorum temporum cognoscendæ causa, partim ut Latini sermonis formam sensim mutatam copiasque ipsas amplificatas et novatas persequerer, iam tum ipsa crebra insistendi et dubitandi de verbis et sententiis necessitas et, ubi in certa codicum vestigia, in ceteris libris apud prioris temporis editores, in epistolis autem apud Schweighæuserum, incideram, nonnulla saltem corrigendi facilitas tenebat me et nescio quomodo alliciebat; idemque mihi accidit, cum, paratis a Fickerto in omnibus libris certioribus subsidiis, eos relegerem. Sed tamen inæqualis hæc fuit opera; nam nonnullos libellos (tres maxime, ad Marciam, de vita beata, de tranquillitate animi) sæpius cum philologiæ studiosis exercitationis causa ita pertractavi, ut ipse prope ad summam recensionis diligentiam omnia perscrutarer et temptarem, in aliis, quos rarius legi, ea attigi, quæ non nimis lente progrediens expedire poteram. Senecæ autem librorum, qui proximis post eius mortem seculis scholarum et grammaticorum cura caruerunt, ab ecclesiæ autem Christianæ patribus commendati media ætate, cum multa iam et gravia menda accepissent, in honore habebantur, pauci supersunt codices antiqui et ab interpolatione novitia liberi, quæ tamen, si quidem Bambergensis quæstionum naturalium codex undecimi seculi est, non extremis demum ante renatas

ras temporibus cœpit. Atque illis antiquis codicibus, a us aut ipsis aut gemellis ceteri orti certisque propa- notis impressi tantum modestia aliqua interpolationis summa licentia ac temeritate inter se differunt, cum i editores usi non essent, ne postea quidem superio- temporis philologi, qui alioqui scientia et iudicio in- cti in Seneca elaborarunt, Erasmus, Pincianus, Mure- Lipsius, Gronovius, ad eorum fidem orationem exigere evocare potuerunt, quod ceteros omnino non norant, n Nazarianum Gronovius in libris de clementia et de ficiis e Gruteri notis parum plene norat. Qui autem eritæ et indoctæ Ruhkopfii negligentiæ in Seneca edendo ra ætate successit, Fickertus, collecto (in epistolis post veighæuserum) longe maiore et præstantiore instru- to, ipse ei bene et prudenter utendo nimis fuit impar, que ex iis, quæ in bonis codicibus reperta vel ima ex parte ingenio adiuvanda erant, perexiguum isset, infinita, quæ recte a prioribus edita erant, dete- fecit, oratione et sententia mire sæpe perversa Longe ræstitit Fridericus Haasius plurimaque melius admini- vit. Sed tamen ne is quidem de toto negotio satis per libere constanterque et prudenter iudicavit; itaque reti- permulta prorsus sensu cassa et oratione vitiosa [1]), quæ a ratione emendata erant, ipse autem, cum non

---

Huius rei triste et memorabile exemplum habet prima primi voluminis sententia (de provid. 1, 1), apud eum post Ficker- tum e codicibus ad horribilem hanc formam scripta: Quæ- sisti a me, Lucili, quid ita, si providentia mundus ageretur, multa bonis viris mala accidere, cum recte pridem ederetur acciderent, correcta illa extremarum litterarum detruncatione, quam in huius partis codice archetypo non raro accidisse paulo post ostendam. (Cfr. consol. ad Marc. 23, 1 obducere in A pro obducerentur (edd. obducerent).

pauca scite et ingeniose corrigeret, in multis aberravit audacter et temere mutando; nam quod multa non succedente correctione, quædam vitio non animadverso reliquit intacta, ea non reprehensio est, sed communis edendi, præsertim plura celeriter, fortuna. Idemque video fere iudicium esse viri præstantissimi, M. Hauptii, qui Senecæ multos locos tractavit et plerosque ingenii vi doctrinæque copiis usus vere emendavit duobus libellis academicis Berolinensibus (a. 1864 et 1866), quos mihi, cum prius horum adversariorum volumen ederem, ignotos fuisse doleo.[1]) Non pauca, de quibus dicturus eram, occupavit Hauptius eodemque modo correxit; ea subinde in transcursu annotabo et consensu ipso lætus et, si opus est, confirmationis causa. (Haasii annotationes criticas in libr. ad Marciam 1853 editas habui; quas ante de sex libellis edidit, non vidi.)

Minorum Senecæ librorum XII, quos nunc codicum auctoritati contra rationem parentes dialogos inscribunt,[2]) codex longe omnium princeps Ambrosianus est Mediolanensis (apud Fickertum A, qua nota ipse utar), seculi, ut putant, IX exeuntis aut X ineuntis, a quo quemadmodum ceteri pendeant sensimque deflectant, etsi in quavis pagina perspici potest, tamen paucis quibusdam exemplis e duobus libellis monstrabo, eo luculentioribus et manifestioribus,

---

[1]) Statim hic ponam, quæ p. 36 in ep. 21, 9, p. 33 in ep. 91, 11, p. 39 in quæst. natur. VII, 30, 5 emendavi, eas emendationes ante ab Hauptio editas fuisse.

[2]) Quod post Fickertum Haasius (præf. vol. I p. VI) Senecam scribit ipsum de benef. V, 19, 8 libros de beneficiis (qui in codicibus dialogorum nomen non habent) dialogos appellasse, mire falluntur. Dialogorum altercationem, quam Seneca se iam seponere ait, perspicue eam dicit, quæ proxime (inde a cap. 18) præcedit inter ipsum et interlocutorem ficta, nihil ad librorum appellationem pertinens.

quo e minoribus initio mendis sumuntur.[1]) Nam de vita beata c. 25, 4 (utor numeris capitum et sectionum Haasianis), ubi est: cum deus undique consalutabor, cum librarius (sive ipsius codicis A sive antiquioris exemplaris) obiecta in verbo extremo specie eius, quod est consul, scripsisset consu (cfr. in cod. Livii Veronensi III, 35, 9 consulibus tantissimo pro constant.), deinde se ita revocasset, ut, relicta vocali *u*, ceteras litteras perscriberet: consualutabor, hinc in codice B (Berolinensi sec. XIV), illi proximo et secundum locum obtinente, factum est, addita rursus, quod verbum iam non intelligebatur, una littera, consualuctabor; deinde ex hoc germine hæc pullularunt: cum deus undique conscientia luctabor (in Guelf. et „exemplaribus quibusdam" Pinciani, consua illo a luctabor separato et ad Latini vocabuli formam expleto, relicto cum deus), cum deo utique et scientia luctabor (cod. Mediol. 4, ablativo ad cum tanquam præpositionem accommodato), cum deo utique conscientia luctabor (Pal. 4), cum deo utique et consciam luctabor (Med. 5), cum deo ubique conscia luctabor (codd. Lipsii). Atque hæc ex illo, quod in B est,

[1]) Non prorsus novum hoc de ceterorum codicum origine dico. quoniam ipse Fickertus ad cons. ad Marc. c. 26 codicem A „vetustissimum et ceterorum quasi parentem" appellat; sed ne tum quidem, cum hæc scriberet, eum rem vere intellexisse, ostendit fortasse additum quasi; certe nusquam hoc tenuit secutusve ita est, ut interpolationis sordes segregaret et contemneret. Si interpolationis propagationem et historiam ulla ex parte intellexisset, iis, quos hic pono, locis et infinitis aliis sic scripturæ varietatem ordinasset, ut primum codicis A scripturam poneret, deinde cognata coniungeret. Haasius quoque præf. vol. I p. VI universe recte scripsit, sed tamen in annotatt. critt. (1853) p. 8 scripturam, quæ in A est, e codicis Col. et Bongarsiani scriptura ortam esse putat et non paucis locis aliis codicibus aliquid tribuit auctoritatis.

c (luctabor) orta sunt; sed ex eo, quod in ipso A erat, consualutabor, alia propagatione natum est: cum hiis undique consultabor (Pal. 2 et Col.), quod in primas editiones sic transiit, ut sensim nasceretur: cum diis undique consultabo. Illud tamen robustioris audaciæ, quod, nullo minimo vestigio primi mendi relicto, in Pal. 3 et Vratisl. scribitur: cum deus undique, quæ sua sunt, requirat. His gemina acciderunt in eiusdem libri c. 13, 3, ubi, cum pro eo, quod vol. I p. 32 restitui: inscriptio ipsa, excitans animum; quæ stat, invenerunt vitia, in A, litteris male divisis, scriptum esset: quæ statim venerunt vitia, id in B G et præterea in Pal. 2 et 4 servatum est, sed in ceteris ex altera parte natum est primum: quæ statim enervant cum venerunt vitia (Pal. 3), dein quem, cetera eadem (Vratisl), brevius autem in Col.: quem enervant vitia, ex altera (addendo ante pronomen quæ): excitans animum ad ea depellenda, quæ statim venerunt vitia (Mediol. 4, 5), alia. In editionibus, etiam Fickerti, uterque fœtus sic conflatur: excitans animum ad ea depellenda, quæ statim enervant, cum venerunt, vitia. Atque hæc quidem Haasius abiecit, sed ipse, retentis codicis A et proximorum litteris, mirabile interposuit supplementum (quo corrigendi genere sæpe abutitur): excitans animum, quæ statim [paratos ostendat ad abiicienda cum quibus] venerunt vitia. (Inscriptio et excitat et ostendit nescio quos iam paratos!) Ut hic præter B tres alii codices mendum codicis A integrum servarunt, sic alibi in ceteris quoque minimum ab eo disceditur, sed tamen tantum, ut res intelligatur, ex eius erroribus ceteros pendere et inde deflectere. Nam in eodem libro c. 14 init. quod editur: Prima virtus sit; hæc ferat signa, in nullo sic scribitur codice, sed in A: Prima virtus at hæc ferat signa, ex quo facile et certo, retracta e fuga vocali, efficitur: Prima virtus

eat; hæc ferat signa; sed ex at secunda manus fecit ad (ad hæc); itaque hoc transiit in Med. 4 et 5; in ceteris (Col, Pal. 2, 3, Gu., Vratisl.), ut hæc divelleretur a signa, scriptum est ad hoc, in B adhuc. Eodemque modo cons. ad Marc. 11, 4 cum in A scriptum esset familiaris aura et pro auræ et, secunda manus familiari aura fecit, idque in omnes transiit (quamquam de Palatinis, ut sæpe, tacetur). Eodem capite, paucis versibus ante (§ 3 Fick.), ubi de summa hominis fragilitate agitur, scripserat Seneca, quod primus Haasius vidit: Miramur in hoc mortem, quæ unius singultus opus est? Ex eo unius ductus in minus nota voce mutatione in A factum est unius singulius, inde in B ceterisque unius singulis (nam in B etiam morte quem scriptum, in Med. aliquo unius omissum prætereo), qui verborum sensu cassorum sonus restitutus est a Fickerto, cum ceteri inde ab Erasmo transpositione adhibita sententiam effecissent ridiculam: mortem unius, qua singulis opus est?[1]) Hæc atque horum similia innumerabilia qui recte æstimaverit, intelliget, omnium præter A codicum scripturas in Fickerti

---

[1]) Qui plura exempla desiderat, videat de vit. b. 11, 4, cum pro his: e suggestu rosæ spectantis (hoc est, spectantes) popinam suam in A scriptum esset (*g* pro *c* accepto, litteris male divisis): e successuros exspectantis, quemadmodum hæc in ceteros transierint et creverint (et etiam Haasium perturbaverint), aut ibd. 15, 7 (ubi egregie Haasius suscipiatur), aut 27, 5, cum in A Alcibiadem et Phædrum sic corruptum esset: aliubi ad se et pædrum. quæ monstra sensim nata sint. De tranqu. an. 2, 1 cum pro eo, quod Haasius verum esse intellexit: etiam tranquilli maris, utique cum . . . requievit, in A scriptum esset utque cum, deinde supra versum additum ad mendum occultandum lacus, id vocabulum in ceteris omnibus in ipsa oratione perscribitur.

editione ad rei memoriam et interpolationis fœditatem, ne quis decipiatur, monstrandam relinquendas esse (etsi satis erat, in uno libello aut duobus eas annotatas esse, in ceteris melius coacervatæ non essent), ad testimonium vero de scripturæ antiquitus traditæ fide hos codices nunquam vocandos, nisi forte B et proximos, si quando de A non constiterit, et tamen ex his codicibus ac fere ex recentissimis omnium, circa renascentes litteras scriptis, iure receptas esse correctiones minorum errorum non ita paucas, quæ hominum non indoctorum coniecturæ debeantur. Velut in illo ipso, quod attigimus, consolationis capite 11 § 3 et 4, ubi in A est ex firmis fluidisque, recte in ceteris (omnibus?) scribitur infirmis, tum precarii spiritus (A præcare sp.), tam contemptum animal (A animali), sed simul alia perversissima. Ipse autem ille codex, ad quem unum omnia redire dixi, quam sit scribendi erroribus obsitus, ex obscuritate aliqua ductuum exemplaris propositi et inscitia librarii ortis etiam in facillimis rebus verbisque, vel ex his, quæ posui, exemplis apparet.[1]) Itaque et diligenter omnia rimanda sunt et tamen cavendum, ne recondita et difficilia latere putemus, ubi proxima et obvia subsunt, quamquam librarium in iis, quæ ab eius scientia remotiora essent, etiam facilius errasse consentaneum est, et libere audacterque, modo ne longe a vestigiis discedatur, sententiæ et orationis necessitati parendum, neque, cum plurimis locis iis pareas, hic illic contorta artificia tentanda. Intercurrit etiam omittendi verba negligentia et adscripta aut superscripta in seriem recipiendi error; velut in illo, e quo iam aliquot exempla sumpsi, cap. 11 ad Marc. § 2 cum

---

[1]) Ad Marc. 21, 7 (20, 12 F.) (agunt opus suum fata) librarius, non recte lectis litteris n t, scripsit agurii opus s. f., ex quo in ceteris, ut Latinæ vocis species esset, augurii natum est et alia.

Seneca ea forma scripsisset, quæ inde ab Erasmi edit. II servatur: huc omnis ista, quæ in foro litigat, in theatris [desidet], in templis precatur, turba dispari gradu vadit, suo proprioque verbo de unoquoque loco posito, alterum verbum (quod sane potius plaudit aut simile fuit, actionem significans, quam desidet) in A ceterisque codicibus omittitur, unde nata est perridicula Fickerti coniectura: in foro litigat, in theatris precatur, omisso in templis. Sed huic sententiæ Seneca subiicit hanc: Et quæ veneraris et quæ despicis, unus exæquabit cinis, rebus contrariis notatis. Supra veneraris aliquis iam in codicis A archetypo adscripserat diligis; hinc in A et ceteris scribitur: Et quæ diligis veneraris et quæ des., qui error editores non decepit, nisi quod nuper diligis retineri, veneraris deleri voluerunt, non recte, ut opinor. Neque, quamquam huius codicis præstantia religione et interpolationis abstinentia censetur, non aliquando librarius ipse aut is, quem sequebatur, in primum illud et simplicissimum interpolandi genus incidit, ut ex litteris fractis Latinum vocabulum efficeret. Singulari sive errore sive festinatione non raro, in consolatione ad Marciam tamen frequentius quam alibi, voces extremis litteris syllabisve truncari, iam Fickertus animadvertit recteque ea observatione usus est 12, 2, suaserit scribens ex sua, et 26, 2, ubi, cum in codice esset: quod inte domus status inte ipse, is optime effecit: quod integro domus statu, cui Haasius addidit integer ipse.[1]) Desiderari aliquid ad accuratissimam codicis A scripturæ notitiam Haasius iure scripsit (præf. vol. I p. VI).

---

[1]) Add. 3, 2 vix (vixit recte Haasius), 4. 2 cousol Areo (pro consolandam se Areo; minus recte H.), 9, 1 admonet casibus (admonemur c.), 11, 5 paucissimo circuitus

Declarata instrumenti critici in hac Senecæ librorum parte natura rectaque eius utendi via significata, ad ipsas emendationes promendas venio, et quoniam librorum Senecæ præter paucos tempora incerta sunt neque quicquam ad nostram rem momenti faciunt, incipiam a tribus illis, quos supra dixi diligentissime a me pertractatos, deinde in ceteris ordinem sequar Haasii, hoc est, codicis A. In consolatione quidem etiam præter mea et nova in margine ponam, quæ a superioribus aut aliquo eorum probata aut emendata, non solum a Fickerto, sed etiam ab Haasio spreta, sine ulla dubitatione in ipsa Senecæ oratione ponenda fuisse mihi videntur, ut appareat, quid futuro editori relictum sit sine novorum inventione recto et libero iam inventorum usu efficiendum. Nulli autem ex his, qui dialogi inscribuntur, libellis plura graviorave menda inflicta sunt.[1])

Consol. ad Marciam (sive, ut in codd. inscribitur, de cons. ad M.) c. 1, 2 verba sic interpungi debent: sed dedisti manus victa fudistique lacrimas palam, et gemitus devorasti quidem, non tamen hilari fronte texisti. A verbis palam et sententia incipere nequit. Et sic ante Ruhkopfium interpungebatur.[2])

---

annor (recte Haasius), 19, 3 scisti mori (moriturum; Haasius ad verum rediit annot. crit. p. 13. Longe aliud est scio mori, id est, recte moriendi artem et facultatem habeo; vid. 24, 4, de brev. vit. 2, 1 et 7, 4, epist. 45, 5 et 55. 3, cet.).

[1]) Michaelis Batavus exiguum proprii boni habet, inania multa.

[2]) Cap. 1, 4 ex eo, quod in A et aliis scribitur: ob duas partes . . ., eloquentiam et libertatem, recte Muretus detracto p effecerat: ob duas *artes* (nam Latinis etiam libertas ingenii inter bonas artes est); non recte prælata est coniectura in margine codicis A posita ob duas res. Ibd. 3 inde ab Erasmo recte edebatur: ingenium patris . . . in usum

Ibd. 3, 2: nec plus doluit (Livia amisso Druso) quam aut honestum erat Cæsari aut æquum matri. Sic duæ personæ coniunguntur, quasi eodem loco sint; at Cæsar lugebatur, mater lugebat; deinde honestum Cæsari Latine intelligi tantum potest de eo, quousque Cæsari dolendo progredi licuerit, quod absurdum ad sententiam est. Cod. A habet: quam aut honestum erat Cæsare aut æquo maluo. Efficitur: qu. a. hon. erat *in* Cæsare aut æquom *in filio*, hoc est, quantum Cæsaris dignitati, filii caritati debebatur. (Non satisfaciunt, quæ Haasius annot. crit. p. 3 dixit; idem de ceteris locis intelligi volo, ubi mentionem prætermitto.) Proxima Haasius sanavit, nisi quod (de quo ipse annot. crit. p. 3 dubitavit) non quam interponendum, sed sic potius scribendum est: cum memoria illius vixit; [*memoriam enim*] nemo retinere cet., ut oculus aberrarit a memoriam ad nemo.

Ibd. 3, 3: Aversaberis et alienos liberos et tuos ipsaque desiderans triste matribus omen occurrere, voluptates honestas, permissas tan-

---

hominum reduxisti, ubi nunc revocatum est visum; at non agebatur de videndis Cremutii Cordi libris, sed de utendis, nec sic dicitur visus hominum. Ibd. 4 recte a Curione usque ad Lipsium editum est: at illorum . . . scelera quoque . . . *tacebuntur* (pro tacebunt) de memoria prorsus interitura. Cap. 2. 4 iure veteres editiones: secundam orbitatem iudicans lacrimas *amittere*. Etiamsi lacrimas mittere de flere desinente diceretur, hoc loco comparatur lacrimarum et filii amissio. Cap. 3, 1 scribendum necessario, ut omnes post Muretum ante Fickertum scripserant: Intraverat (Drusus) penitus Germaniam et ibi signa Romana fixerat, non, ut nunc editur: signum Romani fixerunt; nam de unius Drusi laude dicitur et quid effectum iam fuerit, cum mortuus est.

quam parum decoras fortunæ tuæ reiicies. Prorsus ineptum est, ipsam Marciam omen triste matribus occurrere cupere; futurum esse, ut tristis ominis loco sit, ad deterrendam eam Seneca ponit. In A est: ipsumque (non ipsaque) desiderans . . . occurreres. Scribendum est igitur: Aversaberis et alienos liberos et tuos ipsumque, *quem desideras*; triste matribus omen *occurres*; voluptates honestas ... reiicies. Acute futurum Seneca dicit, ut Marcia ipsum, quem lugeat, aversetur. [Sic iam Rubenius; omisit Fick.]

Ibd. 3, 4: Illum ipsum iuvenem dignissime quietam semper nominatus cogitatusque faciat, meliore pones loco, si matri suæ, qualis vivus solebat, hilarisque et cum gaudio occurrit. Sic A (nisi quod hilaris quam). Multi (iam librarii) dignissimum; Haasius etiam qui te addi voluit (qui te quietam . . . faciat). Sed inepta in hac re (Latinis præsertim) quietis notio; verum in vocabulo inepto id ipsum, quod quæritur, inest: dignissimum, *qui te lætam* (*letam*) semper nominatus cogitatusque faciat. Itaque quod alibi (vol. I p. 30) e quietis nomen qui sæpe ortum dixi, hoc loco contrarium accidit. Tum reponendum esse *occurret* satis est verbo dixisse.[1])

---

[1]) Cap. 4, 4 famam editores inde ab Erasmo intellexerant appellatam *liberrimam* (quæ nullo metu comprimatur) princ pum iudicem; Fickertus et Haasius, quod librarius l supversum parum produxit, ut pro li nasceretur u, uberrimam appellari iusserunt, quæ esset iudicis ubertas, nescio utrum scientes an non curantes. Collocatas pro collocato etsi est in A, tamen apud Haasium typothetis deberi ma[lim] credere. In generali hac sententia nihil loci est feminin[i] generi.

Ibd. 5, 4: Ultimam illam faciem rerum premis inlitam quasi parum ipsa per se horrida sit, quicquid potes, congeris. Sic A; significatur, non, quod editur: in illam, quasi, sed: *illi, tanquam si* parum cet. Sic enim et Seneca dativum congerendi verbo adiungit ad Helv. 11, 4, de clem. I, 14, 2, de benef. VII, 31, 4 et Suetonius Ner. 19. Et illi tanquam (om. si) et veteres aliquot editiones habent et a Gronovio restitutum tenuerant editores ante Fickertum.[1])

De tollendo c. 9, 5 multis dixi vol. I p. 48. Quod ibidem commendaturus eram: versum dignum, qui non e pulpito exiret, totidem litteris scripsit Hauptius (II p. 5). Restat, ut, quoniam pro eo, quod A habet (præcedente *t*) terror decipit, scribendum esse error decipit superiores editores ante Fick. et H. omnes recte Pinciano crediderant, addamus particulam, quam ille addendam esse non attendit: Error decipit hic *et* effeminat, dum cet.[2])

---

[1]) Paulo ante revocandum, quod editores a Curione tenuerant ante Fickertum: non convertis (pro convertisti) te; quid nunc fieri debeat, Seneca dicit. Capite 6 extr. revocandum ex superioribus editionibus clavum (pro navem) tenentem (cfr. Haupt. II p. 7). Cap. 7, 2 Fickertus recte scripserat cum . . . redierunt (vid. ad quæst. nat. IV, 2, 22); Haasium quis non miretur revocasse redierint, præcedente præsertim cum . . . consectatæ sunt, sequente cum . . . circumfremuerunt? De c. 8, 2 rediit ad verum (nunc te ipsa custodis) Haasius ann. crit. p. 6 et in præf. vol. III. Paucis verbis ante Muretus et ceteri ante Fickertum recte (cfr. Haupt. II p. 15): qualis initio fuit. (A habet: qualis in illo fuit, Fick. et Hs. qualis in illa f.).

[2]) Eodem capite 2 revocandum e superioribus editionibus multo ante provisa (A perculsa) et 4 quis unquam nostrum (pro vestrum). De communi humani generis errore et vitio Seneca loquitur, nihil in feminis aut Marciæ propinquis proprie reprehendit.

Ibd. de 10, 1 quoniam dixi vol. I p. 105, nunc dicam § 3 in his: Quicquid a fortuna datum est, tanquam exemptum (A exemplum) auctore possideas, quod multi senserunt, nihil omnino Latine significare nec ullo exemplo dici exemptum auctore. Res a fortuna datas sic possidendas Seneca dicit, tanquam auctorem, qui nobis possessionem præstet, non habeamus. Id sic significavit novitium usum sequens: tanquam *exempto* auctore, hoc est, sine auctore, ut c. 16 extr. exempto discrimine. (Cfr. ad cons. ad Polyb. 11, 5.) Ovidius eodem significatu dixit *dempto fine* (Trist. III, 11, 2), quod ipsum apud Senecam legitur in Hippol. 561. Paulo aliter dempta publica auctoritate Livius dixit XXXII, 34, 5; longius etiam distat Cic. Philipp. VIII, 1.[1])

Ibd. c. 11 plura gravioraque menda tollenda sunt quam prope ex ulla eiusdem spatii parte horum librorum. Nam statim § 1 Seneca postquam dixit perpetuam esse in vita incommodorum seriem, sic pergit, ut quidem in A scribitur: Moderandum est itaque vobis maxime quæ immoderate fertis et in multos et in dolores humani pectus dispensanda. Primum quoniam subiectum pronomini vobis adverbium maxime ostendit, definiri personarum genus, ad quas Seneca plurali numero alloquendas transit, scribendum est fere cum Pinciano: vobis maxime, *qui ea* (pro quæ) immoderate fertis. Deinde pro multos iam in codd. aliquot restitutum et in editionibus recte servatum est *metus*. Sed quæritur quid in metus doloresque dispensandum sit (ut iis sufficere omnibus possit), feminini generis nomine appellatum. Id non difficile videtur inventu: humani *pectoris vi*

[1]) De § 4 Haasius in ann. crit. p. 7 rediit ad verum (nesciti in fuga vivere).

Duæ postremæ voces ob litterarum vis et ris similitudinem conflatæ in unam sunt. Deinde post illa § 2, de quibus dixi supra p. 343, et aliam sententiam a superioribus emendatam,[1] § 3 sic interrogatur: Quid est homo? respondeturque: Quodlibet quassum vas et quolibet fragile iactatu, plane, si attendas, ridicule. Homo enim vas est, non quodlibet vas, nec quassum vas, sed quod quati et frangi facile possit. Apparet, quodlibet, ut in altero membro (quol. iactatu), sic etiam in priore non ad ipsum vas, sed ad levem eius dissolvendi causam pertinere. Omnes turbas dedit ablativus adiectione litteræ *m* finalis in participium mutatus et ad vas accommodatus. Scripserat enim Seneca: *Quolibet quassu* vas et quolibet fragile iactatu, aptissime coniunctis quassu et iactatu. (Si quem movent in re amplificanda vocabula separata et traiecta, comparet de vit. b. 26, 8: laurum linteatus senex et medio lucernam die præferens.) Tum ubi in A est: alimenta metuens sua, quorum modum in inopia rumpitur, apparet ad hanc formam Senecam scripsisse: quorum modo inopia [*extenuatur*, *modo copia*] rumpitur; nec fere a superioribus dubitatum erat, quin copiæ mentio excidisset; ad eam necessario rumpitur pertinet. (Oculus a litteris opia ad easdem in copia transiliit.) Sequuntur (3 et 4) hæc: anxiæ sollicitæque tutelæ (corpus, hoc est, animal), precarii spiritus et male hærentis, qua parum repentinum audiet et improviso sonus auribus gravis excutit. Sic enim hæc extrema (inde ab

---

[1]) Recte enim inde a Mureto edebatur: Hoc iubet illa Pythicis oraculis adscripta vox: Nosce te. Nam neque vox abesse potest, quod ante nos excidit, neque verbo carere possumus, quod cum *uid.* commutatum est (vid. Garaton. ad Cic. pro Planc. 30, 72).

hærentis) in A scribuntur. Apparet nominari leves causas, quæ spiritum male hærentem excutiant, nec aut improviso aut auditus cum sono coniunctio dubitari sinit, quin, ut priorem causam paulisper seponamus, altera his verbis significata fuerit: *quem ... aut auditus ex* improviso sonus auribus gravis excutit.[1]) Quæritur altera causa, quæ non animi affectus (pavor enim Lipsius et Gronovius scripserunt) esse potest, sed, ut sonus, res sensui extrinsecus obiecta, qua animus subito movetur: eam porro rem ad oculos pertinere probabile est, ut sonus ad aures pertinet, certum autem, significatam esse neutri generis nomine (parum repentin*um*). Puto subesse: *quem petaurum* repentinum aut aud. ex impr. s a. g. excutit. Ea erat machina, quæ subito exsurgens et sublata homines ostentabat periculosa arte se moventes apte ad spectatorem ex inopinato percutiendum. Nondum e scopulis enavimus; continuatur enim eadem corporis humani descriptio: soli semper sibi nutrimentum vitiosum et inutile, quæ verba ultra modum ridicul sunt, sive hoc significant, solum hominem humana carn vesci, sive, soli homini humanam carnem vitiosum (inutile nutrimentum esse, ceteris utile et bonum. (Vitios in hac enarratione dici sibi vitiosum omitto.) Man festum est, per se dici nutrimentum vitiosum (inutile (nam ceterorum animalium corpora saltem es utilia esse), ante nutrimentum excidisse vocabulu cum soli sibi eiusmodi sententiam efficiens, a qua faci ad illam de nutrimento transeatur. Id erat huiu

---

[1]) Eandem emendationem Haasius fecit ann. crit. p. 8 (præf. v III p. XXIV), nisi quod aut ante auditus excidisse n vidit. Ego me antea sponte in eam incidisse, confirmatio causa dico, quod Hauptius (I p. 5) hunc locum minus felici tractavit.

modi: soli semper [*serviens?*] sibi, nutrimentum vitiosum et inutile, aut simile. Unum omisi in hoc capite, de quo valde dubito. Nam § 1 Marciam Seneca sic alloquitur: Putre ipsa fluidumque corpus et causis repetita sperasti tam imbecilla materia solida et æterna gestasse? Quod in codice A scribitur: et causis morbos repetitas sperasti, putant morbos interpretandi causa adscriptum ad causis; in quo morbos scriptum, non morbis, habet aliquid scrupuli; illud gravius, quod nemo facile sic *causam* pro morbo posuit, ut, qui sæpius ægrotaret, *causis repeti* dici posset.[1]) Itaque *morbo* repetita Senecam scripsisse suspicor, sed quid in causis lateat, non reperio, nisi *carnis* morbo contemptim dixit, ut epist. 65, 22.

Ibd. 12, 6: L. Sulla filium amisit, nec ea res ... effecit, ut cognomen illud usurpasse salvo videretur, quod amisso filio adsumpsit, nec odia hominum veritus, quorum malo illæ nimis secundæ res constant, nec invidiam deorum, quorum illud crimen erat. Cui unquam in mentem venire poterat, filii Sullæ mortem effecisse, ut cognomen felicis, quod post illam assumpsit, iam filio salvo usurpasse videretur? Certissima hæc deliria sunt. (Omitto, dicendum fuisse salvo filio ... amisso). Poterat efficere, ut (historicis, posteris, etiam æqualibus) post talem casum iniuria id nomen videretur usurpasse; (neque enim

[1]) Apud Plinium (XXVIII, 218, etsi in antiquissimo codice est caoras) et Vegetium causa dicitur de casu et affectu morbi. Apud Celsum (de med. III, 3) *tantum causam metuere* ponitur de iis, qui morbi causam et occasionem cautione ciborum vitant; apud Tibullum I, 8, 51 additum *sonticæ* totam rem mutat; hoc enim poeta dicit, adolescentem non eo laborare morbo, qui sonticam causam (in dilectu) faciat. *Causarius* dicitur, qui ex morbo vacationis causam habet, aliunde ducto usu.

in ipso usurpandi verbo Latine quicquam non recti significatur). Atque hoc dixerat Seneca: usurpasse *falso* videretur. Revocandum deinde esse constabant, quod e Pinciani coniectura ante Fickertum edebatur, tam perspicue res (neque enim ad Senecæ æquales Sullæ res secundæ pertinebant) et respondens huic erat clamant, ut vix oculis credas talia ab Haasio relicta.[1])

Ibd. 13, 2 scribendum est (quod iam Lipsio in mentem venit): *Putasne* (hoc est, nonne putas et intelligis?) eius luctus aliquem finem esse debere, cuius primus dies et primus impetus ab altaribus publicis . . . non abduxit patrem? Codices et editiones putasses. Interrogatur universe de dolore ex amissis liberis; condicionalis interrogatio absurda est. Simul revocandum § 1 ex editionibus inde a Lipsio ante Fickertum: Ne nimis admiretur Græcia illum patrem ..., Pulvillus *efficit* pontifex, pro effecit. Attigi pervagatum errorem ad Vell. Paterc. II. 127, 2, poteramque e Senecæ non ita pauca exempla addere, velut ex hoc ipso libro 25, 1 (excepit), quæst. nat. IV, 2, 19 (recepit). In epist. 74, 23 cessit veritati Haasius, qui ipse in præf. vol. III p. XIII disputat librarios prave incepit pro incipit scripsisse. Tum (redeo enim ad consolationem) ex hac scriptura: sollemnia pontificia carmina (A sec. manu et B carmini) verba faciendum: sollemnia

---

[1]) Non minus manifesto initio capitis restituendum: quod nullas ex illo voluptates *cepisti*, ut inde ab Erasmo edebatur. Quærit Seneca, utrum de facto Marcia queratur (cepisti) an de eo, quod fieri potuerit. Et sequitur: Si nullos te percepisse dixeris (= tuo iudicio percepisti). O quam Erasmus, Muretus, Lipsius, Gronovius mirarentur, riderent, miserarentur nostræ ætatis homines, si viderent libris utentes, ut sanam mentem deserant, et, dum subtiliter, ut sibi videntur, de grammaticæ legibus quærant, in talibus errantes.

pontificii carminis verba. Traxit sollemnia sequens pontificia, deinde ad cetera in *a* cadentia scriba accommodavit carmina, si modo vere de A traditum est nec ibi a priore manu carminis fuit. (Ante Fick. edebatur soll. pontificalis carminis verba.) Additurus hæc nemo erat, longeque alia est causa verborum § 3 additorum.

(C. 14, 1 correxi vol. I p. 68.)

Ibd. 15, 2 (de Augusto, deserta mortibus domo): Tulit tamen fortiter quam cuius iam res agebatur cuiusque maxime intererat de dis neminem queri (quoniam ipse mox futurus deus erat). Sic A. Addunt tam (tanquam cuius); alii plura mutant. Scribendum: Tulit *tam* fortiter quam cuius, hoc est, „quam is ferre debuit, cuius". Cfr. de brev. vit. 18, 3; ad Helv. 15, 1: quibus libentius quam femina, familiarius quam mater intereram, hoc est, quam femina videbatur debere. Paulo post (4) recte interrogatur: Videsne, quanta copia virorum maximorum sit, quos non excepit hic omnia prosternens casus (mors liberorum)? Sed perverse pergitur eadem orationis forma: in quos (A et quos, Haasius: et in quos) tot animi bona, tot ornamenta publice privatimque congesta erant? Hæc enim, cum proxima sententia relativa coniuncta, sensum efficiunt plane perversum, quasi hæc duo maximis viris tamen acciderint, ut mortes liberorum paterentur, et ut tot bona et ornamenta in eos congererentur; ut cum virorum maximorum appellatione sic coniungantur, ut casus ille non excepisse dicatur viros maximos et in quos tot ornamenta congesta essent, fieri per sermonis leges et orationis formam non potest; debebat etiam tum non tot dici, sed plurima. Itaque nova hæc interrogatio per se ponitur, quæ si ad illos ipsos maximos viros pertinet, inanis est. Videtur Seneca transire ad ipsos liberos illis ereptos, egregios et

iam florentes: Et *quo* tot animi bona, tot orna menta ... congesta erant? (quot in hos).

Ibd. 16, 5: Iam cum fortuna in gratiam Marcia, reverteris, si tela, quæ in Scipione Scipionumque matres ac filios exegit, ... ne te quidem continuit? Scipionum filii ipsi sunt Scipi ones; et Marcia cum parentibus comparatur. Scribendu sine dubio: Scipionumque matres ac *filias* (ipsa in aliis familiis matres, ut Corneliam Gracchorum). A iam Lipsius adscripsit: „filias, ex hac quidem recitatione quod Fickertus omisit.[1]) Sequitur (6): Habes ex ill (filio amisso) duas filias, si male fers, magr onera, si bene, magna solatia. In hoc te pe duxit, ut, illas cum videris, admonearis fili non doloris. Quomodo filius mortuus in hoc Marcia perducere potuit? Debebat etiam esse sui, non filii. quomodo futurum exactum ferri potest? Ipsam Marcia Seneca, ut hoc faciat, hortatur; scripsit enim: In hoc *perduc*, ut . . . admonearis. Ex imperativo mir frequentis formæ, sequente ut, natum est perdux (Emendatio hæc, cum in exercitationibus philologiæ stud sorum vitium loci aperuissem, in mentem venit ado scenti bonæ spei, cuius studia postea tristis morbi evertit.)[2])

Ibd. 17, 6 vol. 1 p. 24 muti restitui pro mul Sed aliud maius addendum est. Quis enim semel adn nitus, si vel mediocriter attenderit, non sentiet, in me comparatione eius, qui Syracusas intraverit ante de visei condicione edoctus, cum homine in vitam certa propos

---

[1]) C. 16, 3 scrib. cum cod. Vrat. Quod si tibi vis (pro qu tibi si vis).

[2]) § 7 recte sine dubio Marklandus (ad Statium p. 100) dep nit, ut est in Vrat. et Colon., pro disponit.

condicione intrante pravissime interponi inter ipsam imaginis descriptionem et eius ad rem, de qua agitur, accommodationem hoc totum de condicione liberos suscipiendi? Quis non videt, necessario hæc continuari: Post hanc denuntiationem si quis dixisset, intrare se Syracusas velle, satisne iustam querelam de ullo nisi de se habere posset (fœde Fick. et H. e codd. possit), qui non incidisset in illa, sed prudens sciensque venisset? (c. 17, 6.) Ad hanc imaginem agedum totius vitæ introitum referamus. Syracusas visere deliberanti (fœdius, si fieri potest, iidem: viseres deliberanti) tibi, quicquid delectare poterat, quicquid offendere, exposui; puta nascenti me tibi venire in consilium cet. (c. 18, 1)? Itaque omnia ea, quæ extra hanc imaginem interiiciuntur (c. 17, 6 et 7: Dicit omnibus nobis natura ... qui tibi nihil certi spoponderunt), hinc sublata suo loco ponenda sunt c. 17, 1 post hæc verba: sed humanum est, ubi apte adhærescunt, ita ut deinde novo initio: Ad hoc genita es cet. (recte Haasius ann. crit. p. 7 e codd. genitus es) præparetur illa imago et comparatio. Continet autem hic locus, quem transponendum dico, 600 litteras (4 aut 5 fortasse plus), quot habent singula folia codicis Ciceronis de rep. Ab illo autem: Ad hoc genitus es (17, 1) ad sciensque venisset (17, 6) litteræ sunt fere 1800. Itaque in antiquissimo codice nostrorum parente folium 600 litterarum transpositum videtur. (De tranquill. an. c. 6 et 7 Haasius recte locum 275 litterarum transtulit ante litteras paulo plus mille ducentas).[1]) [Geertzius hæc potius post c. 18 (*sustulerunt*) inserenda putat.]

---

[1]) Cap. 17, 3 recte Curio et Rubenius intellexerunt pro eo, quod editur, ipsum in (sive ipsum in terris flumen) substituendum esse participium; (neque ipsum ferri potest, cum

Ibd. 18, 1: Intraturus es urbem dis hominibusque communem, omnia complexam, certis legibus æternisque devinctam, indefatigata cœlestium officia volventem. Non tam recte urbem legibus devinctam dici quam omnia complexam certis legibus ... *devincta*, in iisdem, quas supra dixi, exercitationibus, animadvertit Geertzius. In § 2 iam vol. I p. 497 breviter dixi scribendum esse Videbis. illic innumerabiles stellas *micare*; *videbis* (A stellas videre micabis) uno sidere omnia impleri, solem cet., nec muto sententiam visa Hauptii (I p. 5) coniectura, qui, ut opinor, iam nec verbo micare carere volet et in sua coniectura non prorsus rectum esse verborum ordinem concedet, nec miraberis hoc loco inter tria videbis interponendum, quod postea finita hac figura, recte subiicitur.[1]) Sequuntur § 5 in enumeratione eorum, quæ terras despectanti occurrunt, hæc nationes ..., quarum aliæ se in erectos subtrahunt montes, aliæ ripis, lacu, vallibus pavidæ circumfunduntur, in quibus apparet ripis ceteraque dativos esse; nam ripis circumfunduntur populi iis accolentes, circumdari ripis (ablativo casu) non possunt; sed certissime corruptum est lacu, quoniam singularis nume

---

præsertim flumen peregrinum ipsi fonti contrarium ponatur, neque in terris flumen; cod. A habet sive in ipsum terris) Potest fuisse *interceptum* terris. (*Immittere terris flumen* aliud est.) § 4 recte Pincianus et ceteri (præter Fick. et H.) tepidissima hiberna, non lepidissima, § 5 Lipsius et alii corrumpet pro corrumpit.

[1]) § 3 recte editiones inde a Mureto ante Fickertum collecta (conlecta) nubila, non coniecta. § 4 optima Haasi coniectura, alia forma rerum pro alia fortuna rerum scribentis, adiuvatur eo, quod de brevit. vit. 2, 2 in A et B formæ pro fortunæ scribitur.

rus ferri nullo modo potest. Scriptum videtur fuisse ripis *lacuum* vallibusque (paludibusque?) pav. circ.[1]) Restat in fine capitis (8) locus difficilis. Expositis enim vivendi condicionibus Seneca eum, quocum nascituro deliberat, intrandumne in vitam sit, ita alloquitur: Respondebis velle te vivere? Quidni? Immo, puto, ad id non accedes, ex quo tibi aliquid decuti doles. Vive ergo, ut convenit. Sed quomodo, qui nondum in vitam intravit, dolet iam sibi aliquid decuti? De futuri spe et condicione dicitur. Scribendum igitur opinor: ex quo tibi aliquid decuti *noles*. Monet, ne sic vitam eligat et capessat, tanquam eam eiusque fructus semper integros habiturus. Miror tamen sententiæ et ipsius imaginis (maxime in decuti) obscuritatem.

Ibd. 19, 4, ubi editur oblivionis amnem, debuerat Fickertus tenere, quod in uno cod. repertum „fortasse" rectum esse scripsit, *Oblivionem* amnem; id enim significat A, in quo est oblivione. Inferorum amnem eodem modo Seneca Oblivionem appellavit (Λήθην), quo Hispaniæ Tarraconensis flumen sic appellatur in Livii epit. 55.[2])

Ibd. 20, 2 (nihil interesse, infra quod quis iaceat) restituendam pronominis formam interrogativam (quid) Siesbyeus me monuit. § 3 scribitur (de torquendi

---

[1]) Adiuta cultu et fertilia et (7) terrestria iam Hauptius (I p. 5, 6) vindicavit, idemque § 6 egregie ætheresæ (aeriæ?) ignium faces effecit.

[2]) C. 19, 1 etsi violentius corrigitur, verum tamen videtur videamus (A: videatis); tum 2 revocandum: ut minime probabili, sic (pro sed) vero solatio et § 6: non sollicitus futuri pendet ex (pro pendet et ex) eventu semper incertiora rependenti (pro in incertiora dependenti; codd. in non habent).

arte et instrumentis): Et membris singulis et articulis singula docuerunt machinamenta. Neque subiectum ullum verbi est, neque *docere* machinamenta Latine dicuntur, qui inveniunt. Scrib. singula *nocuerunt* machinamenta; *sed* video et mortem, (ex A: et video et mortem).[1])

Ibd. 21, 1 iure Haasius post Lipsium hæsit in his: Ad brevissimum tempus editi, cito cessuri loco venienti in pactum hoc prospicimus hospitium. Nam neque cum venienti neque cum prospicimus sic coniungi in pactum potest, ut sententia efficiatur. Sed venienti rectum et propter prospicimus necessarium est. Significantur parentes liberis nascituris mundi et vitæ hospitium, in quo maneant aliquantisper, prospicientes. Huius hospitii genus, periculis et turbis infesti, significatum a Seneca puto scriptumque: venienti *impacatum* hoc prospicimus hospitium. Vocabulo usus est Seneca de ira III, 27, 4. Sequitur (4): Deinde si immaturus decessit; vixit enim, quantum debuit vivere; nihil illi iam ultra supererat. Superiores, codices interpolatos paucos secuti, violenter scripserant: Deinde non immaturus; Haasius sex verba excidisse ob repetitum verbum decessit putavit. Adest facilior et certior medicina: Deinde *sibi maturus* decessit. Proxima hæc sunt: Non una hominibus senectus est, ut ne animalibus quidem; intra quattuordecim quædam annos defatigavit, et hæc illis longissima ætas est, quæ homini prima. Pravum est perfectum (nam aoristi Græci imitatio frustra inter duplex est advocatur), nec recta sen-

---

[1]) § 4 recte editiones, etiam Fickerti: quam infelices reliquiæ sunt. Haasius e codd. quæ infelicis rel. s.

[redacted]

tentia; neque enim, quæ animalia omnino XIV annos vivunt, ea senectus intra hoc spatium defatigat, quasi semper in ea sint. Scripserat Seneca: intra quattuordecim annos *defatigat vita*, et hæc illis cet. (Eodem modo in Ciceronis parad. I, 12 e devota vita factum erat devotavit et in Vopisci Numer. 13 fœdavit e fœda vita.) Tum § 5, ubi sic in A scribitur: Nec illum (terminum cuique positum) ulterius diligentiam ut (recte edd. diligentia aut) gratia promovebit. Sic habent illum ulterius diligentiam ex consilio perdidisse, sublatis duabus vocibus, quæ propter illum iterum positum errore repetitæ sunt, relinquuntur hæc: sic habent illum ex cons. perdidisse, in quibus recte Haasius sic habe scripsit, male nil illum ex c. perd., quod tum demum rectum esset, si ex consilio significaret: *ex eo, quod ei destinatum ac demensum fuit.* Scribendum erat ad ipsa codicis vestigia: Sic habe, *te* illum ex consilio perdidisse, hoc est, non casu, cum posset diutius vivere, sed certo fati decreto, cum fixum terminum attigisset. Itaque sequitur: nec unquam se annis casus interiicit. Cum hac demum sententia vere comparari possunt, quæ ep. 69 extrema leguntur. [1])

Ibd. 22, 2 (ubi revocati in adolescentiam postea Haasium pœnituit) non potest pro certo definiri, quomodo explenda sint, quæ in A detruncatis eo modo, de quo supra dixi p. 343, litteris aliquot sic scribuntur: aut in popinam ventremque prototi summaque illis curarum fuit cet. Aptum videtur: in pop. ventremque

[1]) § 1 recte Geertzius monet, non opus esse addi multum, si sic interpungamus: Primum puta illi superfuisse, comprehende quantum (vel: superfuisse —, comprehende) cet., ut mensuræ notio in adiecta sententia imperativa sit. § 7 recte editiones ante F. et H.: quoque facilius obrepat mors, . . . latet, non: obrepant, mors . . . latet. Quod obrepturum est, ipsum latet.

procubuerunt toti[1]) Ne in iis quidem, quæ paulo infra (5) leguntur de comparata a Seiano Cremutii Cordi accusatione, in A sic scripta: consecratur subscriptio (hoc est crimen, cfr., quæ ad Cic. divin. in Cæc. 31 dixi), et acerrimi canes, quos ille . . . sanguine humano pascebat, circumlatrare hominem etiam illum imperiatum . . incipiunt, certum est, quid pro consecratur substituendum sit; latet fortasse *concinnatur*. Sed in imperiatum certum est subesse aliquid ad Cremutii laudem pertinens; neque enim is simpliciter homo appellari poterat; neque dubitandum videtur, quin scriptum fuerit: hominem etiam *in illo imperio altum*, hoc est, qui ne Tiberio quidem imperante et Seiano sæviente deprimebatur nec se submittebat. Sub finem capitis (8) partim admodum probabilem, partim plane certam habent emendationem, quæ in A (B) mendose scripta obiiciuntur de delatoribus postulantibus, ne Cremutio Cordo liceret voluntaria morte damnationem præcurrere: Accusatores . . . adeunt consulum tribunalia, queruntur mori Cordum, ut interpellaret quod coegerant; adeo illis Cordus videbatur effugere. Magna res erat in quæstione an mortis rei perderent. Nam primum non ipsi accusatores interpellabant nec *ut* interpellantes querebantur, omninoque his brevibus incisis: adeunt cos. trib., queruntur . . . Cordum nulla quasi cauda adiungi debet, sed nova sententia: ut interpellarent (sic iam vulgo), quod coegerant, *orant*; adeo cet. Excidit orant post erant. Deinde in extremis apparet verbi passivi *perdor* (perderentur),

[1]) § 1 recte edd. inde a Mureto ante Fickertum: Quereris non tam diu filium tuum vixisse, quam potuisset, non potuisse; neque enim in hac forma: non tam diu vixit quam potuit comparantur duæ actiones separatæ.

[redacted]

quod ante multos annos in antiquo sermone latino nullum fuisse dixi cuiusque præter Horatianum illud hoc alterum profertur exemplum, in codicibus fide dignis nullum esse vestigium, sed totum ex incertissimæ fidei codice Cuiacii a Bongarsio, deinde a Mureto „ex veteribus libris“ nihilo certioribus prolatum esse. Emendationis autem viam ostendunt cum sententia aptissime conspirantia codicum indicia (mortis perderent). Scripserat enim Seneca acute et acerbe: Magna res erat in quæstione, an mortis *ius* rei perderent. Coaluerunt mortis ius, prorsus ut supra c. 11, 1 pectoris vis, vel, si sic dicere malis, excidit hic ius, illic uis post tis et ris. Sententiam viderat Trillerus, qui scribi voluerat: an mortis rei arbitrium perderent, viderant ex parte, sed minus recte expressam, Lipsius et Gronovius.[1])

Ibd. 24, 4 cod. A (et B) sic: Harum contemplatione virtutum filium geri quam si nunc ille tibi magis vacat. Efficitur facile et perspicue: Harum contemplatione virtutum filium *gere quasi in sinu.* Nunc ille tibi magis vacat; nunc nihil habet, quo avocetur (sic Pincianus et edd. ante F. pro vocetur). Initium mendi fuit sinunc pro sinu nunc scriptum. Qui artem tenent (sed tenent pauci), scient, a vestigiis veri aberrari, si attrectetur in vacat indicativus. Aliorum conatus refellere omitto.

---

[1]) C. 23, 1 (ubi in A est obducere) restituendum est ex ed. Erasm. I et aliis obducerentur (sordibus). Poterat aliquatenus ferri: antequam terrena altius obducerent et conciperent; etsi qui ipse inficitur, non solet dici obducere; quod editur (obducerent et altius t. conc.), pravum est. Tum § 5 restituendum est ex edd. ante Fick.: et moriturum brevi nemo non prudens dixit.

Paulo post (5), ubi in A (B, aliis) sic scribitur: Hæc quæ vides ossa circum nobis, nervos et obductam cutem voltumque...,vincula animorum tenebræque sunt, quod F. et H. ediderunt: Hæc quæ vides ossa circumiecta nobis, nervos et obductam cutem, id coarguit verborum ordo, prave ossibus separatis a ceteris, et prava imago ossium circumiectorum, quod verbum aptum esset ad cutem. Forma orationis huiusmodi fere fuit: Hæc quæ vides, ossa ac circum [*datos*] *ossibus* nervos et obductam cutem cet. Quod sequitur in codicibus: Obruitur his, effugatur (B effucatur), inficitur, arcetur aversis, recte iam pridem restitutum est a veris, probabiliter offuscatur pro effugatur, etsi potest etiam in mentem venire *suffocatur* (geminata littera præcedenti); effocatur, quod Haasius posuit, vereor, ut Latinum sit, etsi etiam de brev. vit. 2, 4 legitur, itidem præcedente *s*. Sed quod in codicibus quibusdam interpolatis et editionibus post his additur animus, videndum est, ne Seneca eo genere, de quo dixi ad Cic. fin. II, 22 (p. 179 ed. II), a plurali (animorum) ad singularem transierit; simillimus est Ciceronis locus ibi notatus de nat. deor. I, 50. Extremo capite, ubi miro errore Haasius grave pro gravi posuit (quæ animum pondere gravat et deprimit), scribendum est: nititur illo, unde *demissus* est (hoc est, in cœlum, unde in hunc terrestrem locum depressus est et descendit); codd. et edd. dimissus. Dimitti vult animus e corpore, non dimissus est.

Ibd. 25, 1, ubi Fickertus subito suspicax eumque secutus Haasius (qui tamen ann. crit. p. 19 ab errore rediit, sed alia tentat non necessaria) quattuor verba uncis incluserunt certa antiquitatis nota impressa (modo excipit cum superioribus scribas pro excepit; vid. ad Vell. Pat. II, 127, 2), omnia sana et perspicua erunt sic interpuncta, adhibita unius vocalis correctione: deinde ad excelsa

[redacted]

sublatus inter felices currit animas; excipit illum cœtus sacer, Scipiones Catonesque, interque contemptores vitæ et mortis beneficio liberos (hoc est inter ceteros, qui se moriendo in libertatem vindicaverunt) parens tuus, Marcia; *ille* (A 1 illi, A 2 et inde ceteri illic) nepotem suum ... applicat sibi, cet. (Extremo capite ex his: tramites omnium plana et ex facili mobiles et expediti cet., nescio an faciendum sit: tramites *omnia et* plana et ex facili mobiles et expediti cet., ut et loca motui pervia et animi ipsi motui apti significentur.)

Finienda est huius libelli perlustratio in suspicionibus minus certis. Nam c. 26, 3 abiectis ludibriis, quæ ex margine codicis A in ceteros codices transierunt, verum ex his solis, quæ ille in ordine perscripta habet, eruendum est: et cibo prohibitus ostendi quam vibar animo scripsisse. Potest subesse: ostendi, *quali videbar*, animo (me?) scripsisse, hoc est, vere libero, qualem homines legendo crediderant. (Videbar Haasio debetur, longe aliam sententiam sequenti. Vivax nihil significat, quod in hunc locum apte includatur.) Tum § 5 admodum dubito, Cremutiumne Cordum, qui res Romanas extremæ reipublicæ et ineuntis principatus scripserat, Seneca dicentem fecerit, se unius seculi facta in parte ultima mundi et inter paucissimos gesta composuisse. Vereor, ne *minima* posuerit, quod cum paucissimorum mentione convenit.[1])

---

[1]) Illud certum est, in hac coacervatione: tot secula, tot ætatum contextum, seriem, quicquid annorum est, Senecam in medio membro non duo posuisse nomina sine coniunctione, sed aut contextam seriem aut solum contextum.

Diu me tenuit unus libellus omnia persequentem, unum et alterum in incerta suspicione positum, et aliorum quoque inventa vindicantem retrahentemque. Et hanc quidem partem, quæ censuram habet recentissimorum editorum operæ, hoc posito specimine deinceps omittam, nisi si quid aut iis, quæ dicenda sunt, vicinum et prope coniunctum aut ob aliquam causam memorabile occurrerit, et in meis me intra ea continebo, quæ videntur ad exitum perduci posse, quæ tamen fere non pauciora erunt in proximo libello.

De vita beata cap. 3, 3: quæ (vita beata) non aliter contingere potest, quam si primum sana mens est ..., deinde fortis ac vehemens, tunc pulcherrima et patiens, apta temporibus, corporis sui pertinentiumque ad id curiosa non anxie. His iure Haasius ante tunc notam apposuit, quoniam pulcherrima (ut unum hunc superlativum cum ceteris positivis mire coniunctum omittam) neque certi generis virtutem significat et perinepte cum eo, quod est patiens, copulatur. (Ne patiens quidem animus a forti interposito tunc, tanquam ad novam virtutem transeatur, recte separatur, quoniam hæc omnia ad fortitudinem pertinent.) Sed ipsa adverbii forma (quod in enumerando tum esse debebat) verum ostendit. Scripserat enim Seneca: fortis ac vehemens, *cuncta pulcherrime* patiens, apta temp. (Num: curiosa, non *anxia*, ut est in cod. Col.? Et video Gruterum probasse.)

Ibd. 4, 2: ut beatum dicamus hominem eum, cui nullum bonum malumque sit nisi bonus malusque animus, honesti cultor, virtute contentus, quem nec extollant fortuita nec frangant. Velim scire, cui applicentur nominativi illi cultor et contentus, quoniam neque ad hominem neque ad cui accommodari possunt neque animus bonus malusque sibi adiungi patitur, quæ ad solum bonum pertinent. Scribendum

simpliciter: honesti *cultorem*, virtute *contentum*. Oscitans librarius accusativis nominativos substituit, ad animus, quod proximum erat, referens. [Paulo ante cum oblitus essem in numerum referre, quod in margine annotaveram, scribendum videri: *Licet* et ita finire, ubi editur libet, idem Geertzio in mentem venit.]

Ibd. 5, 3: Tunc enim pura mens est ... cum non tantum lacerationes, sed etiam vellicationes effugerit. Uno prope hoc loco in Senecæ libris sine codicum auxilio vitiosum coniunctivi perfectum duabus litteris ab indicativo (effugit) distans corrigendum est. (Cfr. ad quæstt. nat. IV, 2, 22.)

Ibd. 6, 2: Videt et in illis qui summum bonum dixerint, quam turpi illud loco posuerint. Sic A. Solus enarrare potuit Fickertus, qui et subiectum verbi videt invenisse sibi videtur et in illis docet esse in voluptatibus, etsi id nomen in proxime præcedentibus nusquam ponitur. Ceteri licenter interpolant (velut: *Videant* et *illi*, qui summum bonum *voluptatem* dixerunt); Haasius autem hunc tristem aspectum oculis obiicit: * * [voluptates] * * videt cet., unum voluptatum nomen ex lacuna emergere iubens, ut eo referatur in illis. Omnia optime habere et aptissime scripta esse omnes, opinor, confiterentur, si hæc in codice principe legerentur: Videte, in visceribus (in ventre) qui summum bonum dixerunt, quam turpi illud loco posuerint, nisi quod fortasse requirerent esse; ita demum recte loci turpitudinem nominari. Atqui hanc ipsam sententiam Seneca posuit, tantum pro visceribus (Cic. Tusc. V, 27) contemptiore usus vocabulo; scripserat enim: Videte, in *hillis* qui summum bonum dixerunt, quam cet. (ἐν ταῖς χόλιξιν). (Proxime ante *offutura* pro optimis revocandum esse, interdixi mihi ne moneam. Et quis prudens admonendus est?)

Ibd. 7, 4: Nunquam enim recta mens vertitur nec sibi odio est nec quicquam mutavit optima; at voluptas tunc, cum maxime delectat, exstinguitur. Sic A (etiam B ceterique fere omnes, unus et alter in una duabusve litteris aberrans) sine sensu in illis mutavit optima, prave etiam, ut ad Marc. 21, 4, inter præsentia intermixto perfecto. Editiones ante Fick. fere duorum codicum pessimorum interpolationem secutæ erant (mutavit, quia semper secuta est optima). Ut illo consolationis loco, ita hic quoque perfectum natum est conflata cum verbo proxima voce. Seneca scripserat: nec quicquam *mutat a via* optima; at voluptas cet.

Ibd. 8, 4: Erit vera ratio sensibus insita et capiens inde principia; nec enim habet aliud, unde conetur aut unde ad verum impetum capiat, in se revertatur. Ferri non potest futurum erit inter superiora: Incorruptus vir sit externis ..., fiducia eius non...sit; maneant illi...et subsequens revertatur; longe enim aliter interiicitur: intelligitur, compositum fore cet. Tum, ut omittam rectius Senecam dicturum fuisse: erit ... insita et capiet inde quam capiens, prave sine copula transitive adiungitur: in se revertatur. Ad sententiam quod attinet, nemo Stoicus veram rationem in sensibus insitam dixit, quod ipsum est Epicuri decretum, etsi non rationem, sed veritatem ibi esse dicebat. Cod. A habet: erat vera ratio...inrita (Col. irritata) cet. Iam qui Stoicorum de cognoscendi et percipiendi initiis decreta novit, non dubitabit, quin Seneca scripserit: *Eat* vera ratio sensibus *irritata* (nam *τῶν αἰσθήσεων* impulsu ad cognoscendum animus movetur) et, capiens inde principia (nec enim habet aliud, unde ... impetum capiat), in se revertatur. (Cap. 9, 4 dubito, an in virtutibus animi, quibus summum bonum constare dicitur, Seneca potius *stabilitatem*

[redacted]

quam subtilitatem nominaverit. Lipsio in mentem venerat sublimitas.)

Ibd. 10, 1: Testor hanc vitam, quam ego iucundam voco, non sine adiecta virtute contingere. Hoc genus loquendi (sine cum participio) in præfatione Livii a me et Ussingio editi vol. I p. 1 p. XX (ad III, 52, 2) ostendi non prorsus inauditum esse, addoque sic apud Varronem l. L. X p. 166 Bip. scribi: sine assumpta aliqua re extrinsecus perspici non potest, et apud Ciceronem de fat. 41: sine præpositis causis. Cum tamen in A scribatur: non si adiecta, fieri potest, ut Seneca scripserit: non *nisi* adiecta, eodem modo non nisi posito, quo Celsus, Quintilianus, Plinius minor posuerunt (Hand. Turs. IV p. 252). Infra (§ 3) non potuit Seneca scribere, quod editur: virtus ... voluptates æstimat, antequam admittat, nec, quas (sic recte emendatum est; codd. quasi) probavit, magni pendit, utique enim admittit, nec usu earum, sed temperantia læta est; nam neque utique virtus voluptates admittere recte dicitur nec hoc ullo modo valet ad confirmandum (enim), eam eas non magni pendere. Videtur scribendum: nec ... magni pendit *aut* utique *etiam* admittit, cet.[1])

Ibd. 12, 3 vix audeo dicere, dicam tamen, non sana esse, quæ sic scribuntur: Desinant ergo inconvenientia iungere et virtuti voluptatem implicare, per quod vitium pessimis quibusque adulantur. Non potuit iudicium vel perversissimum de summo bono finiendo vitium appellari. Seneca, ni fallor, scripserat:

---

[1]) Nihil vidi usquam in hoc genere indignius spretum quam in c. 11, 4 ab Haasio Gronovii emendationem: e suggestu rosæ spectantes (vid. supra p. 341 n.) aut a Fick. et H. hoc esse pro hos esse.

per *quam* (voluptatem) *vitia* pessimis quibusque adulantur. Id deinde exponit Seneca: Ille ... scit se cum voluptate vivere; credit et cum virtute.

Ibd. 13 ei emendationi (in § 3), quam vol. I p. 32 posui, minores aliquot addendæ sunt. Nam primum quod § 2 scribitur: bonum malæ rei quærit auctorem et, dum illo venit blando nomine inductus, sequitur voluptatem non quam audit, sed quam attulit, cet., satis et ex toto loco et ex verbis audit, attulit, apparet non agi de illo tempore, quo ad Epicuri scholam homo accedat (dum venit), sed de illo, quo iam ibi sit et præcepta exponi audiat; itaque scribendum est: et, *cum* illo venit, cet. Deinde quæ sequuntur, sic scribenda et interpungenda sunt: indulget illis (vitiis suis) non timide, nec obscure luxuriatur, *sed* (pro et) *inoperto* capite. Et inoperto iam superiores editores, quo composito Seneca usus est de otio 3 (30). (*Nude luxuriari* nihil est.) Paulo post (3) in A sic scribitur: Constanti tibi pudicitia veritas salva est, ubi recte a Gronovio virilitas substituta est. Sed neque constans pudicitia neque virilitas pudicitia salva ferri potest, scribendumque est sublato apertæ originis mendo: *Constat* tibi pudicitia, virilitas salva est, nulli corpus tuum cet. Tum § 4 quod in codicibus est: Qui voluptatem sequitur, videtur enervis, fractus, degenerans vir, perventurus in turpia, nisi aliquis distinxerit illi voluptates, recte post superiores ante Fickertum Haasium quoque offendit viri nomen inepte positum (et pravo loco); sed quod uncis sæpsit, non sensit, quod Muretum non fefellerat, etiam degenerans prave pro eo, quod est degener, poni. Itaque Muretus degenerans a viro scripsit; debuerat propius ad codicum vestigia degenerans *virum*. Sic enim Seneca scripsit poetarum exemplo, ut ipse sæpe et ut alii huius ætatis.

Valerius quidem Maximus etiam passive degeneratum patrem dixit, a quo filius degenerasset.

Ibd. 14, quoniam initium capitis supra p. 340 emendavi, restant § 2 hæc: Ut feras cum labore periculoque venamur ..., ita habentes magnas voluptates in magnum malum evasere captæque cepere, in quibus cum appareret eos, qui haberent voluptates, non evadere in malum, nec posse omnino diversum esse verborum evasere et cepere subiectum, alii alia tentarunt, Bentleius, cuius coniecturam Hauptius (I p. 3) protulit et probavit, scribi voluit: habenti magnas voluptates cet., parum feliciter; nam sic quoque incommode voluptatum nomen, quæ cum feris comparantur, primum pro obiecto positum deprimitur, deinde in eadem sententia subiecti loco emergit (scribendum erat: ita magnæ voluptates habenti); tum, ut præcedit dominos, scribendum erat habentibus vel potius fruentibus. Sed salva res est scribendumque: ita *habent se magnæ* voluptates: in magnum malum evasere captæque cepere. Cum ex habent se factum esset habentes, secutum est magnas.

Ibd. 15, 6: Quæ autem dementia est potius trahi quam sequi? tam mehercules quam stultitia et ignorata condicionis est suæ dolore quod est aliquid aut incidit durius æque mirari aut indigne ferre ea, quæ tam bonis accidunt quam malis, morbos dico, funera, cet. Sic A (B, alii leviter deflectentes). Pridem restituta sunt ignoratio et dolere. Sed est aut incidit contraria poni nullo pacto possunt (nam quod incidit, est); itaque editiones aliquot iam ante Fickertum licenter: quod aliquid tibi incidit durius, quod in uno codice interpolato esse dicitur. Scribendum est littera geminata: quod *deest* (deest) aliquid; nam et desiderio eorum, quæ non habemus, et si quid

durius incidit, dolemus. Deinde autem æque, ut sæpe, ex *atque* ortum est, ut hæc efficiatur forma: dolere, quod dest aliquid aut incidit durius, atque mirari aut indigne ferre cet.

Ibd. 16, 1: Deinde (suadebit virtus), ut sis immobilis et contra malum ex bono. Abundat vitiose et, quod Lipsius proximique sustulerunt. Rectum erit: et contra malum (ne admittas) *et* ex bono (ne ex eo emoveare).

Ibd. 17, 2: Cur auum disponitur? Cur arbores nihil præter umbram daturæ conservantur? Sic A 1; secunda manus fecit arvum, quod miror Haasium recepisse; nam arvum neque disponitur, neque eius dispositio, si ulla esset, ad vitæ et cultus elegantiam pertineret. Alii longe discedunt: Cur autem domus disponitur? (Fickertum omitto.) Poterat in mentem venire aurum; sed potius argentum (vasa abaci et triclinii argentea) nominari debebat, quæ dispositio infra significatur: nec temere...collocatur argentum, sed perite struitur (sic enim recte Lipsius et Dousa pro servitur, quod qui servant, videntur putare eodem modo pro eo, quod est ministrare, dici, quo Gallicum servir; nec melius servatur). Relinquitur, quod primum tanquam aptissimum occurrere debebat, ut ex *u* faciamus *tri* scribamusque: Cur *atrium* disponitur (et imaginibus stemmatisque ornatur ad splendorem)? Tum recte ante Fickertum usque ab Erasmo scriptum fuisse conseruntur, si non ostenderet inepta conservationis mentio in elegantiæ studio, satis declararet daturæ; nam conservantur arbores umbram iam dantes. Vel ex hoc uno loco et his tribus scripturis (auum, conservantur, servitur) codicum ex A pendentium coniunctio et eius librarii, qui eum aut illum, unde ductus

est, scripsit, inscitia et negligentia, sed simplex, intelligi potest.[1])

Ibd. 19, 3 (ubi de adigit revocando dixi supra ad Cæsar. b. G. III, 14) primum ponendum videtur: et (sic iam superiores pro aut) *maledice* (pro maledici) in alienam contumeliam venusti sunt, nisi maledici additum est ad venusti; deinde hæreo vehementer in his: Crederem illis hoc vacare, nisi quidam ex patibulo suos spectatores conspuerent; intelligerem, si scriptum esset: Vix (non) crederem hoc illis vacare (id est, huius rei iis otium et animum esse, cfr. c. 27, 4 et 6), nisi (quod æque mirum et incredibile videtur) quidam cet. Exciditne non post sunt? Ceterum scribendum: ex patibulo *suo* spectatores. (Eundem geminationis errorem superiores vitaverant, Fick. et Haasius recoxerunt 26, 4: præsentibus lætus, futuris securus pro futuri.)

Ibd. 20, 3: Qui sibi hoc proposuit: Ego mortem eodem voltu cum audiam quo videbo; ego laboribus, quanticunque illi erunt, parebo, animo fulciens corpus, cet. Sic A. Apparet prioribus verbis significari debere mortis summum contemptum et animum, qui nihil ea moveatur. Ab ea sententia aberrat, quod licenter in aliis codicibus interpolatum in editiones superiores plerasque pervenit: Ego mortem eodem vultu audiam, quo videbo (edd. aliquot iubebo et vid.); nam mortem audire (quod inepte dicitur de mortis denuntiatæ nuntio) minus est quam ipsam videre, omninoque mire languet mortis audiendæ et

[1]) De non ut optimis restituendo § 3 et debiles (vocativo casu) § 4 cum Gronovio, dicere pudet. Cap. 18, 3 scriberem: *videlicet* (pro vides enim) non virtutis scientiam, sed egestatis professus est, ut cum ironia dici appareret, nisi retineret me eodem modo cum ironia et negationis significatione positum vides enim in quæst. nat. VII, 27, 4. Eodemne modo bis erratum est?

videndæ comparatio; iubendæ mortis mentio a toto loco alienissima est. Quod Haasius scripsit, quo transposito: vultu, cum quo audiam, videbo, etsi apertam illam pravitatem comparationis vitat, tamen comparationem ipsum habet ineptam. Nam quoniam plerique audita mortis denuntiatione vehementer terrentur, non magnum est eodem vultu mortem videre; præterea *cum hoc vel illo vultu mortem videre* Latinum vix est (et debebat dici *cum eodem vultu, quo*). Videat mihi nunc aliquis, quam apta (apud Senecam pleraque exaggerantem), quam fortis et vehemens nascatur sententia ex vestigiis codicis A non turbatis: Ego mortem eodem voltu *comœdiamque* videbo, hoc est, immoto; nam ne ad risum quidem vultum comœdiam spectans detorquebit ille tumide exornatus philosophus Stoicus. Mox § 6 recte Bongarsius ex eo, quod prima manu in A scriptum est, hisate, faciebat hiate. Ad mordendum spectat hiare, ad loquendum hiscere. (Errorem de aliubi in § 3 Haasius ipse in præf. vol. III correxit.)

Ibd. 21, 1 ut tribus primis locis (et tamen vivit ... et tamen illam ... et tamen, si licet), sic etiam quarto scribendum est: et inter longius tempus et brevius nihil interesse iudicat, *et* tamen (v. om. et), si nihil prohibet, extendit ætatem.

Ibd. 22, 2: Non contemnet se sapiens, etiamsi fuerit minimæ staturæ, esse tamen se procerum volet; et exilis corpore ac amisso oculo valebit, malet tamen sibi esse corporis robur. Oculum amissum nihil ad corporis robur pertinere, Haasius intellexit; (nam alia corporis vitia virtutesque separatim commemorantur). Arguit vitium ac vocali præpositum. Sed amisso oculo nemo extrinsecus addidit. In culo tenetur terminatio adiectivi deminutivi, scriptumque ad hanc formam a Seneca fuerat: et exili corpore ac

macriusculo (*tenuiusculo?*) valebit, malet tamen cet.

(De c. 23, 2 dixi vol. I p. 68; de tollendo § 4 et post volet ibd. p. 39.)[1])

Ibd. 24, 3 revocandum est ex A (aliisque), quod iniuria mutatum iam a superioribus erat: Potest itaque pecunia etiam intra limen suum diffundi (hoc est, se diffundere) et liberalitatem exercere. Nihil vetat hoc ad ipsam pecuniam transferri. (Paulo ante quem vol. I p. 39 correxi errorem, Haasii est, non ceterarum editionum.)

Ibd. 25, 2: Pone in instrumentis splendentibus et delicato apparatu: nihilo me feliciorem credam, quod mihi molle erit amiculum, quod purpura convivis meis substernetur. Multas magnam meam: nihilo miserius ero, si lassa

---

[1]) Ibd. quod post hæc: Habebit itaque (sapiens) opes, sed tanquam leves et avolaturas; nec ulli alii nec sibi graves esse patietur, continuo sic scribitur in codicibus: Quid donabit? erexistis aures; quid expeditis sinum? donabit aut bonis aut iis, quos facere poterit bonos, Haasius autem posuit: credo, erexistis, apparet, inepte interrogari: Quid donabit? (aut Quid? donabit?), ubi continuari debet affirmando eadem de sapienti prædictio, quæ cœpta est in illis: habebit . . . patietur. Contra illud erexistis aures, prorsus ei, quod sequitur: quid expeditis sinum? respondens, eodem modo proferri debet. Apte igitur hæc unius vocis transpositione plana et recta effecerant editores inde a Curione ante Fickertum: patietur; donabit (quid erexistis aures? quid expeditis sinum?), donabit aut bonis aut cet. Ad auditam vocem donabit Seneca fingit philosophorum obtrectatores, quos alloquitur, spe muneris concepta, aures erexisse, sinum, in quem donum recondant, expedire; deinde ita pergit, ut spem eorum frustretur. Fickertus quid ante erexistis addidit, sed simul ante donabit prave retinuit.

cervix mea in manipulo fœni acquiescet, cet. Sic A (B, G, ceteri leviter deflectentes). Tribus illis verbis Multas magnam meam superiores editores adeo, quid facerent, nescierunt, ut prorsus abiicerent. In multas subesse, quod præcedenti pone respondeat, muta, eodem modo sequente nihilo, sensit, quem libenter, ubi possum, laudo, Fickertus; sed longius eum successus non provexit; nec favit fortuna Haasio. Effecto muta, in smagnam meam quid lateat, non difficulter reperitur, quod, illo non invento, tamen senserat pęnę antiquus ille Rudolphus Agricola. Latet enim: Muta *stragula mea*: nihilo cet. (Ad stragula adhæsit *m* ex mea, deinde factum est meam. Mox quid in causatus et sententiis lateat, nescio. De § 1 dixi supra p. 253 n., de § 4 vol. I p. 40. Extremo capite, § 7, quam positurus eram emendationem: incitamusque *acerrime*. Ergo paupertati cet., in eam post vidi Haasium incidisse præf. vol. III p. XXIV.)

Ibd. 26, 3: Sicut barbari plerumque, inclus et ignari machinarum, segnes laborem obsiden tium spectant. Prave copulantur inclusi, quo tempus significat, et ignari mach., quod habitum et eo causam rei. Scrib. plerumque inclusi, igna machinarum, segnes cet. Paulo post (5) hæc legunt in codicibus, tanquam ex sapientis ore prolata: Existi matio me vestra non meo nomine, sed vestr movet, quia calamitates odisse et lacesser virtutem bonæ spei eiuratio est. Præterquam quo in calamitates mendum manifestum est, et sententi (neque enim omne odium damnatur) et concinnitas (la cessere virtutem) postulant obiectum verbi odisse Scriptum igitur erat hac forma, si non his verbis: qui *calamitas est* [*sapientes*] odisse. § 6, ubi poeta Iovem raptorum ingenuorum corruptorem induxisse dicitur miror abundantiam verborum suspicorque A idem habuisse quod B et alii habent, raptorem, Senecam autem scrip

sisse tantum: raptorem ingenuorum, alterum declarandi causa adscriptum esse. Sed quicquid de hoc statuitur, non ambigitur, quin in iis, quæ infra (7) leguntur: Suspicite virtutem ... et ipsam ut deos et professores eius ut antistites colite, et, quotiens mentio sacra litterarum intervenerit, favete linguis, mendum sit, quoniam neque mentio sacra dici nec, quod Stephanus sensit, litteræ ullo modo sic pro philosophia, nedum pro ipsa virtute, appellari possunt. Admodum suspicor Senecam scripsisse: *sacrarum vitarum* (eorum, qui ita virtutem et professi et agendo exsecuti sunt, ut sacra videatur vita).

De tranquillitate animi cap. 1, 2: Illum tamen habitum in me maxime deprendo ... nec bona fide liberatum eis, quæ timebam et oderam, nec rursus obnoxium. Opinor, duabus litteris geminatis scribendum: nec bona fide liberatum *me* eis, quæ cet. Ipse homo, non habitus liberatur. (§ 10: placet viam præceptorum sequi; ad Cic. fin. p. 460 ed. II.)

Ibd. 2, 2 (nam 1 bene Haasius emendavit, ut dixi p. 341 n.) editur: Opus est itaque non illis durioribus, quæ etiam transcucurrimus. Scr. quæ *iam* transcucurrimus (et quorum necessitas præteriit). (Pingel).[1] Infra (6), ubi editur: qui non inconstantiæ vitio parum leves sunt, sed inertiæ, et vivunt non quomodo volunt, sed quomodo cœperunt, manifestum est, in iis, qui parum leves (non leves) sint, nemini in mentem venire inconstantiam accu-

---

[1]) Cum hunc libellum a. 1855 cum philologiæ studiosis pertractarem, complures loci ab iis, partim me mendum monstrante, partim sponte emendati sunt. Iis emendationibus eorum nomina gratæ illius temporis memoriæ causa adscribo.

sare. Revocandum e codicibus constantiæ, ut cum acumine aliquo Seneca dicat, quod in his hominibus desideretur levitas, non constantiæ alicuius culpa fieri. (§ 7 eodem modo, quo Hauptius I p. 6, a. 1855 emendaveram. De § 1 cfr. vol. I p. 59 n.; sed ita iam Bentleius iudicaverat.) Sub finem capitis (13), ubi describitur levitas hominum loc mutantium, primum exhortatio ipsorum ponitur: Nun Campaniam petamus, deinde a Seneca interiicitu mutatæ voluntatis notatio: Iam delicata fastidi sunt; tum nova hinc exhortatio nascitur: Incult videantur [*visantur?*]; Bruttios et Lucaniæ sal tus persequamur; rursus sequitur fastidii notatio inde oriens novi loci petendi consilium: Aliquid tame inter deserta amœni *requiritur*, in quo luxurio oculi longo locorum horrentium squalore rele ventur. Tarentum petatur laudatusque portu cet. Sic enim pro requiratur (quod ipsum verbu ab exhortatione valde alienum est) scribendum es (Christensen-Schmidt.) Sequitur (15): Infirmi sumu ad omne tolerandum, nec laboris patientes ne voluptatis, nec nostræ nec ullius rei diutiu ubi scire velim, quo pertineat nostræ; nam a rei divel et cum voluptatis coniungi neque per orationis legem pote nec ita ullus efficitur sensus; sed nihilo melius dicitu homines non esse suæ rei. Nisi fallor, nostræ accommo datione natum est, cum Seneca scripsisset: neque *nostri* neque ullius rei diutius, hoc est, neque nobismetip sis addicti et nostræ potestatis neque ulli rei obnoxii et servientes diutius, perpetuo dominos mutantes. [1])

---

[1]) Cap. 8, 4 adiuvanda nonnihil Scaligeri emendatio, ut scribatur: quantum *gratuito* bonum (pro gratuitorum hominum) sit bona conscientia. Adverbium adiungitur ad parandi notionem inclusam in verbis quantum sit bonum.

[redacted]

Ibd. 4, 5: Non vis enim nisi consul aut prytanis aut ceryx aut sufes administrare rempublicam.' Hoc verum credi poterit, si quis ostenderit, in civitate aliqua non ignobili et cuius lectoribus Senecæ in mentem venire potuerit, summum magistratum κήρυκος nomine appellatum. Id quia ostendi, ut opinor, non potest, scribendum iudico *meddix*, ut de Capua antiqua cogitetur. Sequitur (6): Nunquam inutilis est opera civis boni: auditus est visusque voltu, nutu, obstinatione tacita incessuque ipso prodest. Sic A (et Haasius); verum hoc erit, si est sustuleris: auditus visusque (hoc est, dum auditur et videtur, et eo, quod auditur videturque), voltu, nutu ... prodest. (Auditu, visu, hoc est, ipse audiendo videndoque non prodest.) Deinde oratio sic [cum Vogelio] interpungenda est: ita virtus utilitatem etiam ex longinquo et latens fundit. Sive spatiatur et se utitur suo iure, sive precarios habet excessus..., in quocunque habitu est, prodest. (Prosit, quod Haasius e codd. et antiquis edd. revocavit, æque pravum est ac § 1 ne ego pro nec ego.)

Ibd. 5, 1: Poteratne illa civitas conquiescere, in qua tot tyranni erant, quot satellites essent. Nugatorium hoc ad significandam tyrannorum multitudinem (significantur autem οἱ τριάκοντα); longe enim aliud est, tantam fuisse licentiam, ut ipsi satellites pro (totidem) tyrannis essent, quod potest sub uno tyranno accidere. Sed mendum subesse satis declarat post erant in priore membro vitiose in altero positum essent, pro quo prorsus licenter in editione Tarvisina substitutum posteaque diu retentum est (etiam apud Erasmum et Lipsium) erant. Atqui ipse modus condicionalis certam ostendit corrigendi viam. Scribendum est enim: in qua tot tyranni erant, quot *satis* satellites essent. Satis poterat videri tyrannum triginta satellites habere. Sententia etsi tam perspicua aptaque est, ut confirmatione

non opus sit, adscribam tamen similem Ovidii sententiam ex Ponto II, 1, 43 et 44: *Totque* (narrasti) *tulisse duces captivis addita collis vincula, pæne hostes quot satis esse fuit.* Quam facile satis exciderit ante satellites, patet. Sed viderat verum iam Lipsius (nisi quod sat scripsit), cuius coniecturam cum Fickertus non commemorasset, iterum facienda mihi fuit. § 3 quod scribitur: et in florenti ac beata (rep.) pecuniam, invidiam, mille alia inermia vitia regnare, recte Pincianus aliique viderunt, pecuniam non esse vitium nec posse cum invidia coniungi. Scribendum videtur calumnia, cuius vocis duæ primæ litteræ post ta excidere potuerunt, sed præterea inertia, quæ correctio in margine codicis recentissimi annotata est; nam neque armata neque inermia vitia recte dici videntur. De § 5 (quam nequam vivere) dixi vol. I p. 44 videorque mihi felicior fuisse quam Hauptius (I p. 6); nec ut opinor, quod cum ironica quadam urbanitate dicitur, credo esse, cur a superioribus abiungatur.[1])

Ibd. initium capitis 9 frustra coniecturis tentatur. Sine parsimonia nec ullæ opes sufficere dicuntur, sed semper maiores necessariæ esse quærique, nec ullæ non satis patere (et omnes satis patere, ut exire dissiparique aut rapi ab aliis possint). Sed in § 2 manifesti et gravis mendi eorum verborum, quæ sic in A scribuntur: Discamus ... frugalitatem colere etiamsi mulos pudebit ei plus (manus sec. supra os scripsit h, unde B et Pal. 4 simul hos), ideo difficilius est certam correc-

[1]) Cap. 6, 3 oppressit commendavi vol. I p. 35, oblitus addere, sic superiores ante Fickertum edidisse. Cap. 8, 8 recte Muretum omnes ante Fickertum et Haasium secuti erant scribentem: nisi *cui* (A quid) facillime negat, sibi. Nihil sane felicitatis erat id, quod deberetur, sibi negare posse, nisi creditori negari posset. De genere mendi dixi vol. I p. 68. Cfr. III de benef. 26, 2 ubi recte edebatur: eius, cui (codd. quod).

ionem reperire, quod in hoc uno membro huiusmodi conlicio aut concessio additur, cetera simpliciter ponuntur continentiam augere, luxuriam coercere cet.). suspicor tamen sic scriptum fuisse: etiamsi *multos* udebit *templi eius*, lusu ducto ex colendi verbo. Quod sequitur: animum in futura eminentem velut ub vinculis habere, vix fieri potest, ut non *imminentem* eneca scripserit. Mox § 3 necessario post generalem sententiam e calamitatibus interdum utilibus in verbis sanata sunt rminatam nova nascitur sententia ad animi castigationem oectans: Ubi parum audit præcepta animus nec urari mollius potest, quidni consulitur, si ei codd. si et) paupertas, ignominia, rerum eversio dhibetur? Sed in hac affirmationis per interrogandi peciem forma constans et frequens et aliorum et Senecæ sus coniunctivum postulat (de v. beat. 16, 3, de brev. it. 11, 2, de benef. V, 5. 3 et 6, 1 et 25, 2, VI, 19, 2, 'II, 25, 2, epist. 6, 1 et 3, cet.). Itaque, si nihil aliud ubest mendi, scribendum est *consulatur*. (Nam potest uisse: quidni consulatur durius? et consulitur, si et.). Illud certum est, paulo post ex A scribendum esse: ıdsuescamus ergo cenare posse sine populo et ervis paucioribus *servire* et vestes parare, in uod inventæ sunt, ubi editur serviri, barbare (*servior* pro eo, quod est: *ministratur mihi*). Acute ludens eneca significat ipsos dominos servire servis, quibus carere nequeant et quorum delicias ferant. § 5, ubi codices abent: sicut et Livius, editiones ante Fickertum particulam incommodam omittunt, scribendum est: sicut T. ivius. Tum quod et in codicibus est et editur: sicut lerisque, ignaris etiam servilium litterarum, ibri non studiorum instrumenta, sed cenationum ornamenta sunt, nullæ erant serviles litteræ, nelum dominis addiscendæ. Scriptum fuit olim: etiam *puerilium* litterarum. § 6 ex eo, quod in codicibus

est: Honestius, inquis, hoc te impensæ quam in Corinthia pictasque tabulas effuderint, in exercitationibus, quas dixi, effectum erat: *hac se* impensæ quam cet., sed præstare videtur huc, quod Hauptius (II p. 5) posuit. (§ 7 scr. conquisita *ac* cum imaginibus suis descripta sacrorum opera ingeniorum. Codd. conquisita cum im. s. desc. et sacr., edd. superiores: conquisita et cum im. s. descripta sacrorum.)

Ibd. 10, 1: Invenies in quolibet genere vitæ oblectamenta et remissiones et voluptates, si volueris mala putate via potius quam invidiosa facere. Sic A. Efficitur facile et sine dubitatione: si volueris mala *putare levia* potius quam invidiosa facere. Mala æstimatione prudenti levanda potius sunt quam querendo magna et invidiosa facienda. Putarele coaluit, ut fieret putate, relicto via. (§ 6 deflectam ab instituto dicamque necessariam esse Lipsii coniecturam: iustitia, mansuetudine, humanitate, non solum, quod et *mansuetudo humana* perverse dicitur et *humana manus*, accedente vitiosa copulatione: humana, larga et benigna, sed ob inæqualitatem membrorum. Secundos casus tuetur Suetonii locus in Oth. 9, non ut sint infelices, sed omnino qui quasi secundo ordine appropinquant.)

Ibd. 11, 1: sed corpus quoque suum et oculos et manum et quicquid cariorem vitam facturus æque ipsum inter precaria numerat. Sic A; editur aut: est cariorem vitam facturum seque aut: car. vit. facturum est seque. Futuri temporis significatio parum apta est. Seiuncto *s* (seque), ut restet facturu, efficiendum videtur: e. q. c. v. *facit usu.* Instrumenta vitæ significantur. Deinde § 3 in A ceterisque scribitur: Magna quidem res tuas mercede colui, sed quia illa imperas, do, cedo gratus libensque. Pronomen

illa et ipsum per se et numero pravum editores præter Haasium sustulerunt; scribendum erat: sed quia *ita* imperas. (Rosing.)[1]) (Ex eodem A Haasius proxime ante edidit: Quandocunque...iubebitur, non queretur ..., sed dicit pro dicet. Hoc est bonis codicibus, id est, non interpolatis, ad scriptorum orationem corrumpendam uti; sed in hoc genere permulta delicta sunt.[2]) In § 6 neque qui sciat ferendum neque qui scit, quod ex Erasmianæ prioris errore propagatum est, sed restituendum ex antiquissimis edd. qui sciet. Sed recte codices: nihil unquam pro homine vivo faciet, hoc est, tanquam vere vivus ac non semimortuus.) Venio ad § 7, quo loco nescio an nullus aptior sit ad demonstrandum, quam omnia in his libris a codicis A prima manu pendeant, quidque ei sit adhibendum auxilii. Sic enim in eo scribitur: Multos ex iis, quos forum, curia, sermo mecum contraxerat, nox abstulit et iunctas ad sodalium manus copuatas interscidit. Ex copuatas corrector fecit copulatas; itaque sic in ceteris scribitur, sed in iunctas, ut solet fieri, aberrant nonnulli ad vinctas (victas), pro interscidit plerique præter B intercidit aut intersidit. Tum vero factum in Colon. copulatasque. Editores, cum Erasmus recte scripsisset ad sodalitium, ante Fickertum hæc tenuerant: et vinctas ad sodalitium manus copulatas intercidit. Is offensus vitiosa participiorum coniunctione pro

---

[1]) De const. sap. 7, 1 recte edebatur: dicas ita, ut soles, Haasius e codicibus vitiose: dicas ista, ut soles.

[2]) De ira I, 12, 1 hæc Haasius continuavit: non irascitur, si... viderit? Non irascetur, sed vindicabit; ibd. 16, 2 hæc: temptabit, contineberis, mitteris, adhibetur. Æque prave, atque hic dicit, c. 16 init. a Fickerto et Haasio sequetur pro sequitur repositum est.

copulatas recepit, quod Lipsius „in ora libri" alicuius reppererat, capulus et simul interscidit; Haasius autem copulatas tenuit, pro iunctas scripsit iunctis, mire copulatis manibus iunctos iam homines præponens. Ex his omnibus unum illud aliquam habet non ad ipsam veram scripturam, sed ad rectam orationis formam appropinquationem, quod ignotus homo, qui capulus annotavit, intellexit nocti homines auferenti adiunctam fuisse a Seneca aliam imaginem personæ reive manus iunctas interscindentis eiusque nomen latere sub copulatas, quod vitiose præcedenti iunctas superadditur. Id autem in A, ut dixi, est copuatas. Quid igitur hæ litteræ significant? Nimirum *copiates* (ὁ κοπιάτης) est, qui scrobem cineri cadaverive fodit (Todtengräber), notum nobis nomen e codice Theodosiano et scriptoribus Græcis inferioris ætatis, cuius nunc primi seculi auctorem Senecam nanciscimur. Quis aptior ad manus interscindendas? Nondum hoc caput absolvimus. Nam § 9 hæc leguntur: Quæ sunt divitiæ, quas non . . . mendicitas a tergo sequatur? quæ dignitas, cuius non prætextam et augurale et lora patricia sordes comitentur et exportatio, notæ et mille maculæ et extrema contemptio? Sed augurale nusquam de veste ornamentove augurum positum legitur, nec recte inter prætextam, quæ sacerdotum quoque fuit, et lora patricia unius sacerdotii proprium insigne interponitur; apta et recta oratio erit, ubi, sublato priore et additaque lineola, scripserimus prætextam auguralem et lora patr., ut duo nomina duobus adiectivis adiunctis exempla dignitatis ponantur. Tum exportatio quæ esset, iam Lipsius et Gronovius negarunt se scire, etsi ille pro deportatione accipere conatus est, nec ferri ullo modo potest omissa inter exportatio et notæ copula. Scripserat Seneca: sordes comitentur et *exprobratio* notæ et mille maculæ cet.

[redacted]

Ibd. 12, 1: ne aut labor irritus sit sine effectu aut effectus labore indignus. Liberabitur oratio vocabulo vitiose inutili et recte pondus bis in idem vocabulum incidet, si sic scripseris: ne aut labor sit sine effectu aut effectus labore indignus. Sequitur § 4: Deinde domum cum supervacua redeuntes lassitudine iurant nescisse se ipsos, quare exierint, ubi fuerint, cet. Grammatica postulabat exirent, essent; sententia ridicula est, se, cum exirent (eo enim necessario refertur perfectum) nescisse, ubi post fuissent. Rectum est: iurant *nescire* se ipsos, quare exierint, cet. Hoc est concursationem suam damnantis iusiurandum: Nescio, cur exierim. (Nutzhornius 1855.) Tum iniuria Haasius rediit contra codices ad editionum ante Gronovium scripturam: Non industria inquietos, sed insanos falsæ rerum imagines agitant. Non, quid in altero e duobus generibus non fiat, in altero fiat, dici debet, sed de utroque genere utrumque. Sed oratio sic interpungi debet (ut fit in ed. Bipont.): Non industria inquietos et insanos, falsæ rerum imagines agitant, ut audiatur sed.[1])

Ibd. 14, 1 edebatur e vulgaribus codicibus: nec mutationes aut consilii aut status pertimescamus. Haasius ex A mutatione; debebat mutationem. Extremo capite § 10 (nam § 7 iam Muretus iubet) scriben-

---

[1]) Cap. 13, 3 annotaveram, pro eo, quod nunc editur sine ulla varietatis mentione: Inprimis autem cogitavit, aliud posse propositis suis resistere, necessario scribendum esse *aliquid* posse. Verum sic recte scribitur in omnibus editionibus antiquioribus (etiam in Bipontina), donec aliud, nescio ubi typothetæ errore ortum (— ego in prima vidi editione Lips. 1702 —), a Ruhkopfio recentioribusque propagatum est, a Fickerto ita, ut de codd. et vett. edd. taceret.

dum est: Nemo diutius philosophatus est. Non raptim cet. (vulgo: philosophatus. Sed non cet.)

Ibd. 15, 1 sententiæ sic separandæ sunt: ... turba. Cum cogitaveris, ... splendeat, agitur animus cet. § 3 codices: et nihil magnum, nihil severum, ne miserum quidem putat (qui omnia ridet). Scribendum: nihil magnum, nihil *serium*, ne miserum qu. putat. Severitas nihil hic agit. § 4 extr. recte Fickertus iudicavit, duo vocabula (nichilo natus) in ipso codice A notata nec ullo vinculo cum ceteris coniuncta simpliciter tollenda esse. Inciderat librarius in folium paginamve alienam ab illis incipientem, deinde se repressit.

Ibd. 16, 1 sic separandæ sententiæ sunt: ... adducere. Ubi bonorum exitus mali sunt (ut Socrates cogitur ... palam facere), necesse est torqueri cet. De § 2 dixi vol. I p. 58.[1])

In ceteris libellis dixi supra me ordinem Haasii secuturum. Itaque primus occurrit **de providentia.** Ibi cap. 3, 1 sic editur: His adiiciam fato ista sic et recte eadem lege bonis evenire, qua sunt boni. Prave coniungitur sic (de ipsa rei forma) et recte (quod iudicium continet); nec omnino, quid recte fiat, quæritur, sed qua vi et lege. In A scribitur: fato ista sic ei recte eadem lege. Efficitur: fato ista sic *ire et* eadem lege bonis evenire, qua sunt boni.[2])

---

[1]) Quoniam in extremis capitibus nihil fere propriæ emendationis est, notabo orationem ab Haasio, dum codice A solo aut aliis adiunctis abutatur, corruptam esse his locis: 16, 8 (homines), 17, 2 (per se inornata, post Fick.), ibd. 8 (sint), ibd. 5 (emissi).

[2]) Cap. 4, 7 necessario revocandum est, quod ante Fickertum erat in editionibus: Grave est teneræ cervici iugum. Non agitur de gravitate iugi per se, sed tenera animalia id

[redacted]

De constantia sap. 5, 5: Quodsi iniuria nihil lædere potest ex his, quæ propria sapientis sunt, quia virtute sua salva sunt, iniuria sapienti non potest fieri. Scrib.: quia virtute *salva* sua salva sunt. Bis ponendum salva iam Lipsius viderat.[1])

Ibd. 6, 3 scribendum est omissa particula, quæ orationem perturbat: Sed prodit (v. sed si prodit) in medium, qui dicat, cet. Tum paulo post, ubi sic in codicibus scribitur: nec quicquam suum nisi se putet esse quoque ea parte, qua melior est, editores autem ea quoque parte aliaque substituentes sententiam rectam non effecerunt, duæ litteræ geminandæ sunt: nisi se putet esse, *se* quoque ea parte, cet.

Ibd. 7, 4: Aliquis mihi venenum dedit, sed vim suam remixtam cibo perdidit: venenum illud dando sceleri se obligavit, etiamsi non nocuit. Recte superiores reposuerant remixtum, quod assimilando

---

gravius sentire dicuntur. E tenere (ɔ: teneræ) factum, quod in A B est terere, tum cervicibus. Seneca multo sæpius *cervicem* dicit quam *cervices*, ut hic 6, 8, de const. sap. 18, 3, de ira I, 16, 5 et 18, 3, III, 19, 2, epist. 4, 7; 15, 2; 13, 11; 19, 6; 30, 4; 47, 4; 70, 23; 71, 25; 74, 3; cervices notavi (sed tantum in libris de ira et epistolis ex proposito attendi) de ira II, 12, 5 (cervices supponere, quod facillime ex cervice supp. oriri poterat), III, 6, 6 (cervicibus) et epist. 85, 29 (cervicibus).

[1]) Cap. 4, 3 quod Hauptius (I p. 4) intellexit scribendum esse: immo nescio an magis vires *sapientiæ* ostendat *tranquillitas* inter lacessentia, idem me sine ulla dubitatione annotatum habuisse non solum confirmandæ emendationis causa hic pono, sed ut simul animadverti iubeam mutandi simplicitatem et libertatem conferamque hoc cum prorsus gemina subiecti et obiecti permutatione apud Plutarchum et Strabonem a librariis facta et a me notata vol. I p. 585.

corruptum est; sed bis hoc accidit; ut enim recta efficiatur sententiæ forma ponderaque verborum iusta, scribendum est: sed vim suam remixtum cibo perdidit; venenum *ille* dando scelere se obligavit. (Sic recte superiores, non sceleri.)

Ibd. 9, 1: Omne autem fortuitum circa nos sævit et in vitia. Sic A B, alii, et Haasius. Bene sane ageretur cum bonis, si fortuna in vitia sæviret. Sed fortuita nihil cum virtutibus vitiisque coniuncti habent; meliorem nostri partem non attingentia, solas externas res et nullius momenti (Stoicorum sententia) aggrediuntur. Una littera aberratum est: circa nos sævit et in *vilia*. (Editiones vulgares ex fœdissima unius codicis interpolatione: et iniuriatur.) Proxima (2) emendavi vol. I p. 39 (irritatis in nos potentiorum odiis). Sed simul scribendum: iniuriarum latissime patere materiam *in* illis, quæ cet. Vulgo omittitur in.

Ibd. 11, 3: Et ut quisque contemptissimis et ut ludibrium est, ita solutissimæ linguæ est. Sic A, e quo efficitur: contemptissimus *ipse et* ludibrium est, pronomine necessario addito.

Ibd. 13, 2: Scit sapiens, omnes hos, qui togati purpuratique incedunt, valentes coloratos, male sanos esse. Videtur excidisse ut post incedunt scribendumque: hos, qui t. p. incedunt *ut* valentes, coloratos, male sanos esse. (§ 5 errore apud Fickertum natum videtur: Nam si semel se demiserit, non potuerit pro non poterit, ut recte superiores.)

(De c. 15, 3 dixi vol. I p. 20.)

Ibd. 18, 1: C. Cæsar inter cetera vitia ... contumeliosus mirabiliter ferebatur omnes aliqua nota feriendi. In his nullam esse structuram patet; nam inania artificia, quæ admoventur gerundii genetivo, non curo. Itaque Muretus mirabili studio. Latet potius mira *libidine*. Ex libi factum bili, tum cetera.

(Sic Haasius III p. XXIII. § 4 cetera is recte Bongarsium secutus; sed retinendum erat: putabat, ut ... cupidissimi. Iratus cet. Codd. putat.)

De ira lib. I cap. 1, 7: Neque enim ulla vehementior intra cogitatio est, quæ nihil moveat in vultu. Non de cogitatione agitur, sed de affectibus, libidine, metu, audacia. Scribendum: intra *agitatio* est. Primum factum est intragitatio, tum prave supplendo intra cogitatio. (Cfr. de brev. vit. 9, 3.)

Ibd. 2, 3 ante lacunam et in A (in quo omnia hæc ante lacunam secunda manu suppleta sunt) et in B ceterorumque plerisque scribitur: et in perniciem promiscuam totos populos capitis damna. Non passos addendum erat, sed syllaba: *damnatos.*

Ibd. 3, 7 sic verba scribenda et coniungenda sunt: Tota illorum ut extra, ita intra forma humanæ dissimilis est, regium illud et principale aliter ductum. Ut vox est quidem ..., ita ipsum principale cet.

Ibd. 6, 2: Si ne ad hoc quidem respondet, interdicit (medicus) cibis et abstinentia corpus exonerat. Neque, quo hoc referatur, neque, quod sit subiectum verbi respondet, apparet. Scribendum: si ne hoc quidem respondet, hoc est, spei respondet et proficit succeditque; vid. lex., velut Schelleri p. 9397 in d. (§ 4 quia vivi, quod Hauptius II p. 4 scribi iubet, a. 1863 in margine annotaveram.)

Ibd. 13, 1: Deinde quæ habenda sunt in bonis, quo maiora, eo meliora et optabiliora sunt. Verborum in bonis nullum in codicibus (A B cet.) vestigium est. Itaque fuisse puto: Deinde quæ *avenda* sunt, quo m., e. m. ... sunt. Cicero *avere legationem* dixit, Lucretius *quod avemus* et alia similia, Horatius *quod avebas.*

25*

Ibd. 15, 3: cum eo magis ad emendationem pœna proficiat, si iudicio lata est. Nemo Latine pœnam a iudice aut castiganti *ferri* dixit. Suspicor, sed dubitanter, fuisse: *irrogata* est.[1])

Lib. II, 2, 4: Cantus nos nonnunquam et citata modulatio instigat Martiusque ille tubarum sonus movet mentes et atrox pictura et iustissimorum suppliciorum tristis adspectus id est quod adridemus ridentibus et contristat nos turba mærentium. Sic A. Oratione rectius, quam vulgo fit, distincta etiam mendum tolli sic poterit: Cantus ... instigat Martiusque ille tubarum sonus; movet mentes et atrox pictura et iustissimorum suppliciorum adspectus, *iidemque* adridemus ridentibus et contristat nos turba mærentium, cet.

Ibd. 6, 1: Quid si dicatur, virtutem et humilem et magnam esse debere? Seneca usitate scripserat *dicat*, ad eandem referens personam, quæ in inquit cogitatur; ex proxima syllaba uir (tutem) accessit ur.

---

[1]) Cap. 16, 4 laudandus mihi est, quem rarissime laudare potui, reprehendi sæpe et graviter, Gœrenzius, qui, cum in codicibus ita scriberetur: Si intrassem valitudinarium exercitatus et sciens aut domus divitis (sic enim codd., non divites), non idem imperassem omnibus per diversa ægrotantibus, viderit in exercitatus subesse exercitus idque coniungendum cum illis aut domus divitis (nisi quod sine causa domini scribi voluit). Nam etiam divites domos Romanas, ubi agmina servorum erant, sua valetudinaria habuisse, vel e Columella notum est. Pro et sciens opinor scribendum *ut* sciens (cum professione medicæ scientiæ).

[redacted]

Ibd. 11, 2: Deinde non ideo quædam, quia sunt terribiliora, potiora sunt, ne hoc sapienti adici velim, quod feræ sapientis quoque telum est timeri. Sic A, e quo efficitur: *nec* (sic iam alii) hoc *sapientia dici velit*, quod feræ, sapientis quoque telum *esse*, timeri (idem sapientis quoque, quod feræ). (§ 4 egregie emendavit Hauptius II p. 4.)

Ibd. 15, 1: sicut valida arbusta et læta quamvis neglecta tellus creat et alia fecundi soli silva est. Quo spectat alia? An valida lætaque non est? Scr. *alta*.

Ibd. 18, 1 sententiis recte separatis, ut fit in cod. Col., omnis tollitur dubitatio de scriptura codicum: ita aliter iram debemus repellere, aliter compescere. Ut vitemus, quædam ad universam vitam pertinentia præcipientur. Ingreditur Seneca in priorem partem de ira vitanda et repellenda nec admittenda.

Ibd. 19, 1: Et locorum itaque et animalium et corporum et morum varietates mixtura elementorum facit, et proinde in aliquos magis incumbunt ingenia, prout alicuius elementi maior vis abundavit. Apparet corruptum esse in aliquos; agitur enim de propensione in certas res, studia, affectus. Fuit olim: proinde *aliquo* magis incumbunt ingenia, prout cet.

Ibd. 23, 1: Notus est ille tyrannicida, qui ... tortus ... amicos tyranni nominavit quibusque maxime caram salutem eius sciebat, et, cum ille singulos, ut nominati erant, occidi iussisset, interrogavit, ecquis superesset. Tu, inquit, solus. Servari idem subiectum (tyrannicidam) et perspicua narrationis forma et ipsum interpositum de tyranno cum ille ostendit. Seneca scripsit: *interroganti*, ecquis superesset, Tu, inquit, solus. (*Inquit* cum dativo et Cicero sæpe posuit, velut in uno

libro II de or. 246, 259, 273, et Livius, ut I, 58, 7, IV, 40, 6, cet., et Seneca de ira II, 32, 2, de benef. I, 8, 2, V, 25, 2, de tranqu. an. 14, 7, quos locos Siesbyeus collegit.)

Ibd. 25, 2: Mindyridem aiunt fuisse ..., qui cum vidisset fodientem..,lassum se fieri questus vetuit illum opus in conspectu suo facere. Bilem habere sæpius questus est, quod foliis rosæ duplicatis incubuisset. Pravum esse bilem habere, multi senserunt, vinciendam orationem fuisse vocabulo idem, unus et alter. Cetera, quæ e longinquo petuntur nec inveniuntur, facile eruuntur e verbo sæpius quod ipsum offendit: *Idem* habere *se peius* questus est, quod cet.

Ibd. 28, 4: At morbi doloresque incurrunt. Utique ad aliquod fugiendum est domicilium putre sortitis. Scribendum: Utique *aliquo defungendum* est domicilium putre sortitis. (Non fieri potest, ut non unum et alterum incommodum ad dependendum pro nobis subeamus.) Quid sit *defungi aliquo*, dixi supra p. 18 ad Terentii Phorm. 1021. Eodem significatu Seneca id verbum posuit hoc libro 14, 3 et quæst. nat. VI, 1, 2: defunctam metu (mit dem Schrecken davon gekommen).

Ibd. 33, 6 (de Pastore sævitiam et contumeliam C. Cæsaris ferente): Contempsisset Romanum patrem, si sibi timuisset; nunc iram compescuit pietas. Vitia non multis exponam; nam conivere ad ea soli Ruhkopfius et Fickertus potuerunt; doleo h. l. addendum iis Haasium. Quis pater contemptus esset? Qui Romanus pro Caligula dicitur? Scribendum emendatione certissima: Contempsisset *tyrannum pater*, si sibi timuisset; nunc cet.

Ibd. 34, 3 dubitationibus satisfactum erit oratione sic interpuncta: Ne (sic enim codd. et edd. ante Haasium)

irascamur inimicorum et hostium liberis, inter Sullanæ crudelitatis exempla est, quod a rep. liberos proscriptorum submovit.. Non novum hoc præceptum inducitur, sed inter cetera, quæ lenire animum et ab hoc vel illo irascendi genere cohibere, hoc quoque ponitur. (De brevitate dicendi, quæ potest sic dilatari: „ne irascamur, monet, quod“, non puto dicendum.)

Ibd. 35, 1: non vitabimus impetus animi hos (hos scriptum sec. manu supra vocem erasam) graves funeres (m. 2 funerosos) et irrevocabiles? Sic A. Neque alioquin aptum adiectivum ex funeres facile effici potest (nam funebres impetus ridicule dicuntur, *funestos* longe distat) et prava copulatio fit, interposito inter alterum et tertium membrum et. Omnino funeris (unius præsertim) notio aliena est, quoniam ira non semper sanguinem petit. Subesse dubitanter suspicor: impetus animi hos graves *fœnere* (damno) et irrevocabiles.

Ibd. 36, 3: Speculo quidem neminem deterritum ab ira credis. A credis. Significatur *credideris*, quod sententia postulat. (Hoc librarium voluisse, in mentem venerat Italo codicis collatori.)

Lib. III, 2, 2 emendavi ad Cic. fin. III, 74 p. 473, deleto non. (Cfr. c. 13, 4 additum nos post contra.) Eodem capite § 4 editur: Totæ cum stirpe omni crematæ domus et modo eloquio favorabilis habitus in multo honore iram suæ contionis excepit. Et deest copula inter favor. et habitus, et abundat hoc: in m. hon. habitus post favorabilis. Nulla erit offensio, si scripseris: et modo eloquio *favorabili* habitus in magno hon. Additamenti nulla causa reddi potest. Extremo capite de barbaris scribitur sic: ruinæ modo regionibus incidunt incompositi, interriti, incauti, pericula appetentes sua. Gaudent feriri cet. Hæc omnia ipsumque incidendi verbum ad regiones nihil pertinent, de *legionibus* apte dicuntur (Romanis).

[Sed simul ante revocandum est, quod inde ab Erasmo edebatur: Hic barbaris forte *ruentibus* in bella exitus est. Nam neque *forte vivere* barbarorum proprium est neque: *hic barbaris exitus est* recte dicitur pro eo, quod est: *sic exeunt.*]

Ibd. 8, 7. Codices: Nihil asperum territumque palpanti est. Ceteri fere tetrumque, quod cum aspero non recte coniungitur, Hauptius nuper (I p. 5) tetricumque. Sed ne tetricus quidem ad tactus sensum pertinet, a quo hic simile sumitur. (Tetricus et asper censor aliter dicitur.) Videtur fuisse asperum *serratumque.*

Ibd. 12, 2: Aliquid ætas peccantis facit, aliquid fortuna, ut ferre aut pati aut humanum sit aut humile. Absurde per se et contra sententiam manifestam coniunguntur humanum et humile. Eius, quem tibi iniuriam fecisse putes, ob quam irasci ei debere videaris, aut senectus efficere potest, ut humanum videatur eam, quæ putatur, iniuriam ferre, aut fortuna et potentia, ut non humile et abiectum iudicetur pati nec repellere. Perspicuum est scribendum esse: aut *non humile*, nisi fuit: aut *utile.* (Cfr. c. 16, II, 33, 1.)

Ibd. 13, 1: Pugna tecum ipse; si vincere iram non potes, te illa incipit vincere. Si absconditur, si illi exitus non datur, signa eius obruamus et illam, quantum fieri potest, occultam secretamque teneamus. Satis inanis prior sententia est (si vincere cet.), maxime incipiendi verbum; sed manifesto ridicula in altera sententia condicio est, si ira abscondatur, occultam tenendam esse. Excidit aliquid, fuitque sententia et orationis forma huiusmodi: Pugna tecum ipse, si vincere iram non potes, *ne* te illa; *incipis* vincere, si absconditur, si illi exitus non datur. (Ergo hoc efficere studeamus.) Signa eius obruamus et illam . . . occultam secretamque

teneamus. (De § 4 recte Haasius præf. vol. III p. XXIII, etiam de c. 16, 3 libelli de const. sap.)

Ibd. 15, 3 (de potestate servitutis sub tyrannis finiendæ): Ostendemus in omni servitute apertam libertati viam; si æger animus et suo vitio miser est, huic miserias finire secum licet. Imo, si æger animus est, mortem consciscere non audet; nec, ut miserias finire liceat, necesse est, suo vitio miserum esse. (Itaque Haasius non ante suo addidit.) Seneca miseris omnino libertatis viam ostendit; si ea uti nolint, ipsorum esse culpam dicit. Scripserat autem sic: Ostendemus in omni servitute apertam libertati viam, *nisi* æger animus est. Suo vitio miser est, *cui* miserias finire secum licet. Excidit ni (in nisi) post *m*; deinde, sententiis male distractis natum est huic.

Ibd. 23, 6 (de Augusto iræ in Timagene temperante): Postea Timagenes in contubernio Pollionis Asinii consenuit ac tota civitate direptus est. Nullum illi limen præclusa Cæsaris domus abstulit. Historias postea, quas scripserat, recitavit et combussit, et libros acta Cæsaris Augusti continentes in ignem posuit. Ridicule coniunguntur recitavit et combussit, quorum prius pertinet ad declarandam libertatem ingenii proferendi, alterum ad contrariam partem; nam alteros libros, quibus Cæsarem (Augustum) laudaverat, iratus Cæsari et invidens gloriæ igni dedit, et hæc ipsa contraria ponuntur, novum opus in vulgus editum (et superfuisse postea lectitatasque esse historias Timagenis scimus), alterum deletum. Apparet, et combussit aut post illud in ignem posuit transferendum esse aut tollendum tanquam additum ad illud explicandum, ut hæc relinquantur: Historias postea, quas scripserat, recitavit; libros acta Cæsaris Augusti continentes in igne (sic scrib.) posuit.

Ibd. 27, 1: Quanto satius est sanari iniu-

riam quam ulcisci. Facile hoc in vocalium concursu nasci poterat ex recto *sanare* iniuriam quam ulcisci. (C. 30, 2, ubi editur: quod minora nobis præstiterint quam mente concepimus quamque alii tulerint, apparet aut conceperimus aut tulerunt scribendum esse. Hoc facilius fit, et indicativus defenditur Senecæ usu; vid. ad II de clem. 5, 3.)

Ibd. 34, 1: Cedo nunc, persequere cetera, cibos, potiones, horumque causa paratam ambitionem, munditias, verba, contumelias, cet. Ridicule ambitio parata ciborum potionumque causa dicitur, omninoque parata; tum nimis nude infiniteque in hac enumeratione ponuntur munditiæ. Scrib. horumque causa *paratas in* ambitionem munditias. (In ambitionem iam Rubenius.) Paulo post (2) iure hæretur in his: Auferre hic mihi hereditatem voluit; hic me diu in spem supremam captatus criminatus est. Agitur enim de iniuria non ab ipso captato facta (is enim in ipso vitæ exitu spe decipienda lædebat), sed ab aliis, qui captatori obstiterunt et artes eius impediverunt. Et quid aut apud quem criminatus est? Una littera mutata rem restituet: hic me diu in spem supremam *captatis* criminatus est, hoc est, apud eos, quos diu in spem supremam captaveram, et sic mihi testamenti locum eripuit. Nam *criminari aliquem alicui* pro eo, quod est, *apud aliquem*, Terentii, Plinii minoris, Suetonii auctoritate lexica confirmant; addi potest dial. de orat. 42. Video iam Rubenio in mentem venisse captato.[1])

---

[1]) Cap. 33, 3 recte dicitur manibus ad computandum (sic recte Pincianus aliique pro comparandum) non relictis, quia arthritis motum digitorum abstulit.

De otio (fragm.) I (28), 1: Tunc potest obtinere, quod semel placuit, ubi nemo intervenit, qui iudicium ... detorqueat, tunc potest vita æquali et uno tenore procedere. Prius potest subiecto caret; (neque enim decretum obtinere intransitive dici potest). Scrib. *obtineri.*

Ibd. 3 (30), 1: sed quia res ipsa patitur me ire in illorum (Stoicorum) sententiam; quam si quis semper unius sequitur, non iniuria sed in factionis. Sic A. Non potest ad illorum sententiam referri quam et tamen universe accipi, ut adiungatur semper unius. Scribendum est: sententiam. *Nam* si quis semper unius sequitur, non in curia (sic Lipsius et post eum ceteri), sed in factione *st.* Paulo post § 3, ubi editur: si resp. corruptior est, quam ut adiuvari possit, si occupata est malis, si verum est, ut puto, occupata (A et alii osculata), scribi debet: *a* malis de hominibus eam tenentibus; nam neque occupari malis pro eo, quod est obrui, dicitur, nec obrutæ calamitatibus reip. subveniri Zeno nolebat. Sed gravius mendum tollendum e § 4: Potest ergo et ille, cui omnia adhuc in integro sunt, ..., in tuto subsistere et protinus commendare se bonis artibus et in illis beatum otium exigere, virtutum cultor, cet. Nimium in Stoici persona beatum, cum præsertim tantum otium agendi facultas significetur. Codices (A): et in illum beatum otium. Subest: et *illibatum* otium exigere (nulla parte vitæ negotiis impensa). (Aliud ex eadem paragrapho mendum sustuli vol. I p. 68.)

(De c. 5 (32) 1 dixi vol. I p. 68. Sed eodem capite § 6, ubi editur sic: qualis sit habitus exclusis, informia et confusa sint an in omnem partem tantundem loci obtinentia, an et illa in aliquem cultum descripta sint, tollendum prius an, ut hæc

quoque quæstio, ut ceteræ, in duo contraria dividatur: confusa sint, in omnem p. tant. loci obtinentia, an et illa cet. Alioquin scriberetur etiam obtineant. (Lipsius ac in omnem, vitio animadverso.) (§ 5 recte uncis notatur sidera in A omissum, prave attrectatur nisum pondusque, quorum prius ad evolandi altius conatum pertinet. Cum in A scriptum esset visum pondusque, in B et ceteris deletum est que. Melius fuerat egregia Lipsii emendatione uti: scintillas quasdam astrorum.) Tum § 7 hæc scribuntur: Æstima, quam non multum acceperit temporis, etiamsi illud totum sibi vindicat, cui licet nihil facilitate eripi, nihil negligentia patiatur excidere, licet horas suas avarissime servet, ..., tamen homo ad immortalium cognitionem nimis mortalis est. Dativus cui nullo modo in structuram includi potest. Scribendum est: *cuius* licet nihil facilitate eripi ... patiatur, cet. Cum non animadverteretur cuius nihil cohærere, propter licet male intellectum natum est cui.

Ibd. 8, 1 oratio, ut veram sententiam habeat, sic interpungenda est: Quid autem interest, quomodo sapiens ad otium veniat, utrum quia resp. illi deest, an quia ipse reip., si omnibus defutura (codd. futura) resp. est? Semper autem deerit fastidiose quærentibus. Interrogo, ad quam remp. cet. Sed initium capitis fieri debet a novi argumenti exordio: Adiice nunc cet.

De brevitate vitæ 1, 2: Inde Aristotelis cum rerum natura exigentis ... lis est; at isti iam animalibus tantum indulsisse, ut quina aut dena secula educerent. Sic codices (A ceterique). In illis at isti, pro quo substituerunt ait istam (Haasius

ait iniustam), videtur subesse: *ætatis eam* animalibus tantum cet.

Ibd. 2, 2: Multos aut adfectatio alienæ fortunæ aut suæ qua detinuit. Sic A. Subest: aut suæ *querela* detinuit. § 3 codices: Urgentes circumstant vitia; significant: Urgent *et* circumstant v. Tum in A est: fluctuatur, nec unquam illis a cupiditatibus vis otium ista. Scribendum otium *stat* (non instat), id est, tranquillum et tutum est, imagine maris continuata; cetera recte Haasius emendavit. § 4 in hac sententia: Quam multorum eloquentia cotidiano ostentandi ingenii spatio sanguinem educit? verum esse nequit spatio, opinorque dubitanter scribendum esse *servitio*. (Proxime ante recte Gruterus: bonis suis suffocantur, sublato verbo inusitato; error cœpit a suisuffocantur).[1])

Ibd. 7, 6: Nec est, quod putes hinc illos aliquando intelligere damnum suum. Addebant superiores non sententia cogente (cfr. 8, 4), non apto loco (non intelligere); nam ante aliquando int. poni debebat. Sed vitiose abundat hinc. Fuerat, opinor: Nec est, quod putes non illos, etsi mutationem miror. Extremo capite in A aliisque scribitur: quemadmodum saturo iam et pleno (adiici potest) aliquid cibi,

---

[1]) Tædium interdum me totius rei capit non solum ob exiguitatem ipsius operæ, sed utilitatis desperatione, cum videam emendationes partim facillimas, partim ingeniosissimas, certas utrasque, negligi aut eiici, ut hic 4, 6 Gronovii: velut grave multo sanguine corpus parte semper aliqua rumpebatur (vulgo: partes semper aliquæ rumpebantur, sed A 1 aliqua; error ex geminato *s*;) et Rubenii, Paulusque pro plusque restituentis, iubente sententia, oratione, historia.

quod nec desiderat capit, ex quo faciendum quod nec desiderat *et* capit.

Ibd. 8, 2: Annua congiaria homines rissimi accipiunt et his aut operam aut d gentiam suam locant; nemo æstimat tem| Recte Lipsius carissime scripsit, cum pretii et æsti tionis significationem inesse intelligeret. Sed præt scribendum videtur Annua *ac* congiaria, quor annua (salaria mercedesque) a congiariis extra ordi datis differunt. Pro substantivo *annua* Seneca ipse pc de benef. I, 9, 4. Paulo post, ubi editur: At eosd ægros vide, si mortis periculum propius admotum, medicorum genua tangentes, Sene scripsisse opinor: *videas*, si cet. Alius est enim in rativi in tali demonstratione usus (ægros vide; re ries eos). Deinde § 4, ubi est: sed hoc ipsum detrahant, nesciunt, scribendum videtur litteris minatis: sed hoc ipsum *unde* detrahant; alio enim poni debebat: se detrahere nesciunt. Tum exitus huius capitis et proximi initium apud Haas tristissimam hanc præfert faciem: Potestne quicqua * * * (IX) Sensus hominum, eorum dico, prudentiam iactant, operosius occupati su ut melius possint vivere, impendio vitæ vit instruunt, cet., in qua scriptura quo pertineant se hominum occupati et quo referatur comparativus (ope sius) et quid sibi velit eorum dico aliaque fru quæras. Nec ceteri, qui lacunæ signa non posuerunt expediant; expediet emendatio facilis et certa codi vestigia persequens: Potestne quicquam *esse* (*e ipso*?) hominum eorum *ocio* (otio), qui prud tiam iactant, operosius? Occupati sunt, melius possint vivere; impendio vitæ vit instruunt. Putant se in otio esse; nihil est hoc operosius.

Ibd. 9, 3: Hoc quoque pulcherrime ad exprobrandam infinitam cogitationem, quod non optimam quamque ætatem, sed diem dicit. Neque Vergilius neque Seneca cogitationem hominibus exprobrandam putavit, sed perpetuam et instabilem occupationem et motum, hoc est, *agitationem*. Non raro hoc illi cessit, ut apud ipsum Senecam de ira I, 1, 7.

Ibd. 11, 1: stultos se fuisse, ut non vixerint, clamitant. Iure superiores in ut hæserant; itaque quod substituerunt; facilius videtur *qui*, quod alibi quoque cum ut permutatum vidi.

Ibd. 12, 1: quos officia domibus suis evocant, ut alienis foribus illidant, hasta prætoris infami lucro ... exercet. Sic codices. Addunt quos post illidant. Fácilius excidere poterat *aut* post ant.

Ibd. 13, 8: Hoc scire magis prodest, quam Aventinum montem extra pomœrium esse, ut ille affirmabat, propter alteram ex duabus causis, cet. Seneca perspicue hæc omnia æque inutilia scitu iudicat. Itaque, quoniam audax est non addere, ironicæ autem formæ nulla est similitudo, videndum est, ne hac interrogatione usus sit: Hoc scire magis prodest *an* Aventinum montem extra pomœrium esse ...?

Ibd. 14, 2 sententiæ sic separandæ sunt: ... hominis naturam cum Stoicis vincere, cum Cynicis excedere. Cum rerum natura in consortium omnis ævi patiatur incedere, quidni ... nos demus ...?

Ibd. 15, 1: Per illos non stabit, quominus plurimum, quantum ceperis, haurias. Recte Muretus: quominus, quantum plurimum ceperis, haurias. Sed simul necessario reponendum est, quod in

„quibusdam libris Mureti" fuisse video annotari, cupieris. Nam etiamsi *capere* enarres *χωρεῖν*, requiratur capias.[1])

Ibd. 16, 4 primum, quod priores editores tenuerant, hæc verba: Omnis illis speratæ rei longa dilatio est, sententiam plenam efficiunt, superioribus adiectam et eorum summam colligentem. Tum codices habent, ut Fickertus et Haasius ediderunt: Ad illud tempus, quod amanti breve est et præceps breviusque multo suo vitio. Sed recte diremptis sententiis nulla omnino relinquitur structura orationis, nec *amans* (sive tempus sive aliam quamvis rem significat) quicquam loci hic habet. Superiores edebant: tempus, quod amant, breve est, salva grammatica, sententia illi quoque prava. Agitur enim de hominibus tempus non amantibus, sed (interdum) exsecrantibus, quod tarde eat, cum aut ad voluptates festinent aut tædio sui laborent, perspicueque aliquid poni debet, cui contraria quodammodo sit brevitas temporis quodque ob eam eo pravius perversiusque fiat. Scribendum: At illud tempus, quod *damnant*, breve est et præceps breviusque multo suo vitio. Mendi origo ex *d* semel scripto: quod amnant.

Ibd. 18, 1: Maior pars ætatis, certe melior, reip. data sit; aliquid temporis tui sume etiam tibi. Scrib. *data st* (vid. vol. I p. 68).[2]) § 4 scribendum:

---

[1]) Cap. 15, 4 corruptum est movet prave superpositum longe graviori demolitur; sed emendatio certa non suppetit, ne probabilis quidem; nam *mutilat*; iis (pro movet, at iis) longius discedit.

[2]) Quod § 3 Bentleius, cui assentitur Hauptius I p. 4, pro publicas scribi vult sacras, admodum violenta mutatio est nec, opinor, necessaria; reip. quoque religio debebatur.

aptiora *portandis* oneribus tarda iumenta sunt, non exportandis. § 5 vix dubitari potest, quin exciderit *meministi*. Exclamandi per infinitam sententiam forma hic inepta est; (poterat ferri paulo post: exitio pæne constitisse . . . imitationem!) et debebat tum superfuisse dici, non superesse. Contra, quod sic editur: intra paucos illos dies, quibus C. Cæsar periit, si quis inferis sensus est, hoc gravissime ferens, quod decedebat populo Romano superstite, pro decedebat in codicibus est dicebat, quod ego aliena manu additum esse suspicor, cum Seneca scripsisset tantum: quod pop. Romano superstite (periret). *Decedere* non aptum de tali mortis genere.

Ibid. 19, 1: quis animum tuum casus exspectet, ubi nos et corporibus dimissos natura componat. Sic A 1, id est: nos *e* corp. dimissos. Secunda manus fecit et a, secutique eam ceteri codices, hos Fick. et Haasius; nam superiores editores et sustulerant, pravam præpositionem reliquerant. Deinde § 2 sic scribitur: Vis tu, relicto solo, mente ad ista respicere? nunc, dum calet sanguis, vigentibus ad meliora eundum est. Exspectat te . . . multum bonarum artium oet. Non potest vigentibus ullo modo accommodari ad tu, te. Scripserat Seneca: dum calet sanguis, vigentibus *sensibus;* id nomen post entibus excidit. (Haasius præf. III p. XXIV: viget animus, multo improbabilius; sed senserat vitium.)[1])

---

[1]) Cap. 20, 1 laudandus Fickertus ob repertum antequam, modo simul, Pincianum ceterosque sequens, homines per indignitates in consummationem *erepere* sivisset, non *erumpere*.

Cons. ad Polybium[1]) 2, 3: Nunc quoque, quai tum potest, illam (pecuniam) a se abiicit. Et quai tum potest et additum a se ostendit scribendum es *abigit*. Præsens tempus superiores tenuerant.

Ibd. 6, 2: Olim te in altiorem ordinem e amor Cæsaris extulit et tua studia deduxerun Scrib. *eduxerunt*, ut dixi ad Cæs. B. G. VII, 54.[2])

Ibd. 10, 4: Rerum natura illum tibi sicu ceteris fratribus suis non mancipio dedit, se commodavit. Mire fratribus suis, quoniam iidei Polybii erant. Codices suos. Scripserat igitur Seneca sicut ceteris *fratres suos*, communis omnium sort Polybium admonens; traxit ceteris dativus proximu nomen.

Ibd. 11, 6: Ne commiseris, ut, quisqu exemplo ac modo scripta tua mirabitur, qua rat, quomodo tam grandia ... tam fragil animus conceperit. Quid sit exemplo, quid mo mirari, nescio. Puto scriptum fuisse: *exempto* mod hoc est, sine modo, de quo dixi ad cons. ad Ma 10, 3.

Ibd. 15, 4 (in Claudii imperatoris oratione): Cai Cæsar, divi Augusti, avunculi mei, filius nepos. Inepte filius ac nepos coniunguntur, nat rali et adoptivo gradu distincto. Nec Augustus Clau

---

[1]) Hic libellus non est in cod. A. Itaque utimur maxime Be linensi (B), multo minoris auctoritatis et fidei, ut quem sæ ab secunda manu codicis A aut margine pendere viderimus.

[2]) Quam in proximis (§ 5) Hauptius I p. 15 tueri conatur brevitat dicendi, ea vix ferri potest, ut ex eo, quod sequitur siccand præcipiatur siccari apud possint. Et ipsum hoc possi tantum in tribus imæ dignitatis codicibus reperitur. Sed co rectio incerta est.

avunculus fuit. Codices: avunculi mei ac nepos. Scribendum: avunculi mei *magni* nepos. Cum ni ante ne excidisset, ex mag remansit ac. Mox, ubi editur: Cæsar, patruus meus, necessario scribendum (post tulit): *Ti.* Cæsar; senserat id Lipsius.

Ibd. 16, 5: Faciamus licet illi (fortunæ) convicium ..., non tamen mutabitur; adversus omnes se preces omnesque querimonias (sic recte Pincianus et Muretus pro cerimonias, quod ortum est altero que extrito) eriget. Hoc verum esset, si de evertenda et obruenda fortuna ageretur; nunc agitur de flectenda precibus et querimoniis et avertenda. Restituendum igitur ex B et tribus aliis codicibus exiget, hoc est, penetrabit et, quo ire intenderat, perget. Ut hic exigere se, sic per dolores exigenda dicuntur de vit. beat. 7, 1.

Ibd. 18, 2: Hoc enim unum est rebus humanis opus, cui nulla tempestas noceat. Scrib. est *ex* rebus humanis opus.

Consol. ad Helviam 7, 7: Ad hanc commutationem locorum libentes nomina dabant et relictis aris suis trans maria sequebatur colonos senex. Sic A B (ceteri colonos sequebatur senex). Quis (unus) senex, relictis aris suis, colonos (iuvenes omnes nec aras relinquentes) sequebatur? Qui nuper hæc probarunt, videntur sic accepisse, quasi scriptum esset: „et colonos relictis aris suis proficiscentes sequebantur exacta ætate parentes". Nam senes multi colonorum ipsi erant; quamquam nemo pater filium colonum sequebatur nisi ipse colonus. Hæc cum prava esse superiores editores sentirent, scripserant: colonus sequebatur senex, in qua scriptura manifesto vitiose obiectum deest et omnes coloni senes fiunt. Expellenda omnino senectutis mentio quærendumque, quid coloni Romani

secuti sint. Scribendum est: sequebatur colonus *vexillum*; sub vexillo enim colonias deductas esse notissimum est. Ex svex factum est senex, deinde omissa, ut sæpius in A factum videmus, extrema vocabuli pars. (Paulo ante § 4 recte Pincianus ad exonerandas urbes emisit pro vires. Non viribus, tanquam malo, carere volebant, sed urbes multitudinis nimiæ onere liberari.)

Ibd. 8, 5: Emetiamur quascunque terras; nullum inveniri et illum intra mundum est alienum homini est. Undecunque ex æquo ad cælum erigitur acies, paribus intervallis omnia divina ab omnibus humanis distant. Sic codices (A B, alii). Locus vitiatus videtur verbis aliquot ob idem bis positum omissis, cum sic Seneca scripsisset: nullum inveniri exilium intra mundum [*potest; nullum enim solum intra mundum*] alienum homini est. Undecunque cet.

Ibd. 11, 2: Sed desiderat saturari multo conchylio purpuram intextam auro variisque et coloribus distinctam et artibus, non fortunæ iste vitio, sed suo pauper est. Sic A 1, prave. Neque enim is, de quo agitur, purpuram iam auro intextam et coloribus artibusque distinctam conchylio saturari vult, quo omnia illa perirent; itaque secunda manus saturatam fecit, quod in ceteros transiit; debuerat *saturam* (ri in *m* verso). Recte autem superiores e Pinciani coniectura: Si desiderat ..., non ... pauper est; (et statim e Mureti: restituto deerit). Eodem capite infra (6) codices: Lapides, aurum . . . terrena sunt pondera, quæ non potest amare sincerus animus ac naturæ suæ memor, levis ipse expers et, quandoque emissus fuerit, ad summa emicaturus. Genetivus, quem iure ad expers requi-

runt, latere videtur sub levis; fuit fortasse: naturæ suæ memor, *oneris* ipse expers.

Ibd. 12, 2 in codicibus A B scribitur: Transeamus ape spe non obveniamus ad locupletes. Scripturæ veræ hoc initium et hæc lineamenta sunt: Transeamus *opes*, veniamus ad locupletes. Quod desideratur, distractum et fractum superest in literis penonob. Significantur autem opes parvæ et mediocres, quibus omissis statim a pauperibus ad ipsos vere locupletes veniendum est. Scriptum fuerat: Transeamus *opes pœne inopes*. Luditur in opum inopum nomine. (Initium capitis sic interpungendum est: Ne me putes ... uti tantum præceptis sapientum, primum adspice cet. Nam ne putes pro ne putaveris Seneca non dixit.)

Ibd. 13, 2: Si ultimum diem non quasi pœnam, sed quasi naturæ legem adspicis, ex quo pectore metum eieceris, in id nullius rei timor audebit intrare. Apparet, non metum universe, sed certæ rei metum cum nullius rei timore componi. Itaque hactenus recte, qui in cod. Guelferb. ante metum addidit mortis; (nam apud Fickertum adiectionis nota poni debuit). Sed probabile est, Senecam scripsisse: ex quo pectore *eum* (ultimi diei) metum eieceris.

Ibd. 19, 7: ut intelligas, magni animi esse feminam, quam non ambitio, non avaritia ... vicerunt, non metus mortis eam exarmata navi naufragium suum spectantem deterruit, cet. Vitiose abundat eam post quam et æqualem membrorum formam turbat. Scribendum: non m. mortis *iam* exarmata navi naufr.

Cap. III.

Senecæ libri de beneficiis et de clementia et quæsti naturales.

Librorum de beneficiis et de clementia emen fundamentum unum solidum est codex Palatinus N nus, de cuius scriptura tantum scimus, quantum n terus scire voluit, hoc est, multo minus quam ips mus.[1] Eundem enim principatum is hic obtinet, in dialogis (si hoc nomine utendum est) Ambr Ceterorum ab eius mendis longius progressa de horribilisque interpolatio cum infinitis aliis locis potest (velut statim de benef. lib. I, 1, 3 ex iis m quæ plerique ex decoquere vero effecerunt), tum lu exemplo in VI, 42, 1, ubi in Nazariano tantum qu quam scriptum est (Tam convicium est RE quod DEBES pro: quam DEBES)[2]; qui ei sunt tamen pro tam scripserunt; deinde re factum est; tum monstrum natum: tam conviciu recipere quod non debes, quam non dare debes (Pal. 2 marg., V, T). In libris de benefic Nazariani testimonio propter Gruteri silentium de vicarius in eius locum succedit Rottendorfian apud Fickertum); quam tamen infidus, vel ex ad 27, 1 ad mendum occultandum vocabulo oris i potest. Nam Gronovii codices parum novimus; Pa sium, quos Fickertus se „partim" contulisse dicit, guum dedit specimen. Libros de clementia Rottendo

---

[1]) Ex Hermæ vol. III p. 151 video Hauptium eius codici tionem habere. Eam utinam edat suis adiectis em nibus.

[2]) Eo libentius hoc exemplo utor, quod ipsam emendationem olim annotaveram, occupavit Hauptius (I p. 9).

non habet. Ipse autem Nazarianus quam sit iam mendosus, prima primi libri periodus ostendit (nihil propemodum, vir optime Liberalis, dixerim quod beneficia cet.), omisso bis verbo. Atque hoc ipsum non paucorum locorum correctionem incertam facit, quod excidisse verba potuerunt. In tali instrumento multa præstat intacta relinquere (in edendo fortasse notare) quam corrigendi conatu attingere. Neque enim mihi persuadeo, Senecam de benef. I, 2, 5 officia appellasse, quæ feris præstantur, aut VII, 8, 2 scripsisse: et ceteros magnos quidem viros, maiores quidem, quia in laudem vetustorum invidia non obstat, etsi ibi satis confido prius quidem, quod per se absurdum est, non solum ob alterum, simpliciter tollendum esse, a maiores ad magnos translatum (et simul scribendum: in *laude*, hoc est, cum laudantur; alioquin laudi scriberetur).

De beneficiis lib. I, 3, 3: Alii (videri volunt esse) beneficiorum tria genera, promerentium, reddentium, simul et accipientium et reddentium. Nemo unquam Græcorum, quorum hic de Gratiis sententiæ exponuntur, beneficia promerentia, accipientia, reddentia finxit; *beneficorum* illa genera sunt, quorum alii promerentur, alii beneficia reddunt, alii simul et accipiunt et reddunt. Paulo post (§ 5) proxime ad Nazar. et ceteros meliores scribendum est: *In eo* (choro, pro ideo) est aliqua tamen maioris (sororis, Gratiæ) dignatio, sicut promerentium. Voltus hilari sunt, quales solent esse, qui dant vel accipiunt beneficia. (Hic demum explicatur, cur ridentes Gratiæ fingantur.) Extremo capite (10) scribendum est: nec illis fraudi est, si *aliud* (nomen) in censum detulerunt.

Ibd. 10, 5: Tanquam, si filios alicui restituere potero magno periculo liberatos sine ullo meo, non dubitabo. In his nulla est significatio hominis beneficio indigni et ingrati futuri, nec, cur Seneca

tantum sine ullo suo periculo filios restituere velit. In B (nam de Nazar. tacetur) pro alicui scribitur avieni. Opinor fuisse: filios *abigenti.*[1])

Ibd. 13, 3: Hercules nihil sibi vicit: orbem terrarum transivit non concupiscendo, sed vindicando; quid vinceret malorum hostis, bonorum vindex, terrarum marisque pacator? Nullam habet hæc interrogatio sententiam nisi hanc, talem hominem vincere non debuisse, non fuisse, cur vinceret, hoc est, longe absurdissimam; recta orietur sententia syllaba geminata: sed vindicando, *quicquid* vinceret, malorum hostis, ... pacator, hoc est, in omni victoria malorum hostis, cet.

Lib. II, 4, 1 (nam de 2, 1 dictum est exc. 6 ad Cic. Fin. p. 834) codices boni (Naz.): Nihil autem est acerbius quam ubi quoque impetrasti, rogandum est. Videtur significari: quam ubi *id* quoque, quod imp., rog. est.

Ibd. 10, 4 (nam de oratione § 2 rectius interpungenda dictum est ad Cic. Fin. II, 9 p. 151), ut nunc scribitur, sensu caret quidni; scribendum est orationque interpungenda sic: Quidni ego illi non *sim* (pro

---

[1]) Cap. 12, 4 e cod. Dalecampii profertur, quod mirere non pridem restitutum esse: quæ etiam apud divitem *sibi* locum faciant, pro sui (nam quæ placent, sibi locum faciunt, quæ displicent, *sui* fastidium), quod ideo annoto, quod non hæc una bona coniectura suspectum illius codicis nomen præfert. Ex eiusdem Dalecampii codice Germanico V, 8, 2 profertur certissime verum: etiam cum aliquid (aliquis?), *quod prodesset* sibi, fecerit, non tamen cet. Excidit quod post quid (quis). *Facio aliquid mihi prodesse* neque Latinum est neque sensum habet loco aptum. Quin coniecturæ hæ sint, non dubitabit, qui viderit, quæ ad V, 18, 1 et alibi inde proferantur.

sum) indicaturus me dedisse, cum inter prima præcepta ... sit, ne unquam exprobrem, immo ne admoneam quidem? Sic enim Seneca interrogat, ubi aliquid faciendum esse (se facturum) negat, nullam esse causam significans, cur non negetur aliquid omittaturve, vel potius, esse, cur negetur omittaturve. Lib. V, 5, 3: Quidni non sit turpe? V, 25, 2: Ab hoc quidni non esset repetendum beneficium? Epist. 6, 3: quidni non possit? ibd. 12, 10; 52, 10; 74, 26, cet. Nam affirmantis est: Quidni debeant? (VI, 19, 2, VII, 25, 2 quæque p. 379 posui.)

Ibd. 11, 3 tollenda interrogandi nota est: Ingratum me iudicas, si istud te tacente nemo sciturus est (hoc est, neminem sciturum putas. Nam si gratus sum, ipse commemorabo, ut multi sciant). § 5 scribendum est: hæc tamen irrita *sint* (pro sunt), si in infantia deserantur, nisi ... pietas ... nutriat.[1])

Ibd. 14, 5 (nam amentibus, quod § 2 pro amantibus restituturus eram, occupavit Hauptius I p. 8) in cod. Naz. (et paucis aliis) sic scribitur: Sive illum ira, quo non debebat, impellit sive ambitionis calor abducit acutis si nullum malum vires a semet ipsa patiar, nec committam, ut possit quandoque dicere: „ille amando me occidit“. Manifestum est, hoc Senecam dicere, se amici ira aut ambitione aliove affectu abrepti cupiditati non auxiliaturum; quo minus ille suis ipse viribus uteretur, se impediturum, hic, ubi de beneficio conferendo aut non conferendo agitur, dicere non poterat; itaque hactenus Lipsius et Haasius aberrarunt.

---

[1]) Cap. 13, 1 agnoscere verum non est; potest fuisse: tibi non datum (hoc Haasii est) *dignoscere* ista bona; sed nihil certi.

Ipsorum verborum emendatio incerta est; potest scriptum fuisse: sive ... abducit a tutis (hoc ab aliis inventum satis est certum), *in* nullum malum (in add. Haasius) vires *nisi* a semet ipso *peti* patiar.

Ibd. 18, 3: A quibus ergo accipiemus? Ut breviter tibi respondeam: Ab his, quibus dedisse videamur. Num etiam maiore delectu quærendus est, cui debeamus quam cui præstemus? Pravum esse dedisse videamur recte superiores intellexerant; hanc enim esse sententiam, ab iis solis beneficium accipi debere, quibus etiam honeste dari posset (de quo ante quæsitum est); confirmat hæc aperte, quod sequitur: cui debeamus (a quo accipiamus) quam cui præstemus (demus). Sed violenter ipsum videamur mutatur in vellemus. Et num nude positum et superioribus subiectum habet aliquid offensionis. Potius igitur sic scriptum fuisse opinor: Ab his, quibus dedisse [*vellemus.*] *Videamus*, num etiam maiore dilectu quærendus *sit*, cui cet. Lipsius cogitabat de videamur in voveamus aut gaudeamus mutando.

Ibd. 26: Quanto consequi plura potuissem, si illum aut illum aut me colere maluissem. Perversissimum est aut me; queritur enim homo, plura se consequi potuisse, si illum aut illum patronum potius coluisset quam hunc. Itaque scribendum sine dubio est: illum aut illum *a* me *coli* maluissem. Nam illum aut illum me colere maluissem vix Seneca dixit.

Ibd. 27, 1 de Cn. Lentulo sic in Naz. et ei proximis scribitur: ingenii fuit sterilis tempus illi quam animi. Non fefellit ne librarios quidem inferiores subesse *tam pusilli*; (de Fickerto manifestissima interpolatione codicis R decepto taceo); sed quoniam ferri hoc nequibat: ingenii fuit sterilis tam pusilli quam animi, editores duplici transpositione usi sunt, ut efficeretur:

ing. fuit tam sterilis quam pusilli animi. Rectius, opinor, tenebimus: ingenii fuit tam pusilli quam animi, et sterilis additum putabimus, cum corruptum iam esset tam pusilli.

Ibd. 31, 4: Alioquin pessima optimæ rei condicio est: ut gratus sim ad fortunam mittor. Si illa invita respondere non possum, sufficit animus animo. Extrema hæc ridicule connectuntur, quæ prorsus contraria sunt; nam si fortunæ favore opus est ad respondendum (beneficio), animus animo non sufficit. Recta et aperta hæc sententia est: Alioquin pessima optimæ rei condicio est, *si*, ut gratus sim, ad fortunam mittor, si illa invita respondere non possum Sufficit animus animo. Excidit si post st. (De c. 34, 1 dixi vol. I p. 40 ima.)

Lib. III, 3, 1 in codice Naz. sic scribitur: Prima omnium ac potentissima (causa est), quod novis semper cupiditatibus occupati non, quid habeamus, sed quid petamus in id quod est quod adpetitur intentis quicquid domi est vile est. Forma loci verbis propter similitudinem omissis corrupti hæc fuit: sed, quid petamus, [*spectamus. Ita non*] in id, quod est, *sed* quod adpetitur, intentis, quicquid domi est, vile est. [Similiter Muretus.]

(De loco, qui est c. 12, 2 transpositione sanando dictum est vol. I p. 49; eodem corrigendi genere recte Haasius usus est c. 29, 5.)

Ibd. 19, 1: Alioquin cotidie dominum suum (servus) obligat; peregrinantem sequitur, ægro ministratur eius laborem summo colit. Sic Naz. Hinc natæ interpolationes (ministrat et labore summo colit) et coniecturæ malæ (ut Pinciani: ministrat, eius laborem suo tollit, Haasii: ministratur eius labore summo, sublato colit, oratione mire in passivam

formam transeunte). Non profunde latet verum: ægro ministrat, *rus* eius labore summo colit.[1])

Ibd. 28, 3 (post egregiam et certam Salmasii emendationem: ubicunque nomen illustre defecit, illo deum infulciunt, cuius præstantiæ et facilitati Haasium quoque suum illud verba infulciendi artificium prætulisse mirarer, nisi pæne desissem mirari) sic oratio interpungenda est, ut olim fere (in ed. 1672 et Bipontina) interpungebatur: Neminem despexeris, etiamsi circa illum obsoleta sunt nomina et parum indulgente adiuta fortuna. Sive libertini ante vos habentur sive servi ..., erigite audacter animos cet.

Ibd. 29, 3: Ita nusquam beneficio vincitur, cuius beneficium est ipsum, quod vincitur. Scrib. *quo* vincitur.

Lib. IV, 6, 1 (nam 3, 3 notavi I p. 68) pars veri simpliciter ex optimo codice tenenda est, quam nonnulli tenuerunt, sed ad totum expediendum unius præterea litteræ error tollendus est; nam ex his: tot flumine misitera super quæ decurrunt sola aurum vehentia (cod. Naz.) fieri debet: tot flumina emisit *per ea*, super quæ decurrunt, sola aurum vehentia. Per arenosa sola, super quæ flumina decurrunt, aurum vehunt.

Ibd. 8, 1 (ubi Seneca Stoicorum more allegorice deos ad naturæ vires et motus accommodat): Liberum patrem, quia omnium parens sit, quod primum

---

[1]) Cap. 26, 2 certissimæ emendationi Gruteri ex quod facientis quoi (eius, quoi nectebantur insidiæ) imperite obloquitur Fickertus, negans se quoi in Senecæ codicibus repperisse. Ideo, quod, quo tempore nostri codices scripti sunt, desitum erat sic scribi, tantum vestigia supersunt in mendis inde ortis, quæ non pauca repperisset, si intellexisset. Vid. vol. I p. 68; de tranqu. an. 8, 8.

[redacted]

inventa seminum vis est consultura per voluptatem. Manifestum est nihil prorsus loci hic habere aut consulendi verbum aut futurum participii aut nomen novæ formæ inde ductum.[1]) Et huius quidem vocabuli facilis nec dubia emendatio est; scriptum enim fuerat *consitura*; nec tamen seminum vim invenit Liber aut omnino semina, sed seminum *vitis consitura* ei debetur. (Cicero in iis, quæ supersunt, semel *consituram*, semel *consitionem* dixit.) Verum neque inventa est consitura *per* voluptatem, nec inde causa intelligitur, cur omnium parens Liber sit. Prorsus credo Senecam posuisse: quod primum inventa seminum *vitis consitura peperit* voluptatem. Restat inæqualitas notabilis hæc: Liberum patrem, quia ... parens sit ...; Herculem, quia ... invicta sit ...; Mercurium, quia ratio penes illum est numerusque. Seneca sine dubio scripserat: parens *est*... invicta *st* ... illumst. Cicero fortasse coniunctivo uti maluisset in aliorum sententia.

Ibd. 13, 1 si non per se constaret, saltem ex eo, quod infra contrarium infertur: nobis voluptas est dare beneficia cet., constare debebat, etiam eam voluptatis definitionem, quæ prior ponitur, infinitivo efferri nec posse hæc iungi: vobis voluptas est inertis otii, sed necessario coniungenda verba sic esse: Vobis voluptas est inertis otii facere corpusculum et securitatem sopitis simillimam appetere cet. Sed nihil est *otii corpusculum facere*; (nec tamen rectius per se dicitur *corpusculum facere* de corpore curando, quæ pars beatæ vitæ Epicureæ præterea postea per se ponitur). Scripserat Seneca: inertis otii facere *opusculum*,

---

[1]) Non fugerunt me, quæ Hauptius scripsit Herm. III p. 151; sed certus sum eum defensionem consulturæ abiecturum esse.

hoc est, exiguum illud opus facere, quod iners otium admittat.[1])

Ibd. 18, 2 primum sententiæ rectius separandæ sunt: Quid sumus? præda animalium et victimæ ac bellissimus et facillimus sanguis, quoniam ceteris animalibus in tutelam sui satis virium est. Quæcunque vaga nascebantur et actura vitam segregem, armata sunt; hominem imbecilla cingit; non unguium vis, non dentium terribilem ceteris fecit. Deinde apparet mendum esse in illo imbecilla cingit, pro quo qui imbecillitas cingit substituunt, improbabili mutatione sententiam rectam non consequuntur. (Haasius prorsus aberrat; nam societas pro armis data post commemoratur, hic armorum inopia declaratur.) Manifesto primum significatur hominem contra impetum non cingi firmo duroque tegimento (nudum), deinde non habere, quibus alia aggrediatur (infirmum). Excidit nomen feminini generis ad rem et verbum cingit aptum: imbecilla [*cutis*] cingit. (Mox recte Lipsius: ex obnoxio validissimum. Naz. obnoxiom, satis manifesto indicio.)

Ibd. 19, 2: Hunc igitur (deum Epicuri) inseptum ingenti quidem et inexplicabili muro divisumque a contactu et a conspectu mortalium

---

[1]) Cap. 16, 2 quod e scriptura codicis Nazariani (quomodo id feceris) restitueram: quomodo adficeris, præcepit M. Hertzius in miscellaneis, quæ annalibus philol. inseruit, loco 10. Residet paulo ante mendum in his: quis non ingratum detestetur hominem sibi ipsi inutilem? Agitur de causa detestandi reiiciturque Epicurea de animi grati utilitate, ingrati inutilitate sententia. Rectum esset: Quis non ingratum detestetur, *non ut* hominem sibi ipsi inutilem? Et fortasse sic Seneca scripsit.

[redacted]

non habes, quare verearis. Scribendum *intersep-tum* ingenti quodam (sic iam superiores ante Fickertum) et inexplicabili muro. Nihil est *insepire*, nec de sepiendo, sed de intersepiendo et excludendo agitur. Proxime ante cum Mureto scribendum esse: proiecisti extra mundum (pro metum) et sententia Epicuri et proiiciendi verbum et hæc ipsa, quæ subiiciuntur de muro interiecto, tam gravi convicio clamant, ut, qui ad hæc surdas habent aures, quid iis faciam, nesciam.

Ibd. 20, 3 manifestum mendum hæc habent: Ingratus est, qui in referenda gratia secundum datum videt, nisi quis putat Latine dici secundum datum de novo dono post exspectato. Scripserat Seneca: qui secundum *actum* (rei et quasi fabulæ) videt.

Ibd. 21, 5, ubi est: quem mala interpres opinio in contrarium tradidit, scribendum videtur *trahit.* (§ 4 in his: Quomodo est disertus etiam qui tacet, fortis etiam qui compressis manibus vel etiam alligatis, quomodo gubernator etiam qui in sicco est, alterum qui tollendum est.)

Ibd. 31 extr., 32 init.: Nempe, dum veterem illum Scaurum ... cogitas, indigne fers subolem eius iacere. Deos verisimile est, ut alios indulgentius tractent propter parentes avosque, alios propter futuram nepotum ... indolem. Ciceronem notum est aliquoties dixisse, *non esse verisimile, ut aliquid fiat*, pro eo, quod est *aliquid fieri* (in sententia neganti aut interrogatione negationem significanti); hac ætate nemo ita locutus reperitur, nedum ut in affirmando diceret *verisimile esse, ut.* Hac vero, quam attractionis nomine obtegere conantur, orationis apertissimæ confusione: *Deos verisimile est ut faciant* nemo unquam usus est; nam in quibus locis ab instituta oratione infinita ἀνακολούθως transitur ad alteram formam (ut), ii longe alium habent verborum et sententiæ ordinem implicationemque. Itaque

mendosa hæc esse constat; sed quæ corrigendo tentantur, violenta nec apta sunt. Exciderunt duo verba ob causam perspicuam; nam cum Seneca sic scripsisset: ... subolem eius iacere. [*Idem facere*] deos verisimile est, ut alios cet., oculum librarius a iacere ad facere transtulit et hoc se scripsisse putavit. Huius erroris et correctionis generis, de quo dixi universe vol. I p. 42 sqq., exempla autem plura ex unius Plutarchi scriptis collegi p. 621, Latina exempla, præter ea, quæ priore loco posui, reperientur in hoc volumine apud Varr. l. Lat. VII p. 97, VIII p. 104, X p. 161, apud Ciceronem de domo 57 et 80, ad Att. XV, 6, apud ipsum autem Senecam iterum in hoc de benef. opere VI, 13, 4, ad Helv. 8, 5, ep. 77, 17 et 82, 11. Recte ea corrigendi via in Senecæ scriptis ante me usi erant iam alii, ut de clem. II, 4, 4 Pincianus, hic V, 25, 3, VI, 42, 2 (aliis præeuntibus), ep. 9, 9 et 70 extr. Haasius.

Ibd. 36, 3 e codice R et aliis (nam de Naz. tacetur) restituendum est: Totum, inquam, in eo est, *quantum*. (Repetitur, quod supra dictum erat: inspiciam tamen et quantum sit, et deinde: hoc tamen quantum est?) Promissi mei verba taxentur (ut constet, quantum promiserim).

Ibd. 37, 3: Expulsus bonis suis ille non ut rusticus iniuriam tacitus tulit, contentus, quod non et ipse donatus esset, sed Philippo epistolam strictim ac liberaliter scripsit, qua accepta (rex) ita exarsit cet. Miro epistolæ hominis gravissime læsi brevitas commemoratur (strictim) et magis mire liberalitas apud regem querentis. Verum codices boni neutrum habent, sed strictam (R et V, nam de Naz. in hac voce tacetur; G scriptam) et (Naz., Col.) liberavit. Edebatur ante Fickertum strictam ac liberam scripsit. Seneca sine dubio posuerat: *destrictam* ac liberam scripsit. Nam destricta aptissime appellatur eo sig-

[redacted]

nificatu, quo Valerius Maximus *censuram destrictam* appellavit (II, 9, 6) et *testimonium* (VIII, 5, 2) et *vindictam* (VI, 3 init.), Claudius autem imperator (in orat. de civ. Gallis danda) dixit *destricte causam agere*, Plinius minor *destricte minari*, alii alia, Seneca autem ipse destringere libertatem (hoc est, tanquam gladium expromere) de benef. VI, 34, 3 et de ira II, 10, 4 imperatoris severitatem destringi in milites delinquentes, de quo usu dixi adolescens in disputatione de Asconio p. 11 not. Pro liberam poterat (ex liberavit) in mentem venire libera bili; sed in his codicibus facillima et vulgaria verba mire corrumpuntur.

Ibd. V, 3, 1: Lacedæmonii cives suos ... ab his certaminibus removerunt, in quibus victorem facit non iudex nec per se ipse exitus, sed vox cedentis et tradere iubentis. Sententia flagitat: et *parcere* iubentis. Ea est victi et submittentis se vox.

Ibd. 5, 4: Sæpe necesse est, ante alia beneficia petamus, quam priora reddidimus, nec ideo non petimus aut turpiter, quia non redditturi debebimus, quia non per nos erit mora, quo minus gratissimi simus. Prius quia absurdum est; ad turpiter desiderari verbum videtur. Scribendum est: nec ideo non *petemus* aut turpiter, *quasi* non redditturi, debebimus (hoc est: nec debito nostro priori turpitudo adiuncta erit). Deinde non agitur in hac re, ut gratissimus aliquis sit, sed ut gratus (quo minus *grati simus*). Cum coaluissent voces, additum est, pravo modo, sumus (Naz. et alii). (De c. 8, 2 vid. p. 408 n.)

Ibd. 14, 3 scribendum sic esse: Quomodo, inquit, adversus malum ingratus est quisquam, cum a malo (v. cum malo) dari beneficium non possit? iam Hauptius dixit (I p. 9). Sed etiam ea, quæ

sequuntur, mendosa esse Pincianus intellexit; neque enim alia rerum genera esse apud imperitos, alia apud sapientes et bonos, sed aliter ab utrisque æstimari, ne quid de aliis vitiis dicam. Itaque scribendum videtur: Ea scilicet ratione: *Qui* (sic Haas., Naz. quia) accipiet ab illo aliquid ex his, quæ apud imperitos [*in pretio*] sunt, quorum malis (vulgo: quorum si malis) copia est, ipse quoque in simili materia gratus esse debebit, cet. Et si tolli voluit etiam Haasius. Apud malos copia est eorum, quæ imperiti magni æstimant. (Siesbyeus: Ea scilicet ratione, quia, qui accipiet ceteraque, ut ego, ne ea pro hac ponatur, quamquam ipse admonet, id fieri fortasse eodem modo posse quo in eiusmodi, de quo dixi ad Cic. fin. IV, 14 p. 500.) Extremo capite (5) verum, quod ipsi codices præbent, negligitur: vos ad speciem veri componite animum et, dum honestum *discitis* (R, alii; Naz. discite, vulgo dicitis), quicquid est, *in* quo (Naz. est id quo) nomen honesti iactatur, id colite.

Ibd. 18, 1: In infinitum eius, inquit, m[e] obligas, cum dicis „et nostris“ (gratos nos deber[e] esse etiam adversus eos, qui nostris aliquid præstiterint). Omnes intellexerunt eius corruptum esse, nisi quod Fick[e]rtus imperite item dici pronuntiat quomodo quoa[d] eius. Corrigendi conatus non bene processerunt. Un[a] littera tollenda est: In infinitum *ius* me obligas (ita ut infinitum ius in me creditores habeant). Sequitur: Qui filio beneficium dat, ut dicis, et patri eius dat. Primum de quod quæro (sic Naz. et R; ceteri fere: de quo quæro); deinde illud utique mihi determinari volo, si et patri beneficium datur, numquid et patruo, cet. Opinor scriptum fuisse: Primum de *æquo* (*equo*) quæro (sitne hoc ipsum æquum); deinde (hoc aliquantisper seposito) illud utique cet.

[redacted]

Ibd. 21, 3: fenerator ... debitores non appellat, quos scit decoxisse, et in quorum pudorem nihil superest, nisi quod pereat. Scr. nisi *quo* pereat (nisi quo adhibito prorsus pereat pudor debitoris). Paulo ante (§ 2) scribendum est: Nam ultima quoque necessitas *non coget*, ut ad eum veniam. Codices: necessitas in hoc aget; Haasius: nec non in hoc aget. Nihil est h. l. *in hoc agere.*

Ibd. 25, 4: Moneri velle ac posse secunda virtus est quos obsequens faciet et parere huc illuc frenis leniter motis flectendus est paucis animus sui rector optimus; proximi sunt, qui admoniti in viam redeunt. Sic Naz., R, Gronovii codd., ceteri, quorum ullum est pretium. Interponi comparationem ab arte equorum tractandorum sumptam Haasius vidit, sed cum equos (sic enim recte scripsit), quem nominativum esse cetera ostendunt, pro accusativo plurali accepisset, cetera pervertit. Scribendum est: ... est. Equos (equus) obsequens *facile* et *parens* huc illuc fr. l. m. flectendus est. Paucis animus sui rector optimus; proximi sunt cet. Hæc cum scripsissem, aliquot mensibus post, cum ipsam Gronovii editionem inspexissem, Rubenium vidi, præclari acuminis hominem, idem omnibus litteris coniecisse. Apud Fickertum eius coniecturæ nulla mentio est.

Lib. VI, 3, 2: ignari, quantum telorum in adversos fortuna comparet. Imo: in *aversos*, ut habet R (et sine dubio Naz.), hoc est, dum in aliis occupati de fortunæ vi non cogitatis.

Ibd. 8, 4: et in unum testem de me rem demittit. Non magis *de me* quam *de se;* utrumque æque prave additur. Naz. testem demere demittit. Fuit: in unum testem *temere* (sic iam alii) *rem* demittit. Et temere (sine rem) edebatur ante Fickertum.

Ibd. 13, 4: Aliquid istic tua causa facis, aliquid mea; tua, quod redimis. Addebant superiores ex uno et altero codice interpolato: mea, quod eligis. Scribendum erat: tua, quod redimis, {*mea, quod me redimis*]. Acumen est in contrariis redimis (infinite, aliquem) et me redimis. Cfr. 27, 1: optas, ut ope indigeat ... optas, ut tua indigeat ope. (Cfr. ad IV, 31. et 32.)

Ibd. 15, 6: Quod tu pretium ponis traiicienti maria et per medios fluctus, cum e terræ conspectu recessit, certam secanti viam cet. Scrib. cum *terra e* conspectu recessit. Ipse qui navigat, non *recedit e* conspectu terræ. In verbis, quæ proxime præcedunt (5), pravum est ut, quia neque effectus significatur neque concessio, sed causa. Videtur fuisse: non tamen ullum istic tuum munus est, *ubi* non ex usu effectuve, sed ex consuetudine et annona *æstimatur* (pro æstimetur), nisi fuit: ut *ubi* ... æstimetur.

Ibd. 16, 2: nihil amplius (medico quam mercedem) debeo, quia me non tanquam amicum vidit, sed tanquam imperatorem. Ineptum esse (de uno ex communibus ægris, quos medicus perambulat) imperatoris nomen plures viderunt; aptum non invenerunt. Credo scriptum fuisse *interpellatorem* (qui operam invocando interpellat).

Ibd. 23, 1: non externa cogunt deos, sed sua illis in legem æterna voluntas est. Recte in ed. Erasmi priore scriptum erat: in *lege* æterna. Deorum voluntas tota est in lege æterna eaque continetur. Voluntatem esse *in legem* (intelligunt, opinor, pro lege), Latinum non est.

Ibd. 31, 5: Tantas minas belli et pæne totius generis humani ruentis impetum paucissimi sistent. Geminandæ duæ litteræ, ut fiat: gene-

[redacted]

ris humani *irruentis* impetum. Longe aliter genus humanum ruere dicitur.

Ibd. 38, 3: Agricolam annonæ caritas erigit; eloquentiæ pretium exceptat litium numerus; medicis gravis annus in quæstu est (sic recte edd. superiores, non in quæstum). Ineptum illud exceptat pluribus modis tentatum est, nullo feliciter. Scrib. eloquentiæ pretium *disceptat* (et de eo decernit) litium numerus.[1]

Lib. VII, 4, 5: Quemadmodum probemus omnia? nunc enim omnia sapientis esse inter duos convenit; illud, quod quæritur, colligendum est, quomodo liberalitatis materia adversus eum supersit, cuius universa esse concessimus. Nemo postulare poterat, ut Seneca omnia probaret (quid enim hoc est?), sed ut id, de quo agitur; differt autem ex hoc unam partem, de qua convenit; alteram, de qua nunc quæritur, confirmandam sumit. Itaque ad hanc formam Seneca scripserat: Quemadmodum probemus omnia [*sapientis esse, videbimus*;] nunc enim inter nos convenit; illud, quod quæritur, colligendum est, cet. Cum excidissent hæc: omnia sapientis esse, videbimus (propter probemus et videbimus similiter terminata), supplementum ex margine in contextam orationem cum errore illatum est. De videbimus differendi significatione posito dicetur ad ep. 75, 5. Inter nos omnes, supe-

---

[1]) C. 37 extr. Latine non dicitur absolute *esse aliquid in patrocinium, esse in gloriam* pro eo, quod est *patrocinio, gloriæ*. Recte dicitur *in patrocinium, in gloriam* satis *esse*. Sed tam audacem suspicionem (addendum esse satis ante est) in margine pono ac fortasse mendum tanquam incertæ medicinæ notare præstabat.

riores editores; solus Fickertus (ut secutus est Haasius!) inter duos tueri conatus est, adscripto c. 19, 1. Inter duos Senecam dicere potuisse, quis dubitat? Hoc loco non dixisse, quisquam, qui sanæ mentis est, negabit? Quid enim numerus ad rem pertinet? Neque *duo* idem est ac *nos duo*, etsi ita I. F. Gronovius enarrare conatus est.

Ibd. 8, 2 eloquentiam artificiosam et exornatam dixeritne Seneca concinnatam, dubito, potiusque *cincinnatam* scripsisse puto, hoc est, cincinnos illos habentem, quos Cicero et Augustus dixerunt.

Ibd. 14, 3: Etiam damnato reo oratori constat eloquentiæ officium, si omni iure usus est. Dicendi artem, non omnium iuris suffugiorum cognitionem et usum orator præstare debet; nec omni iure uti recte dicitur, qui nullum iuris præsidium omittit. Scribendum prorsus puto: si omni *ui renisus est.* (Paulo ante, § 2, nihil erat, cur Haasius recta turbaret propter verba non esse errore ex superioribus repetita, ut c. 15, 3 repetitur debes, ut c. 16, 5 illi quia repetit, huic quia, ubi itidem Haasius præceps ruit. Cap. 14, 5 eodem modo emendaram, quo Hauptius II p. 6.)

Ibd. 19, 4: Tale, inquit, illi beneficium, quale accepisti, non potes reddere; accepisti enim a sapiente, stulto reddis. Non (sic alii, Naz. in margine; „quid contextus habeat, latet") reddo illi, quale nunc potest accipere nec per me fit quod deterius id quod accepi reddam sed per illum id quod accepi reddam cui si ad sapientiam redierit reddam quale dum in malis reddam quale in illo potest accepi. Has litteras cod. Naz. habet; interpunctionis omnem speciem abieci. Apparet primum duo tempora distingui, quid nunc faciat is, qui loquitur, quid alio tempore facturus sit; tum (de quo erroris genere dixi in proximo loco, c. 14, 2) verba quædam bis esse scripta,

primum id quod accepi reddam, deinde reddam quale; postremo referri inter se in malis et in illo, ut alterum ex altero corrigendum sit; (nam imo, quod tota sententia flagitat, pro non, quod in Naz. contextu non fuit, iam Erasmus et Muretus restituerant). Nascitur igitur hæc scriptura prorsus recta et bona: Imo reddo illi, quale nunc potest accipere, nec per me fit, quod deterius, sed per illum; id, quod accepi, reddam, *cum* (aut reddam *ei*, *si*) ad sapientiam redierit; dum in *malo st*, reddam, quale in illo potest accipi. Sententia quæ esset, vidit iam Erasmus et cum scripsit. Sequitur paulo post (6): Feræ inter nos educatæ sunt, in silvas eruperunt: aliquid mansuetudinis pristinæ retinent, cet. Ineptissima est hæc fingendi figura, cum præsertim sic omnes universe feræ significentur. Scrib.: Feræ inter nos educatæ *si* in silvas eruperunt, aliquid m. pr. retinent. Ex si, sequente in, factum est *s;* id ut alibi pro sunt acceptum.

Ibd. 20, 5: Quod meum non est, redeat ad dominum, bonus sit an malus. Quid? diligenter istud excuterem, si non redderem, sed darem. Barbarum est bonus sit an malus pro eo, quod Latine dicitur: sive bonus est sive malus. Quid nihil agit. Scribendum: redeat ad dominum. Bonus sit an malus, quid [*ad me*]? Diligenter istud excuterem, si cet. (Cap. 22, 1, ubi Fickertus et Haasius ediderunt: Redde et te accusa, revocandum, quod ante edebatur: Redde et accusa. Nihil est, cur is, quem Seneca alloquitur, se accuset, sed beneficio exsoluto licebit ei hominem malum, cui reddiderit, accusare.)

Ibd. 29, 1 quoniam particulis coniunctis quoniam quidem progressio quædam et ascensus significatur, verba sic interpungenda sunt: Damnum non tunc (Haasius

nunc) factum apparuit; ingratus non sine nostro pudore protrahitur; quoniam quidem querela amissi beneficii non bene dati signum est, quantum possumus, causam eius apud nos agamus; fortasse cet. Sed primæ sententiæ vitium non removetur Haasii correctione. Superiores edebant: Damnum tunc factum nunc appasuit. Videtur fuisse: Damnum non tunc factum [*est*, *cum*] apparuit.

Ibd. 30, 2: Quæ ratio est exacerbare eum, in quem magna contuleris, ut ex amico dubio fiat non dubius inimicus et patrocinium sibi nostra infamia quærat nec desit? Nescio quid est, quod eum, cui tantum debuit, ferre non potuit; subest aliquid cet. Verba nec desit nullam habent sententiam. Quæ sequuntur, nescio cet., non ex scriptoris persona dicuntur, sed ex eius, qui ingratum eum, in quem beneficium contulit, expertus iniuriam sibi factam elevare conatur. Scripserat Seneca: Quæ ratio est exacerbare eum, ... quærat, nec *dicere*: Nescio quid cet. Præstat hoc dicere.

De clementia lib. I cap. 1, 5 non tam feliciter, quam solet, tractavit Hauptius (II p. 5). Nam cum in codicibus fide dignis (Nazariano et Gronovii Erf. et Amploniano) sic scriptum sit: Potes hoc, Cæsar, audacter prædicare, omnia, quæ in fidem tutelam beri, nihil parte (Erf. p. te) neque vi neque clamari rei. p. (clamari r. p.), cumque ex his duo appareant, alterum, duobus modis fere idem dici, primum aienti (omnia), deinde neganti (nihil), alterum, priorem sententiam ex parte primaria et relativa compositam fuisse, is, deterritus, opinor, nimia Haasii interdum in lacunis fingendis et verbis intercalandis levitate, hic aperta vestigia omissorum quorundam verborum ob vocem eandem bis positam aut duas similes neglexit et sustulit. Scriptum

fuerat ad hanc formam, a qua non multum Haasius discessit: omnia, quæ in fidem [*et*] tutelam [acceperis, salva ha]beri, nihil per te neque vi neque clam [damni da]ri reip.

Ibd. 3, 1: Nunc in tres partes omnem hanc materiam dividam: prima erit manumissionis, secunda, quæ naturam clementiæ habitumque demonstret, ... tertio loco quæremus, cet. Manumissionis nihil simile in omni materiæ tractatione esse multi intellexerunt. In prima parte Seneca clementiam commendat tanquam omnium maxime principi et Neroni convenientem. Opinor igitur Senecam scripsisse *manus iniectionis*, hoc est, ut tibi manum iniiciam ac te teneam. *Manus iniectio* pro uno vocabulo erat in iurisconsultorum sermone et ita ponitur apud ipsum Senecam de const. sap. 5, 7.

Ibd. 6, 2: Quotus quisque ex quæstoribus est, qui non ex (recte edd. superiores ea) ipsa lege teneatur, qua quærit. Quærit (de criminibus) non quæstor, sed *quæsitor* (ut apud Vergilium quæsitor Minos), itaque Seneca scripsit. Frequens est hæc confusio in codicibus et editionibus etiam aliorum scriptorum.

Ibd. 7, 1: et quis regum erit tutus, cuius non membra haruspices colligant? Hoc est: Omnium tutorum regum membra (fulmine disiecta) haruspices colligent. Atqui hoc sententiæ repugnat, quæ hæc est, neminem regum fore tutum, omnium membra haruspices collecturos. Scribendum est: Ecquis (sic recte edd. superiores) regum erit tutus? Cuius non membra haruspices *colligent*?

Ibd. 9, 1: Divus Augustus fuit mitis princeps, si quis illum a principatu suo æstimare incipiat; in communi quidem reipublicæ gladium movit. Nihil commune reip. significat, quod principatui contrarium poni possit et superius bellorum civilium triumvira-

tusque tempus notare. Ante gladi excidit nomen necessarium simillimarum litterarum: in communi qu. reip. *clade* gladium movit. Eodem capite § 3 Augusti iam principis clementia superioris temporis inclementiæ contraria sic commemoratur: Nox illi inquieta erat, cum cogitaret adolescentem nobilem, ... Cn. Pompeii nepotem, damnandum; iam unum hominem occidere non poterat, cum M. Antonio proscriptionis edictum inter cœnam dictaret. Rediculum hoc extremum, si recte intelligitur; neque enim ullo modo sic intelligere licet, tanquam scriptum sit: cum antea ... dictasset. Verum clarissime monstrant codices, in quibus scribitur M. Antonius. Itaque restituendum est: iam unum hominem occidere non poterat, *cui M. Antonius* proscriptionis edictum inter cœnam *dictarat.* M. Antonio Seneca primas crudelitatis partes dat, dictandi, Augusto relinquit secundes, scribendi.

Ibd. 11, 4 scribendum ita esse: Quid enim est, cur reges consenuerint ..., tyrannorum exsecrabilis ac brevis potestas sit (pro est)? dixi adolescens in emendatt. Cic. academic. et de legg. p. 34. (Paulo supra § 2 e codd. potius efficitur *non* comprehensibilis amor quam incompr. a.)

De c. 12, 2 dixi vol. I p. 33, ubi poteram addere, Lipsium sententiam vidisse. Sed § 3 hæreo, rectene dicatur: uterque licet non minus armis valletur; nam aut non minus de uno rege dicendum videtur fuisse (quam tyrannus) aut æque de utroque. Fortasse Seneca scripsit: uterque licet *dominus* armis valletur.

Ibd. 13, 1: gloriosusque miles (publicæ enim securitati se dare operam videt) omnem laborem libens patitur. Nec per se optime de milite securitatis custode dicitur *dare operam*, et alio ducunt vestigia optimi codi-

cis: se dare videm omnem, ex quo effici videtur: se dare *fidem videt* (efficere, ut ei confidatur).

Ibd. 14, 1 scribendum: nisi magnæ ... iniuriæ patientiam *evicerunt* (pro evicerint), nisi plus est, quod timet, quam quod damnat, non accedit ad decretorium stilum. Vid. ad quæst. nat. IV, 2, 22. (Sic cod. aliquis Guelf.)

Ibd. 15, 2: Tarium, qui filium deprehensum in parricidio exilio damnavit ..., nemo non suspexit, quod contentus exilio ... Massiliæ parricidam continuit. Primum causa et damnatio significatur, deinde in pœna constituenda lenitas. Itaque pravum est prius exilio; et codices (Naz. et alii) consilio habent. Scribendum igitur est: *in parricidi consilio.* (Adiuvit errorem vel genuit, quod parricidi non plenum videbatur.)

Ibd. 16, 3: Uter autem præceptor liberalibus studiis dignior, qui excarnificabit discipulos ..., an qui monitionibus ... docere malit. Scrib. *malet.* Incredibile est talia incuriose transmitti.

Ibd. 19, 3: Est enim illi (naturæ) mos exercere se in parvis et ingentium rerum documentam minima argere. Sic Naz. (ceteri agere aut augere), geminata littera *m*. Scrib. documenta minima *spargere.* (Quod Haasius in minima cogere scripsit, Hauptius in m. urgere, debebat in minimum dici; urgere in minimum sive minima pro eo, quod est cogere, contrahere, omnino non dicitur.)

Ibd. 22, 3 (constituit bonos mores civitati princeps et vitia eius, si patiens eorum est, non tanquam probet, sed tanquam invitus ... ad castigandum veniat, ut in Naz. et aliis scribitur) iam Gronovius sensit verbum, quod varie suppletur, inesse in eius (vel potius eiu; nam *s* geminatione sequentis litteræ

ortum est) scribique eruit voluit; fortasse præstat *eicit* aut *evincit*.

Lib. II, 2, 1 et 2 primum nihil est, cur non simpliciter teneatur, quod in codicibus est: parcetur ubique manibus tuis, hoc est, ubique abstinebitur sceleribus, ne cogantur manus tuæ tristes litteras scribere. Sequitur in codicibus bonis: Diutius memorari huic patere, ubi Senecam scripsisse opinor: D. me *immorari* huic [*voci*] patere. Infra (3), ubi hæc in codicibus scripta leguntur: Ac nescio quomodo ingenia immania et invisa materia secundiori expresserunt sensus vehementes et concitatos, statim apparet ingenia poetarum perverse immania et invisa appellari, nec minus perverse materiam eam, quæ hic significatur, in tyrannis describendis positam secundiorem appellari, ne quid dicam de ablativi usu (*materia secundiore exprimere sensus*). Omnia recta facile fiunt: Ac nescio quomodo ingenia *in* immani et invisa materia secundiore *ore* expresserunt sensus vehementes et concitatos. (Felicius iis in hac materia sensus se dederunt quam in ceteris.) Hæc correctio iam Lipsio, nisi quod in non addidit, in mentem venerat, sed cum apud Fickertum omissa esset, iterum a me facta est.

Ibd. 4, 2 Seneca postquam definitionem crudelitatis posuit, qua ea ad atrocitatem in pœnis exigendis revocatur, obiici fingit, esse quædam facinora immania, ut Busiridis et Procrustæ, quæ sub hanc finitionem (sic enim ipse appellat) non cadant: Hæc crudelitas quidem, sed quia nec ultionem sequitur (non enim læsa est) nec peccato alicui irascitur (nullum enim antecessit crimen), extra finitionem nostram cadit. Primum omitti nullo modo in huiusmodi concessione poterat est; deinde Seneca hanc esse crudelitatem minime concedit (suam enim definitionem prorsus tolleret), sed in proximis (Possumus dicere cet.) ostendit, quomodo

vitari hoc possit. Itaque excidisse apparet verbum necessarium propter similitudinem litterarum aut latere in ipso quidem: Hæc crudelitas quidem *videtur* (aut videtur tantum), sed, quia. Tum post cadit in Nazariano (et Col.) scribitur: finitionem continebat (Col. tenebat) in pœnis exigendis intemperantiam animi; interpolando additum est quæ ante finitionem, tum in deterrimis factum finitio. Subest et pæne eminet: *finitio enim* continebat cet. Sequitur § 3 extr. in Nazariano: Hanc (crudelitatem, id est, inclinationem animi ad asperiora) clementiam repellit longius stare a sæ nam severitatem ille convenit. Efficitur: Hanc clementia repellit, longe *iussam ire* a se; *cum severitate illi* convenit. In extremis non ita longe a vero aberat Haasius; *repellit longe distare* nullam habet speciem Latinæ orationis. Explicat deinde Seneca, virtutes et clementiam et severitatem esse, vitia crudelitatem et misericordiam.

Ibd. 5, 3: Quod si est (ut Stoicorum decretis omnia delicta ad pœnam sine spe deducantur), quidni hæc scientia, quæ dediscere humanitatem iubet portumque adversus fortunam certissimum mutuo auxilio cludit. Recte viderunt, qui in scientia mendum esse putarunt; neque enim Stoicorum decreta (propria, quibus a ceteris differunt) Latine scientiæ nomine appellari possunt. Scribendum: Quidni hæc *sit sententia*, quæ cet., hoc est: confitendum est, hanc esse sententiam, quæ cet. (De quidni vid. ad II de benef. 10, 4. Apud Ciceronem veteresque sequi debebat: *quæ iubeat ... cludat.* Eam legem licentius etiam, quam ceteri huius ætatis, Seneca negligit; pauca ex infinitis exempla ponam: de vit. beat. 10, 1 et 19, 3; de benef. III, 23, 2 bis, VI, 21, 4, quæstt. natt. I, 3, 3, II, 26, 8 et 9; 47 init., 49; epist. 30, 11; 36, 2 et 3; 55, 3; 71, 25; 108, 30 (esse, quorum ... habet). Sed recte

Lipsius *portum auxilio cludi* prave dici sensit (neque enim auxilium portum petit) scribendumque esse: portumque ... mutui auxili cludit (miseris).[1])

Ibd. 6, 3: Ergo non miserebitur sapiens, sed succurret, sed proderit, in commune auxilium natus ac publicum bonum, ex quo dabit cuique partem: etiam ad calamitosos pro portione improbandos et emendandos bonitatem suam permittet; adflictis vero et sortis (culpa addit Haasius; Pincianus et alii fortuitis) laborantibus multo libentius subveniet. In his, quæ præter unum in codicibus sanorum speciem habent, multa et gravissima sunt vitia sententiæ. Primum cur etiam ad calamitosos bonitatem permissurus sapiens dicitur, qui primo loco iuvandi videntur esse? deinde quæro, quid ab his ita differant afflicti, ut cum adscensus nota (vero) sapiens his multo libentius subventurus esse dicatur; tum scire velim, cur portionis mentio in calamitosis fiat, quæ in omnibus servanda videtur; postremo vero, quod expediri nullo pacto potest, cur ad calamitosos non iuvandos, sed emendandos bonitas sapientis permittitur, quasi calamitosi magis quam fortunati mali et omnes mali sint? nam quid ad calamitosos improbandos bonitate opus sit et ad eos pro portione improbandos, adeo excogitari nequit, ut prorsus ridiculum hoc sit. Quid fiet igitur? Removendi ita sunt calamitosi illi, ut sapiens bonitatem suam permittere dicatur etiam ad improbandos et emendandos, hoc est, ad homines minus bonos et probos atque emendatione egentes, multo vero libentius ad adflictos. Sic igitur scribemus: ex quo dabit cuique

---

[1]) Paulo post (4) quod e vestigiis codicis Naz. scripseram: non potest autem magnus esse idem ac mæstus; mæror cet., occupavit Hauptius I p. 8.

partem; etiam pro portione *ad* improbandos et emendandos bonitatem suam permittet; adflictis vero cet. Cum non intelligeretur, improbandos et emendandos dici per se de genere hominum (*πρὸς τοὺς μεμπτοὺς καὶ ἐπανορθωτέους*), non de actione, quæsitum est nomen, ad quod gerundiva pertinerent, additumque calamitosos et ad id necessario præpositio retracta. In extremis scribendum videtur: adflictis vero et sortis *laborantis* (hominibus); id cur mutatum sit (ut afflictis alter dativus adiungeretur), perspicuum est. Opusne est ad coniunctionem adiectivi et genetivi defendendam adscribere v. c. Liv. XL, 51, 4: *plura et maioris usus*, Suet. Iul. 75: *medios et neutrius partis*?

Ibd. 7, 1: At quare non ignoscet? Vacuam constituamus nunc quoque quid sit veniam, et sciemus, dare illam a sapiente non debere. Sic Naz. Vacuam etiam ceteri codices habent, sed recte scientia. Opinor scriptum fuisse: *Vacuo animo* constituamus nunc qu., qu. s. scientia, et sciemus, dari cett. Sed hæreo in nunc quoque, quod ad quam superiorem constitutionem referatur, non video. Fuitne constituamus in unoquoque? Paulo post, ubi est: ego ut breviter tanquam in alieno iudicio dicam, aut tollendum est ut aut scribendum autem.

Quæstionum naturalium libri, ab ipso Seneca ex farragine excerptorum sine ordine et sine intentiore cura compositi, interpositis ubique contra malos mores et cupiditates declamationibus tumidis et contortis, a librariis iam antiquitus permale habiti (confuso etiam alicubi librorum ordine et finibus, ut Haasius demonstravit) et lacunas habent (ut IV, 3 init., ubi tantum argumenta notantur) et etiam in optimo, qui adhuc innotuit, codice,

Berolinensi sæc. XIII (E),[1]) mendorum gravium, interdum ex pusillis erroribus in miram speciem detortorum, magnam vim. Ceteri codices hic quoque incredibiliter interpolandi lusibus depravati sunt, quorum initia, nec ea parva, (quod media ætate hoc opus lectitabatur) iam sunt in codice Bambergensi (B), sæculi, si recte traditur, XI, cui proximi sunt Pal. 3, 4 et fragmentum Coloniense; ceteri, indidem orti (quod demonstrant, ut hoc utar, eadem verba omissa I, 1, 6, II, 21, 2), multo longius progrediuntur. Sed tamen nonnullis locis verum in E oblitteratum servavit B solus aut cum illis tribus. Accedunt ad dubitationes augendas opiniones, quas Seneca sequitur et exponit, interdum parum notæ, in quibus intelligendis et ad ipsas res referendis editores aliquoties longe aberrarunt. Permulta, quali nunc instrumento utimur, sanari nequeunt.

Lib. I procem. § 3: quid sit deus, totus in se intendat an ad nos aliquando respiciat. Scribendum necessario intendatur. (Deus totus in se intentus.) Cfr. ad Marc. 1, 5 tacebunt pro tacebuntur, ep. 85, 36 noceat scriptum pro noceatur et alia similia non pauca.[2])

Ibd. § 8 sic scribitur in codicibus fide dignis (E, Col.): Ultra Istrum Dacus non exeat; imperium (Col. imperim) hemotraces includat; Parthis obstet Euphrates, cet. Interpolatio iam in B manifesta est: Istmium Samotraces includat. Ex illa

---

[1]) Hæc nota apud Fick. præf. p. XI errore omissa est.

[2]) § 4 frustra comparatione dissimilium corruptorumve defenditur hoc: non fuerat nasci pro eo, quod est: non opus fuerat nasci. Etiam VI, 31, 1 scribendum est: quibus ... male stantibus *opus* non erat impelli, sed agitari. Post bus facile excidebat opus. (Sensit mendum Fromondus).

scriptura primum Hæmo, non Hæmus antiquum esse apparet, deinde pravum esse, quod ex Istmium similibusque Gronovius exsculpsit Strymon et, cum præsertim in singulis gentibus reliquis tantum singuli termini nominentur, aut mons aut fluvius. Scripserat Seneca: imperium Hæmo Thraces *includant* (unam litteram in optimi codicis scriptura mutavi) aut: *Thrax* includat (*x* pro *ces* posui).

Ibd. c. 1, 2: Si autem, quod commodissimum est, convenerit inter nos, ne alter alterum interroget, qui dicit illum respondere non posse, satius erit de re ipsa quærere quam mirari, quid ita Aristoteles globum ignis appellaverit capram. Sic E (Col. quid dicit, om. non posse, P 3: quid diem illud recidere non posse). Facile hinc eruitur verum: ne alter alterum interrogit, *quod scit* illum respondere non posse, cet. (ne inutilibus interrogationibus alter alterum vexet). Tantum bis *i* mutatur. (Infelix fuit Hauptius II p. 17.) Eodem capite § 6 in E (et P 3) sic scribitur: Quemadmodum nubes collisæ mediocriter fulgurationes efficiunt, maiore impetu impulsæ fulmina, sic quanto illas minus presseris minoresve, tanto leviora fulmina emittunt. (In ceteris enim codicibus omissis verbis sic quanto ... leviora fulmina, quod in eo, unde omnes orti sunt, scribendo oculus aberraverat in fulmina bis posito, desideratur altera comparationis pars.) Sed mendi aliquid esse apparet in presseris; nam homines nubes neque magis neque minus premunt. Scripsisse Seneca videtur: sic, quanto illas *minor pressit vis* minoresve, tanto l. f. e. Aut vis minor esse potest aut ipsæ nubes minores. Postremo § 9 sic editur: Illud enim stultissimum [est] existimare aut decidere stellas aut

transsilire aut aliquid illis auferri et abradi; nam si hoc fuisset, et defuissent, et sic E, cui hic ceteros præfero, in quibus est fuisset, iam defuissent; saltem et tollendum est, ortum ex fuisset. Sed defuissent tempore graviter peccat (pro deessent) et ipsum quoque per se minus rectum est post fuisset. Unum aptum est *defecissent*.

Ibd. 5, 2: Nunc nihil ad rem pertinet, quomodo videamus quodcunque videmus, sed quomodo imago similis reddi e speculo debet. Non solum modo verbi peccat debet (pro debeat), sed omnino pravum est; ad rem enim pertinet, quomodo reddatur imago, non quomodo debeat reddi. Præterea, adiunctum illis quomodo videamus, abundat totum hoc quodcunque videmus. Recta omnia erunt sic distincta et scripta: Nunc n. a. r. p., quomodo videamus; quodcunque videmus *et* quomodo*cunque*, imago similis reddi e speculo debet. Deinde § 3, ubi editur: Qui montium summa conscendunt, spectant nubem, Hauptius (II p. 12) inspectant scribendum putat; ego prætulerim despectant.

Ibd. capitis 11 prima pars (Aliud quoque virgarum genus ... et ipsi signa imbrium sunt) superiori capiti adiungenda est, ad idem argumentum pertinens; deinde novæ rei (parheliorum) tractandæ initium oritur ab his verbis: Quomodo nunc me hoc loco geram? quid vocem imagines solis cet., omisso auctoritate codicis E pronomine eas (vocem eas imagines), quod omnino, quo referatur, non habet, nisi scribas eas imag. solis, *quas* historici cet. Nam ad virgas hæc omnino non pertinent, nec cuiquam in mentem venire poterat, ut imagines solis virgarum nomine appellaret.

Ibd. 13, 2: Debent autem hæ nubes, quæ hoc præstant, densæ esse, leves, splendidæ, plane naturæ solis. Neque Latine dicitur *esse naturæ solis*, ut sit, eiusdem, atque sol sit, naturæ (etsi dicitur *esse figura tauri*), neque cuiquam in mentem venire poterat nubibus solis naturam tribuere. Una littera mutanda est: plane *saturæ* solis, quomodo *satura multo conchylio purpura* dicitur ad Helviam 11, 2, *color atur* apud Plinium, similiterque *saturari* et *satiari*. (Sonnengesaettigt.)

Ibd. 16, 3: et quæ secreta quoque conscientiam premunt et quæque ac sibi quisque fecisse se negat, . . . in oculos suos ingereret. Sic E. Efficitur: et *quæ*, *qui facit* (EAC), sibi quisque fecisse se negat, ... in o. s. ingereret (tam fœda, ut, qui ea facit, tamen sibi neget, se fecisse).

Ibd. 17, 2: In nulla re illa (rerum natura) negotium luxuriæ concessit. Quid sit *negotium luxuriæ* (aut omnino alicui) *concedere*, prorsus non intelligo; intelligam, si sic scribetur: negotium luxuriæ *gessit*, hoc est, eius causa et in eius usum tanquam ministra laboravit. Primum cessit, tum concessit factum est. Eodem cap. § 8 pro eo, quod in melioribus codd. est: auro inditum speculum scribendum opinor: auro *inlitum*. Tum scribendum: non *dedisset* illis senatus dotem pro fecisset, quod ex præcedenti fecit natum est. (Ne confecisset quidem aptum esset, quia senatui dos non conquirenda et paranda erat.) [Sic iam aliquis apud Gruterum.] Postremo § 9, ubi in E est: illa dos, quam dedit senatus pro aĩo se, scribendum videtur: senatus *pop. Romani nomine*.

Lib. II, 1, 4: et cetera huiusmodi, quotiens in manus venerint, terram sequentur (prave Haasius ex E sequuntur) et in imis collocabuntur.

E in uno, hoc est, in *imo*. (Et sic cod. Vossianus apud Michaelem, Philolog. VIII p. 452.)

Ibd. 5, 1: Terra et pars est mundi et materia. Pars quare sit, non puto te interrogaturum, aut æque interroges, quare cælum pars sit; quia scilicet non magis sine hoc quam sine illa universum potest esse, quod cum his universum (E corrupte universis) est ex quibus quam ex hac alimenta omnibus ... dividuntur. Sic (in postremis) E et Memmianus. Apparet attendenti deesse transitum a partis notione ad materiæ, ad quam pertinent postrema hæc de alimentis. Scriptum fuerat hac forma: quod cum his universum est, ex quibus (*τὸ πᾶν σὺν τούτοις ἐστίν. ἐξ ὧν*); [*materia est*] *quia* ex hac alimenta cet. Luditur in præpositionibus cum et ex. (Michaelis Philol. VIII p. 453 non recte locum expedivit; sensit tamen aliquid.)

Ibd. 6, 2: Teneri vero disiecta non possunt: intentionem aeris ostendent tibi inflata nec ad ictum cedentia. Et ipsa res et quæ de intentione subiiciuntur, postulant: *Tendi* vero.

Ibd. 8, 1: Sed hæc alias; esse quædam in rerum natura vehementia magnique impetus non sic colligendum: nihil nisi intentione vehementius est, cet. Sic E. Editur nunc sic. Verum, esse quædam vehementia, non sane colligitur, sed, hoc concesso et posito, esse vehementia, ex notione vehementis ducitur ea, quæ deinde explicatur, conclusio argumenti. Itaque retento non et notata lacuna sic fere scribi debet: Sed hæc alias. Esse quædam in rerum natura vehementia magnique impetus non [*negatur; nunc*] sic colligendum: Nihil cet.

Ibd. 12, 1: Fulguratio ostendit ignem, fulminatio emittit; illa, ut ita dicam, comminatio est, conatio sine ictu, ista iaculatio cum ictu.

Sublata voce, qua soli infimæ ætatis medici usi sunt quæque h. l. e dittographia et ex compendio orta est, scribendum est æqualibus membris: illa ... comminatio est sine ictu, ista iaculatio cum ictu.[1])

Ibd. 13, 4, ubi in vulgata scriptura ordo rerum prave dicitur absolute esse et purgatus ignis oras et sortitus esse et circumire, mireque circuitionis pulchritudo laudatur, ex vestigiis cod. E scribendum est: Ordo rerum et (codd. est et) purgatus ignis, in custodia mundi summa sortitus, oras operis *pulcherrimi* (mundi pulcherrime facti; cod. pulcherrime) circueunt.

Ibd. 20, 2: Ergo et ignis ibit in spiritum perdetque fulgorem, et spiritus, dum secata infra, incendet. Sic codd. (E B P 3, 4.) Quod Haasius substituit secat infera, nihil omnino huc infera pertinent; nec felicior coniectura est, quam vol. III præf. p. XXV proposuit. Fuit: dum secat *aera*, incendet. Ex secataera natum secata fra, tum infra.

Ibd. 21, 2: Esse illum ignem (de fulmine agitur) color ostendit, qui non est nisi ex eo, quod ostendit, effectus. Sic E; ceteri, qui propter bis positum ostendit omittunt verba: qui non est ... ostendit, recte calor; nam neque ex colore concludi potest, ignem esse, neque cetera ad colorem apta sunt. Sed aliud præterea mendum arguit et sententia in verbis ex eo, quod ostendit, graviter laborans et ipsa in ostendit pellucens anaphoræ figura et ea, quæ sequuntur, accommodata ad effectus nomen (subst.), quod et superiores tenuerant et Haasius. Tollendum est quod interpolando ad eo additum. Rectissima enim hæc sunt: Esse illum ignem, calor ostendit, qui non est, nisi ex eo (ex igni), ostendit effectus; magnorum enim sæpe

[1]) § 5 indigne negligitur egregia Pinciani emendatio: deinde ubi latus nubis proximæ ferit.

incendiorum causa fulmen fuit. (§ 4 Senecam non scripsisse hoc uno loco contra legem infinitis locis servatam ad exercendum verba, satis certum est.)

Ibd. c. 22 extr., 23 init. Postquam expositum est, ignem ventorum vi excuti posse vel ex ipsis vel ex corporibus illorum transitu tritis, subiicitur in E: Ne hoc tantum in his debere credi ac siderum, quorum ingens in confesso potentia est. Sed (hic novi capitis initium fit in editionibus) fortasse nubes quoque in nubes incitatæ cet. Ceteri codices: Nihil tantum (B) aut Nihil tamen tantum, deinde omnes debet, tum B om. ac, alii plures interpolando addunt in vi (ac in vi siderum). Primum constare debet, siderum nullas esse partes in iis, quæ de origine ignis in nubibus longissime infra sidera positis dicantur. Hoc posito et pro debere, quod ad credi accommodatum est, ex B (ceterisque) revocato debet, efficitur aptissime: *Nec* hoc tantum in his (ventis) debet credi *accidere*, quorum ingens in confesso potentia est, sed fortasse nubes quoque in nubes incitatæ, fremente vento et leniter urgente, ignem evocabunt cet. Distracto accidere et una littera mutata ortum est ac sidere; genetivus ex quorum natus est.

Ibd. 26, 4 (nam 25 extr. et 26, 1 emendavi vol. I p. 36): Maiorum nostrorum memoria, ..., cum insula in Ægæo mari surgeret, spumabat interdiu mare et fumus ex alto ferebatur; nam demum prodebat ignem cet. Scribendum (non, ut Haasius fecit, noctu, sed): *nox* demum prodebat ignem cet. (Nox pro num restitui Valerio Fl. III, 76.) Deinde § 7 sic scribitur in E: Adeo res ista (nubium humor) non affert ullam moram, quod (B quæ) contra causas ignium fit (B sit), quos non videmus emicare nisi impendente cælo; serenum sine

[redacted]

ulmine est. Manifesto sententia flagitante aut (violenter atis) scribendum est: Adeo ista res non affert llam moram, *ut* contra *causa* ignium sit, quos et., aut lenius: Adeo ista res non affert...moram: ontra causa ignium fit, quos cet., eodem modo misso ut, quemadmodum dicimus: *Tantum abest ut lorem, vix risum teneo.* Simile tamen exemplum non ovi. Ex eo, quod non fulgurat nisi cælo impendente (hoc st, obducto nubibus dependentibus) concluditur, humorem tiam causam ignium esse. (Extremo capite recte B in uperiora, prave E in inferiora; recte Gronovius: ubes *imæ* et humiles.)

Ibd. 27, 3 sic in E scribitur: Aliud genus tonitrus) est acre, acerbum, quod acerbum mage sic etiam P 3, Col. mãe, B et P 4 magis) dixerim uam sonorum, qualem audire solemus, cum uper caput alicuius dirupta vesica est. Omitto liorum conatus. Hauptius nuper (II p. 17) recte egavit Senecam hoc uno loco mage ex antiquo sermone ulla minima causa arripuisse; sed quam periculose pro o substituatur tritissima forma magis, ipse optime scit. 'ec alioquin oratio aut sententia probabilis est: acerbum ıagis dixerim quam sonorem (sic enim scripsit), ualem cet. Neque enim tonitrus apte dicitur magis omen id, quod imponitur, mereri, quam is ipse sonus, ui aliunde rei exemplo illustrandæ causa assumitur; dicendum præterea erat in tali comparatione: quam *eum* onorem, *quem* cet. Nec omnino *acerbi* appellatio quod ep. 56, 5 longe aliter de voce humana dicitur) apta it ad subitum et ruptum sonum significandum. Vestigia optimi codicis et ceterorum declarant locum laborare ittographiis et interpretamentis. In illo mage, hoc est, etracto *m*, quod ex præcedenti voce adhæsit, in age sum inest acre, nec Seneca quicquam scripsit præter ec: Aliud genus est, quod *acre* dixerim,

qualem sonorem audire solemus, cum cet. Nam sonorem ab Hauptio sumo.

Ibd. 32, 8 postquam dictum est, ne immota quidem et superiora sidera „extra ius dominiumque nostri esse" (sed ipsa quoque vim in nos exercere), sic in codicibus pergitur: Aliud aspice et distributis rem efficis tractas. Non magis autem facile est scire, quid possint, quam dubitari debet, an possint. Etiamsi hæc postrema, quæ perspicue redeunt ad siderum illorum vim, non adessent, tamen satis manifestum esset, nihil hic per secundam personam (sive indicativi sive imperativi) interponi posse de hominis actione et officiis[1]). Distributa officia (nam officiis scribendum esse, omnes post Fabrum viderunt) satis ostendunt aliud geminandum esse et sic scribendum esse: *Alia* (alium?) aliud (sidus) *adspicit*; distributis rem officiis *tractant;* non magis autem, cet. (Perinfeliciter Haasius præf. vol. III p. XXV. In tractant iam Gronovius incidit.)

Ibd. 34, 2: Si aves futura cecinerunt nec potest hoc auspicium fulmine irritum fieri aut non futura cecinerunt. Sic E; ceteri, lacunæ indicium occultantes, non pro nec scriptum habent. Nam si nec cum illo futura cecinerunt sequentia copulat, deest apodosis. Deinde illud aut non futura cecinerunt postulat, ut antecedat non si cecinerunt, sed aut cecinerunt. Seneca scripserat: Si aves [*cecinerunt*, *aut*] futura cecinerunt nec potest hoc auspicium fulmine irritum fieri, aut non futura cecinerunt. Dilemma necessarium ponitur. Deinde § 3, ubi vulgo edebatur: Si hoc dicunt: quamvis altera signa verum prædixerint,

[1]) Prorsus lepide Fickertus alites coniectura intulit.

fulminis ictus priora delevit et ad se fidem traxit, falsum est, in E sic scribitur: Si hoc dicunt: quod altera res verum prædixit sed fulminis cet., ex quo efficitur verum: Si hoc dicunt: Quod altera *ars prædixit, verum est*, sed fulminis i. pr. del. et. ad se f. tr., falsum est.• (Altera ars, dein altera res). Tum ex eiusdem E vestigiis (non interest, ubi ceteri nihil interit) scribendum est: Fatum unum est, quod sive primo auspicio intellectum est sive secundo, non interit. [Sic Fick.] Postremo § 4 Fickertus et Haasius ex E, quem tamen per omnia sequi non potuerunt, ea posuerunt, quæ et oratione (per quod quidem) et sententia (de ave) absurda essent. Scribendum est fere cum superioribus: Ita dico: non refert, an aliud sit, per quod quærimus, quoniam, de quo quærimus, idem est. Fatum fulmine mutari non potest. Turbæ ortæ sunt ex syllabis quo quae se excipientibus. (In de quo ne Fickertus quidem aberravit.)

Ibd. 35, 1: Permitte mihi illam rigidam sectam tueri eorum, qui excipiunt ista (expiationes procurationesque) et nihil esse aliud quam ægræ mentis solatia existimant. Quæ hæc exceptio est? Scrib.: qui *despiciunt* ista. Fromondus: qui exsibilant, longius discedens; alii reiciunt. (Cap. 37, 2 verum servavit deterior codicum secta, B duce: Quædam enim a dis immort. ita suspensa relicta sunt cet.).

Ibd. 39, 2: Status est, ubi rebus quietis nec agentibus nec cogitantibus quicquam fulmen quidem intervenit et aut minatur aut promittit aut monet. Non potuit Seneca tam ambigue vel potius tam perverse scribere, ut post rebus quietis participia, nullo addito pronomine (nobis), de hominibus intelligerentur. Nec in superioribus quicquam de rerum condicione dictum est. Itaque rebus aut tollendum est (et abest in

B G editionibusque ante Fickertum) aut potius in *nobis* mutandum. Quidem in E pravo loco ponitur; in B ceterisque est: nec cogitantibus quidem; rectum erit: *ne* cogitantibus quidem. Sed eo magis quietis nec agentibus coniungenda sunt: ubi *nobis* quietis nec agentibus, *ne* cogitantibus quidem quicquam fulmen intervenit. (§ 4 pro (deliberantibus) et quod ferri nequit, superiores at, ego *set* posueram.)

Ibd. 42, 3: Quid ergo secuti sunt, cum hæc dicerent? Ad coercendos imperitorum animos sapientissimi viri iudicaverunt inevitabilem metum, ut aliquid supra nos timeremus. Inepte hæc concurrunt: metum, ut timeremus. Codex E matum habere dicitur. Debuit librarius scribere inevitabile *malum*, ut cet. Nam per se malum erat hæc superstitio, sed necessarium maioris rei causa.[1])

Lib. III, 10, 2: non deficit spiritus, sed per dies noctesque æqualiter fluit, nec ut flumina certo alveo feruntur, sed per vastum cæli spatium lato impetu vadit. Aut fertur scribendum cum superioribus editionibus (nec, ut fl., c. a. fertur)

---

[1]) Et c. 48, 1 (impetratur et prorogantur pro impetretur et prorogentur) et 49, 3 (insultantium pro invitantium) manifesti codicis E errores Fickerto et Haasio fraudi fuerunt. Cap. 51 recte Michaelis scribi voluit: tanquam, *iterum* eodem anno idem homini futurum fulmen, quod factum sit, cod. Vossiani testimonio (præter Guelf.) in iterum usus. C. 59, 4 scripseram: Alia (pro talia) varia [fortuna] formidine disponit; mors omnes æque vocat, oculum librarii in syllaba for bis posita aberrasse putans; Hauptius (II p. 18) scripsit: Alia vario fors ordine disponit; ordinis notio mihi minus apta videtur, Deinde ex corruitur utrum confligitur (Hpt.) an concurritur faciendum sit, difficile est decernere nec multum refert.

aut tollendum verbum (nec, ut flumina, certo alveo sed ... vadit).

Ibd. 13, 1: Sed nos quoque aut in eadem sententia aut in ultima eius sumus. Pravum ultima, pravius ultima eius. Hauptius (II p. 18) cituma ei scripsit, utroque vocabulo mutato, adiectivi, quod est citumus (cuius perrarus post Ciceronem ante Apuleium usus est), cum dativo positi (ante Apuleium) uno prolato exemplo Ciceronis admodum dubio e somn. Scip. c. 3 (§ 16), ubi scribendum videtur: ultima a cælo, cituma *a* terris. Senecæ sine dubio restituendum est: in eadem sententia aut in *uicinia* eius sumus. [Grut. in vicina sumus.]

Ibd. 16, 1: Supervacuum est nominare singula flumina ... et occasionem singulis quærere. Scribendum videtur (post *m*) *in* singulis. Dativus vix ferri potest. § 5 egregie emendavit Hauptius (II p. 19) restituto lacus ampli. Sed præterea post hæc: sunt et illic specus ... sunt abrupti ... hiatus (cui parti adhærent illa: hæc spiritu plena sunt . . . inane est) requiri videtur: *sunt* etiam stagna cet. Et facile post *st* excidit sunt.

Ibd. 17, 3: Hi sunt, qui fabulas putant, piscem posse vivere sub terra et effodi, non capi? Quam incredibile eis videretur, si audirent natare in garo piscem nec cœnæ causa occidisse super cœnam, cum multum in deliciis fuit et oculos ante quam gulam pavit? Nusquam refertur hi; nam ante universe luxuriosus mos pisces vivos in convivium afferendi, ut ibi demum moriantur, commemoratus est, non homines, et si homines, non sane ii, qui hoc loco significantur, increduli in naturæ miraculis, quibus multo incredibiliora videri Seneca vult hæc luxuriæ inventa. Scribendum est: *Ubi* sunt, qui fabulas putant cet. Adesse iubet et magis mira audire.

(Cfr. Cic. de orat. II, 59: *Ubi sunt, qui Antonium Græce negant scire?* et similia. Pincianus: Et sunt, qui cet. Sed tum putent scribi debebat.) Sed deinde, quod ex interpolatis codicibus, in quibus est occisum super cœnam, intelligi nequibat, facillime intelligitur ex E (et Memmiano), scribi debere: nec cœnæ causa *occidi, sed* super cœnam, cet. Et tamen Pincianus sed reppererat. Non ita paucis locis etiam olim menda correxi orta ex particula *sed* cum verbis conflata. (Super cœnam eodem modo Plinius min. III, 5, 11, IV, 22, 6.)

Ibd. 18, 1 in E scribitur: Nihil est, inquit, mullo exspirante illic formosius; ipsa colluctatione animæ sese afficiente (aut afficienti) rubor primum, deinde pallor suffunditur. Nihil est sese afficiente. Scribendum: ipsa colluctatione animæ sese *inficienti* (pisci, hoc est, colorem ducenti) rubor primum, d. pallor suffunditur.[1])

---

[1]) Cap. 18, 3 sic verba editores coniungunt, quasi *nescio tibi credere* idem sit ac: *non possum (audeo) tibi credere* (ut apud Gallos *je ne saurais croire*); verum eius usus nullum est exemplum; aliter enim apud Iuvenalem dicitur *mentiri nescio*, hoc est, mentiendi artem non teneo (ut contra *mentiri scio*). Itaque per se (post piscatoris verba: Hodie eductus est) ponitur (e persona luxuriosi) nescio; credere cum oportet coniungitur, sed locum certo emendare non possum; fortasse scripserat Seneca: Nescio; de re magna tibi *ipsi* oportet *credas*; huc afferatur, verbisque non recte coniunctis additum est credere. Sed codices boni (E) habent oportet me credas. Paulo post revocandum est, quod olim edebatur: Tantum (E quartum, quod *t* post *t* exciderat) ad sollertiam luxuriæ pereuntis accedit, tantoque subtilius cet. Quod c. 19, 1 pro subterraneis occuli ex E posuerunt subt. occultis, egregium est exemplum male utendi bonis codicibus. Idymi nomen (§ 3) Hauptius erudite confirmavit (II p. 20).

[redacted]

Ibd. 26, 2: Quum longius (sidera) recesserunt, minus consumunt atque trahunt (aquae e fluminibus); itaque quod impendio solebat, incremento accedit. Ita E. Nihil est *impendio* (cuius rei?) *accedere*. Scribendum: quod *impendi iis* (sideribus) solebat, incr. acc. Et impendi Kœlerus et Fickertus e cod. Dalecampii; sed pronomen abesse nequit.

Ibd. 27, 3: Ergo cum adfuerit illa necessitas temporis, multa simul fata causas movent. Scr., quod iam Michaeli placuisse video (Philol. IX p. 329): *multas* simul fata causas m. § 5 scribendum videtur: Iam nec gramina aut pabula læta aquis *sustinent* (pro sustinet, intransitive, ἀντέχει, ut Cicero dixit XII ad fam. 6, Cæsar B. G. IV, 32, B. C. I, 64 post med., I, 71, III, 94); fame laboratur et manus ad antiqua alimenta porrigitur, qua ilex et quercus excutitur et quæcunque in *locis* (codd., edd. in his) arduis arbor commissura adstricta lapidum stetit. Ex ultima vocabuli ilex syllaba ortum est, quod additur est. Ad glandes arborum excussarum et iacentium manus porrigi dicuntur. Tum § 7, ubi in codicibus est: Auctus deinde (torrens) processu aliquo in se torrentibus raptis plana passim populatur, faciendum est: Auctus d. processu *aliisque* in se torrentibus raptis; sed quod sequitur: in materiam magnam gentium ... diffunditur, nescio an retinendum sit, ut significetur, gentes tanquam materiam, in qua vires diluvium exerceat, obiici. Certe miseriam non recte substituitur. § 11 (in ea excelsissima) non adiectivum in suspicionem vocandum erat, sed ea, errore primum scriptum pro ex.

Ibd. 29, 6, ubi exponitur, quandocunque finis rebus humanis et terræ advenerit, aquam et mare auctum iri, hæc leguntur in E (Col., aliis): Vide ergo, ne terra

debeat minus, ut validiori infirma succumbat. Una littera mutanda est: ne terra debeat *minui*, ut cet. Deinde § 7 scribitur in codicibus: ut quæque proxima terris fluentibus fuerint, eluentur, stillabunt...et, hiante pluribus locis saxo, per fretum saliet et maria inter se componet. Ex per Haasius par fecit, quod plane nihil huic loco aptum significat. Tollenda præpositio, addita, cum non intelligeretur, fretum ipsum dici salire et perrumpere.

Ibd. 30, 4: Sic magna omnia coitura crediderim. Neque sic, quo referatur, habet, neque, quæ magna dicantur, apparet. E et alii: Si magis. Scribendum: *Sed* magis omnia coitura crediderim (quam uno diluvio liquefactam terram, aliis causis quiescentibus, interituram).

Lib. IV præf. 3: Par illis (adulatoribus), etiamsi bene caveris, non eris. Crede mihi, capieris, proditioni si ipse te trades. Sic E. Mirus verborum ordo, mirum *tradere se proditioni*. Scriptum olim erat: Cr. m., capieris *proditione*, *nisi* ipse te trades. Paulo post (5), ubi in codicibus scribitur: Cum omnia caveris, per ornamenta fiet, quod substitutum est interpolatione feriet, subiectum non habet, quoniam universe de adulatoribus et adulatione dictum est, non adulator singulari numero appellatus. Scriptum, opinor, fuerat: per ornamenta *uia* fiet. Facile uia, post nta excidere potuit. Ibidem § 12 Seneca Gallionem fratrem blanditias Lucilii negat admisisse, quamvis vera laudaret, sed eo magis obstandum blanditiis intellexisse: semper enim falsis a vero petitur veritas. Hoc quid sit, veritatem falsis petere et veritatem a vero petere, nemo dixerit. Apparet, hanc sententiam esse debere, falsa sibi aditum facere vera admiscendo et sub iis latendo. Scripsisse Seneca videtur: semper enim falsis a *fronte optenditur* veritas aut: *aperte opten-*

[redacted]

ditur veritas; certe obtenditur scripsit. Tum § 16 in codicibus (sed caremus optimi testimonio, in quo aliquot versus errore prætermittuntur) sic scribitur: Non debebat mihi parvo res tanta constare, nec examinavit me quidem diu: neque enim paria pendebant, utrum satius esset me perire pro fide an fidem pro me. Mire res dicitur hominem examinare; pravum est me quidem (quasi aliis Seneca hic contrarius ponatur), nec parvam offensionem habet paria pendebant cum sententia pendenti. Emendatio manifesta est: ... constare; *ne examinavi* quidem diu (neque enim paria pendebant), utrum satius esset cet. Statim se et sine hæsitatione decrevisse dicit. Ne cod. Guelf. (Examinavi etiam Michaelis Philol. IX p. 332, sed in reliquis aberrat.)

Ibd. 2, 6 (de hominibus parvo navigio per cataractas Nili descendentibus): magnoque spectantium metu in caput missi, cum iam adploraveris mersosque atque obrutos tanta mole credideris, longe ab eo, in quem ceciderunt, loco navigant, cet. Nihil h. l. est *adplorare*, quod semel apud Horatium legitur de plorando apud aliquem et cum eo. Requiritur aperte *deploraveris.* Paulo ante ex E editur nunc: inter rapidam insaniam Nili et reciprocos quidem fluctus volutati, particula quidem perversissime posita. Videtur fuisse reciprocos *in idem* fluctus. Infra § 10 cum uno Haasii exemplo uterer, scripseram coniectura, quod inde ab Erasmo ante Fickertum omnes recte tenuerant: minimumque (non nimiumque) in eo sit, quod solum temperat; multo maiora Nilum præstare significatur. Nimium neque ipsum sensum habet neque ad id accommodari ullo modo potest causa, quæ subiicitur (debetque illi Ægyptus non tantum fertilitatem terrarum, sed ipsas). Tum § 20, ubi Seneca exponit, flumina præter Nilum æstate non servare

aquarum copiam, nedum crescere, sic scribitur in E: Nec Rhenus nec Rodanus nec Hister nec ei Ystrus subiacent molo æstate proveniunt; et illis in septentrionibus altissimæ iugiter sunt nives. Primum manifesto tenetur subiacent *polo*; deinde ne illud quidem obscurum est, fuisse: nec Ister nec qui ... subiacent polo; media vox videtur fuisse *ulterius* (nam minus probabile est, mendum natum esse ex hoc: qui *ipsi* subiac. p.)[1] Quod § 24 revocato licebat, pro quo Haasius, secutus pervagatum codicis E errorem, libebat scripsit, præterea ex eiusdem codicis vestigiis scripturus eram: nemo narrat *initium* Nili, præcepit Hauptius (II p. 20). Restat igitur, ut § 22 in transcursu vulgare mendum tollam, in his: cum resederint, et pelagus conquiescit, restituto *resederunt*. Duos alios quæstionum nat. locos eodem genere mendosos correxi, ubi totam rem exposui, ad Cic. fin. V, 41 p. 679 sqq. Supersunt apud Senecam paucissimi, si cum prope innumerabili recte scriptorum multitudine comparantur, omnes facillimæ ad mutandum formæ (resederint, fortasse semel aut

---

1) Cur inanem suscipimus operam, mansuris aut redituris veteribus erroribus, etiam qui multo ante nos sublati erant? Cum § 18 sic ederetur: Alexandriæ quoque, quæ longe ab immodicis caloribus posita est, nives non cadunt, perspicua et recta sententia, nunc editur non solum a Fickerto (nam id non curo), sed ab Haasio: Alexandria quoque (præter quam aliam urbem?) longe ab immodicis caloribus posita est. (Quid hoc per se minima ex parte ad Senecæ disputationem pertinet?) Nives non cadunt. (Nusquamne?) Scilicet quæ post que excidit, tum corrector, de constructione nonnihil laborans, sententiæ incuriosissimus, Alexandria scripsit; et sequuntur philologi criticorumque se munere fungi putant. Sed in permultis locis similia conqueri licebat.

iterum resederit pro resederunt, resedit, nusquam resederis, resederim pro resedisti, resedi), velut epist. 11, 3 (quam cum erubuerint, recte notatum a Schweighaeusero), 110, 17 (præstrinxerit, ubi nos codices optimi destituunt), 115, 17 (damnaverint); ep. 63, 9 recte, quicquid est bonorum codicum et Fickertus: nisi cum perdiderunt, Haasius solœcismum retraxit; de const. sap. 4, 1 recte edebatur ante recentissimos (exsilierunt); ad Marc. 7, 2, de vita b. 5, 3, de clem. I, 14, 1 correxi suis locis. In hoc ipso opere VI, 11 recte in cod. B scribi si institit pro si instet, quod ceteri habent, etiam E, respondente e contrario si fuit, intellexit Michaelis Philol. IX p. 339. (Inferioris ætatis librariorum proclivitas multis locis perspici potest, ubi antiquiores rectum tenent, ut ep. 3, 2; 5, 9; 6, 1 cet. Cfr. quæ ad Columellæ II, 9, 18 annotabo.) In eodem quæstt. natur. capite (IV, 2), § 27 init. sublatis, quæ in deteriores codices e margine irrepserunt, quæque et constructio turbata et aqua ex æquo cum specubus et puteis coniuncta arguit, ex his, quæ relinquuntur: Quod si verum esset, æstate flumina crescerent omnes putei tepent cet., efficitur: Q. s. v. e., æstate flumina crescerent *omnia* (non solus Nilus). Putei tepent, quia cet. (Dissolvitur argumentum Œnopidæ.) Fieri potest, ut fuerit: omnia. [Specus et] putei tepent. Sed extrema paragrapho, ubi editur: quia illo (in puteos) remotus seductusque aer calefactus non pervenit, ex E codicis vestigiis (remotos seductosque) scribendum est: quia *in illos* remotos seductosque [aer] calefactus non pervenit. (Aer om. E.) Ipse aer minime seductus est, sed in puteos seductos non facile pervenit. § 26 vix fieri potest, ut non in Œnopidæ sententia proponenda pro augentur (alii codd. augent) scribi debeat *augeri tum* (hieme: sed in aliis terris augeri tum flumina imbribus, Nilum, quia nullo imbre adiuvetur, tenuari).

In § 28, ubi Diogenis Apolloniatæ sententia exponitur, etiam alia in sententia et verborum iunctura vitiatæ orationis indicia sunt, sed unum certissimum, quod editur: ergo sol undas trahit, non solum contra codices, qui (et E et ceteri) unde habent, sed contra rem et sententiam; nam humorem et aquam sol trahit, undas eum ex terra trahere nemo unquam dixit. In re incerta ponam scripturam verisimilem, non quam præstem: et sicca ab humidis sumunt; *alioquin* (codd. et edd. aliquando), nisi aliquid (?) terra acciperet, exaruisset. Ergo sol unde trahit? *scilicet* ex his, quæ premit (vel premuntur) maxime; hæc meridiana sunt. Terra cum exaruit, plus humoris ad se adducit. Tum eiecto unde, quod contra codices bonos (E, Col., P 4) additur post septentrionalibus, sic sententiæ dirimendæ sunt: ex partibus hibernis, septentrionalibus. Exundat ob hoc (v. septentrionalibus, unde exundat. Ob hoc, ubi frustra quæras, quid exundet) Pontus in infernum mare assidue *et* fluit (v. assidue fluit) rapidus. Deinde ex E (Quod nisi facit his itineribus) efficitur: Quod nisi *facile* his itineribus, quod cuique deest, redderetur ..., iam aut sicca essent omnia aut inundata. (Alii codices prava correctione faceret, sed his itin. Editores interpolando fecerunt: quod nisi fieret hisque itineribus.) Restat notabilis in § 30 emendatio. Nam e codicis E et aliorum vestigiis (Interrogare Diogenem licet quasi compertus animus cuncta et invicem commeant, non omnibus locis æstate maiora sunt flumina) efficitur: Interrog. Diog. libet: Quare (sic iam alii), si *pertusa viis sunt* cuncta et invicem commeant, ...? (Cfr. 28: perforata omnia et invicem pervia.) Com syllaba accessit, postquam pertus, seiuncto *a*, factum est.

Ibd. 3, 6 Senecam scripsisse opinor: grando nihil aliud est quam suspensa glacies, nix pruina pendens. (Codd. et edd. nix in pruina pendens congelatio, absurde.)

Lib. V, 4, 1 (de ventorum e terra origine): alias, cum magna et continua ex imo evaporatio in altum egit, quæ emerserat, immutatio ipsa halitus mixti in ventum vertitur. Primum scribendum, quod, cum ipse coniecissem, vidi iam Pincianum intellexisse: in altum egit, quæ *mersa erant.* (Neque enim evaporatio ea mersit aut antea emersit.) Sed immutatio quæ sit, nescio, suspicorque fuisse *nutatio.* Paulo post e vestigiis cod. E scribendum videtur: Bene nobiscum agitur, quod semper, cum (cod. cum quod semper) concoquit, sic emittit; immundius aliquid timeremus. (Cap. 5, 1 notanda lacuna post gravitatem aeris.)

(De c. 10, 4 dixi vol. I p. 121.)

Ibd. 13, 2: sæpius (ventus) in se volutatur similemque illis, quas diximus converti aquas, facit vorticem. Scrib. similemque illis, *in quos* diximus converti aquas, f. v.

Ibd. 15, 1 (ubi narratur de hominibus a Philippo Macedone in antiquum metallum demissis) non potuit Seneca scribere: Vidisse ... conceptus aquarum ... non sine horrore visos. Nec illorum hominum horror aut ad rem pertinet aut in ceteris significatur. Oratio sic dispescenda videtur et fortasse sic scribenda: ... sed liberæ laxitatis. Non sine horrore, *si vis, sed* cum magna hoc legi voluptate. Sed de correctione vocabuli visos dubito.

Ibd. 18, 12: Unde scio, hic mihi an ille ventus bellum invehet? Qui fit, ut nemo invehat scripserit?

Lib. VI, 2, 13: Sine dubio id unum periculi nobis satis esset, quod tremunt terræ, quod subito dissipantur ac superposita deducunt. Ridet Seneca, ut ostendunt et quæ antecedunt et quæ sequuntur, eos, qui terræ tremores similiaque vehementer timent, quasi non undique homines etiam ex levissimis causis pericula interitus circumstent. Itaque ineptum est satis esset. Et codices (E aliique) satis omittunt. Scribendum est igitur: Sine dubio id unum periculi nobis *est*, quod cet. Ironice affirmatur hoc unum esse, ut significetur, multa alia esse. Notabilis hic in ironia usus vocum sine dubio, quæ apud Senecam et huius ætatis scriptores in concedendo poni solent, reperitur etiam epist 48, 6: sine dubio verendum est, ne quando in muscipula syllabas capiam aut ... caseum liber comedat. Proxima (§ 4) sic scribenda: Ita videlicet nati sumus, tam felicia sortiti membra, in hanc magnitudinem crevimus, *ut* (pro et) ob hoc nisi mundi partibus motis ... perire non *possimus* (pro possumus).

Ibd. 6, 2: sicut in navigiis quoque evenit, ut, si inclinata sunt et abierunt in latus, aquam sorbeant, quæ in omni onerum eorum, quæ vehit, si immodice depressa sunt, aut superfunditur aut certe dextra sinistraque solito magis surgit. Sic E, pro qua scriptura in aliis interpolando substitutum est: in omni onere eorum, sine sensu. Scripserat, ut opinor, Seneca: quæ *impatiens* onerum eorum, quæ vehit, si immodice depressa sunt, aut cet.

Ibd. 7, 5, ubi de aquis et mari subterraneo agitur, nunc editur: qui non credit in abscondito terræ sinus maris vasti; superiores senserant desiderari esse, sed loco non recto posuerant; excidit enim inter *e* et *s*

(terræ sinus).[1]) Sed ne ea quidem, quæ subiiciuntur, mendo carere puto: Nec enim video, quid ... obstet, quominus habeatur in abscondito etiam aliquod litus et per occultos aditus receptum mare. Nam neque habeatur pro sit fero, et litus aliquod haberi inepte dici videtur, cum mare ibi esse significetur. Suspicor fuisse: quominus *habeat* in absc. etiam aliquod litus per occultos aditus receptum mare (omisso et). Mare nostrum eo intrare et ibi etiam litus habere dicitur.

Ibd. 8, 3 scribendum est: *e* terra illum (Nilum) erumpere, non: a terra. Omissa post *e* (esse) præpositio male suppleta est. § 4, ubi in codicibus est: Quidem, aiebant, pervenimus, nisi latet temporis nota (uicesimo die aut similis), scribendum est: *Tandem*, aiebant, pervenimus.

Ibd. 13, 4: cum vis maior frigidi illata in cavernis est. Scr. illata cavernis. Gravius est mendum paulo post § 6. Editur nunc: Vices deinde huius pugnæ (caloris et frigoris sub terra) sunt: defit calori congregatio ac rursus eruptio, nulla sententia; si enim defiunt illa, nihil fit omnino. Codices desit. Vulgo edebatur: desinit calidi congregatio, nihilo melius. Scribendum est: Vices deinde huius pugnæ sunt *hæ: fit* calori congre-

---

[1]) Gravius errarunt Fickertus et Haasius, quod e codicibus hunc verborum ordinem revocarunt: nec illos (oculos) scit producere ultra animum, ubi superiores inde ab Erasmo, quoniam manifesto significantur, qui soli oculorum fidei adstricti serviunt, necessario præpositionem transposuerant: nec ultra illos scit producere animum. Id eadem simplicitate librarius mutaverat, qua alter de const. sap. 4, 3 pro sapientiæ ... tranquillitas scripsit sapientia ... tranquillitatis.

gatio ac rursus eruptio; tunc frigora compescuntur et *succidunt*. Hoc enim pro succedunt necessario restituendum est.

Ibd. 14, 2: Cum aliquid peccatur (in terræ positione), tum velut ægri corporis motus est, spiritu illo, qui modestius (*modestus*?) perfluebat, icto vehementius et quassante venas suas, nec ut illi paulo ante dicebant, quibus animal placet esse terram; nam si hoc est, quemadmodum animal, tota vexationem sentiet. Hæc adiunctio: Nec ut illi cet. admodum obscura est; neque enim certus modus venas quassandi significatus est, cui alius contrarius ponatur ante commemoratus; nec eorum, quibus animal placet esse terram, sententia ante commemorata est aut ulla eorum oratio interposita. Seneca sua ipse verba significat paulo supra § 1 posita de corpore terræ humano corpori simili et de ventis, quos nihil aliud quis quam animam vocaverit, cavetque, ne ea ex eorum decreto et ad eorum modum dicta accipiantur, qui terram animal esse putent; inde enim secuturum esse, ut tota terra vexetur, non, quod reapse fiat, tantummodo pars. Itaque in una littera aberratum est, cum Seneca posuisset: et quassante venas suas. Nec ut illi paulo ante *dicebam*, quibus animal placet esse terram; nam, si cet. Eodem modo VII, 9, 2 et 23, 3 ponitur dicebam modo. (Pro nam si codices nisi. Fortasse Seneca scripserat tantum: terram; si hoc est, cet.) In proximis verbis verum esse non potest mordacius impellit; desideratur etiam geminatum alias. Opinor scriptum fuisse ad hanc formam: Neque enim in nobis febris alias partes moderatius [*aliis*] impellit. Moderatius superiorum editorum est.

Ibd. 19, 2: Quomodo cum in dolio cantantis vox illa per totum cum quadam discussione

percurrit . . ., sic cet. Ita codices. Desiderari verbum finitum multi intellexerunt; nuper Hauptius (II p. 21) scribi voluit: cantas, vox tua, duabus vocibus mutatis; et debuit cantes dici de re ficta in incerta persona. Rectius, opinor, erit: cantat quis, vox cet.

Ibd. 21: Aquæ, si ventum detrahas, inertes sunt; tunc demum impetum sumunt, cum illas agit flatus; et potest dissipare magna spatia terrarum cet. Scrib. ... agit flatus; *is* et potest cet. (Edd. vett. flatus, qui potest.)

Ibd. 30, 2: Vides et urbium fieri gentiumque discidium, cum pars naturæ concita est dĕe et in aliquo mare ignem spiritu impegit, quorum mira ut ex toto vis est. Sic E. Videtur effici: concita *e sede est* et aliquo mare, ignem, spiritum impegit.

Ibd. 31, 2 codices (E B): sed post maximum lenes motus sunt, quia iam vehementius exitum ventis luctantibus fecit. Deest subiectum; quod adiectivum masculini generis efficere conantur, ut motus audiatur, debet esse aut ille aut saltem hoc addi. Scrib. quia iam *vehemens uis* exitum v. l. f. Cfr. idem vocabulum restitutum ad Marc. 11, 1 et epist. 91, 11.

Lib. VII, 6, 2: Potest enim spiritus per angusta elisus accendere supra se positum aera, plenum alimentis idoneis igni, deinde propellere ex nitido, ne ex aliqua causa refluat rursus ac remittatur, deinde iterum ... consurgere cet. Alienissima a re illa ex nitido et sine sensu; perversissimum ne, cum ipsum hoc significetur, duplicem esse motum et alternas vices. Postremo deest obiectum verbo propellere. Male litteræ divisæ sunt, tum duæ mutatæ; Seneca enim posuerat: deinde pro-

pellere *ea* (alimenta ignis) *niti*, *donec* ex aliqua causa refluat rursus.

Ibd. 9, 3: Venti cum ad summum venerunt, remittuntur omni violentia; necesse est ipsa concitatione in exitum sui tendant. Nihil est *remitti violentia*, nedum *omni*. Illa necesse est generalem sententiam exspectari iubent. Male sententiis distinctis una littera periit, una addita est: Venti, c. a. s. v., remittuntur; *omnia violenta*, necesse est, ipsa concitatione in exitum sui tendant.

Ibd. 20, 2: quæ non everterent animos, si ex consuetudine et lege decurrerent. Inusitate prorsus *evertere* animos de terrendis dicitur; nec de terrore agitur, sed de animadversione et admiratione. Scrib.: quæ non *converterent* animos. Idem voluerunt, qui adverterent scripserunt.

Ibd. 24, 2 (23, 4), postquam obiectum est, si erratica stella cometes esset, signiferum attingere debere, primum hoc fortasse non necesse esse Seneca dicit, deinde subiungit, ut quidem in E scribitur: Quod si iudicas non posse ullam stellam nisi signiferum attingere, cometes non potest sic alium habere circulum, ut in hunc tamen parte aliqua sui incidat. Suo loco motum est non substitutumque nisi; nam rectum erit: non posse ullam stellam *non* signiferum attingere, cometes potest sic cet. Alium (hoc est, extra signiferum), quod etiam ceteri codices habent, non opus est mutari in latum; ne recte quidem sic scribi ostendit tamen. Ceterum ad ullam stellam desideratur erraticam; id ipsene Seneca negligenter omiserit an scripserit: non posse ullam stellam nisi [fixam non] signiferum attingere, non definio; sed in hanc partem inclino propter nisi. Sequitur: vide, ne hoc magis deceat magnitudinem mundi, ut in multa itinera divisus hinc et nec (E B Col. P 3,

alii; edd. divisus sit nec hanc) unam deterat semitam. Efficitur: ut in multa itinera divisus *micet* nec unam deterat semitam.

Ibd. 25, 6 (nam de § 2 dixi vol. I p. 52) sic scribitur: Non licet stare cœlestibus nec averti; prodeunt omnia, ut semel missa sunt, vadunt. Non dicitur *prodire* pro eo, quod est procedere et ire; vadunt, ut nunc est, prorsus vitiose superponitur. Seneca scripserat: *protenus*, ut semel missa sunt, vadunt (uno et non interrupto tenore). Id vocabulum etiam apud Gellium XVII, 8, 5 a scribis mutatum videbimus. Sequuntur § 7 in fine capitis hæc in codicibus: Erit qui demonstret aliquando, quibus cometæ partibus currant, cum tam seducti a ceteris erret (sic E, m. 2 errat; Col., P 4: errent cum tam seducti, B currant cum tam seducta ceteris eant), quanti qualesque sint. Non recte h. l. a cursu error separari videtur. Fortasse Seneca scripsit: Erit, qui demonstret aliquando, quibus cometæ partibus currant, cur (sic iam alii) tam seducti a ceteris, *enarretque*, quanti qualesque sint. (Que Geertzio debetur.)

Ibd. 28, 2 e B scribendum: sed habere reposita et comprehensa (comprensa, pro compressa) legibus mundi. Idem Kœlerus assequi voluerat complexa scribendo.

(De c. 30, 5 dictum est vol. I p. 39; sed cfr. supra p. 338 n. 1.)

Ibd. 31, 2: Colores meretricios matronis quidem non induendos viri sumimus. Seneca scripserat: ne matronis quidem induendos; omisso ne additum est non. (Cfr. ad Vell. Pat. II, 86, 2 p. 307 n.) Paulo post, ubi in E est: alius in obscœnam partem ludi fugit et locatus ad mortem infame armatur, non agitur de armando, in quo nulla virilitatis iactura est, neque de se ad mortem locando, sed de pathico

fœdam libidinem sectanti: *locatos* ad mortem infamem *rimatur*. Pudet talia attingere, in quibus describendis (vid. huius operis I, 16) et significandis fœde Seneca delectatur et lascivit.

Ibd. 32, 3: Mares inter se uxoresque contendunt, uter det latus illis. Quibus? et quid est, nullo addito, *dare latus alicui*? Vix putem de tegendo latere (in comitando) dici. E habet illius. Opinor fuisse: uter det latus *mollius* (et saltando moveatur elegantius).

Cap. IV.

L. Senecæ Epistolæ.

Epistolas Senecæ primus recentiorum ad meliorem codicum fidem recensere instituit Io. Schweighaeuserus, cuius operam paucis, ut videtur, tum notam memini me iuvenem a. 1837 commendare (opusc. acad. II p. 205 n.). Uberiores copias Fickertus attulit, ita ut nunc quinque maxime codicum bonorum et a contaminato ceterorum grege seiunctorum testimonio et auctoritate in his epistolis standum sit, in priore parte trium (nec tamen omnium per omnia), Parisiensium duorum (P, Thuanei, seculi X, p, Pithœani, sec. XI) et Argentoratensis (Ab, sec. XI vel XII), in altera, inde ab epist. 89, duorum, Bambergensis (sec. IX vel X) et Argentoratensis (Aa, seculi, ut traditur, IX).[1]) Nam quæ apud antiquiores, ut iam in editione,

[1]) In epp. 43 primis et parte ep. 44 utimur P p Ab (in ep. 1—3, 5 etiam foliis in Aa interpositis), in parte ep. 44 et in epp. 45—62 solis P p (nisi quod pars aliqua ep. 52 est etiam in Ab), in ep. 63 - 70 et parte ep. 71 P p Ab, in parte ep. 71 et epp. 72—81 P Ab, in 82—88 solo P; in epp. 88 - 124 B Aa, hoc tamen non ante epist. 90, 18 (17 F.) a verbis [con] quirenda artibus.

[redacted]

quæ Mentelii appellatur, et apud Opsopœum e similibus codicibus ponuntur commemoranturve, iis difficile et lubricum est uti. Atque ex tribus illis, qui priorem partem continent, Parisienses Argentoratensem bonitate longe vincunt; ex Parisiensibus Haasius, qui de tota hac re in præfatione vol. III p. VI sqq. egit, recte animadvertit Pithœanum (p), etsi eiusdem stirpis, tamen proxima origine nonnihil a Thuaneo (P) distantem, aliquot locis et verba quædam in P et ceteris omissa servasse, ut ep. 66, 15 et 69, 6 (4), et veram scripturam in illis oblitteratam, ut 67, 11 (12) quædam tristis voltus bona, ubi in P est tristis voluptates bona, in ceteris tristes voluptates bona, aut vestigia et indicia veris propiora, ut 66, 2 consecraliter, e quo recte Haasius consecrat; aliter fecit, ubi P consecralitum habet, Ab consecravit, et 66, 41 (38) contire (ceteri contingere), e quo Haasius egregie exsculpsit consentire. Sed tamen his bonis inlectus plus aliquanto ei uni codici in Thuanei comparatione tribuit, quam tribui oportebat; nam sive huius ipsius sive proximi superioris librarii negligentia et errore non pauca in p omittuntur aut mendose scribuntur, quæ in P recte se habent, ac ne ille quidem ubique simplici illa et rudi interpolatione liber est, ut 21, 4 pro megistanas substituitur in illo (et aliis quibusdam) magistratus. Itaque non ita pauca ab Haasio inde contra apertam rationem et cum sententiæ aut orationis vitio in contextu posita expellenda sunt.[1]) Id permolestum est, quod

[1]) Exempla ex spatio non ita magno ponam. Ep. 14, 6 restituendum est (P Ab): qui patientiæ restitissent pro: patientia rest. (p), quod nihil est. Illud proprio Senecæ usu dicitur pro eo, quod patrum Christianorum consuetudine dicas passioni, Ciceroniane perpessioni (vid., quoniam in lexicis nihil de hac significatione reperitur, ep. 13, 6; 78, 12;

Haasii testimonio, qui scripturas ab ipso Fickerto aliisque eius causa notatas in ipsis chartis inspexit, novimus, non semel in edendis scripturis a Fickerto aliquid omissum aut erratum esse (vid. præf. vol. II p. VI de ep. 17, 7, vol. III p. X de 69, 1, p. XXVI de 45, 8 et 67, 16, indic. lect. hibern. Vratisl. 1859 p. 11 de 69, 1). Argentoratensium scripturas multas Schweighaeuserus omisit, plures, opinor, in altera parte. Ab his bonis codicibus ceteri erroribus et interpolatione alii plus, alii minus deflectunt, paulo, si recte attendi et memini, minus longe audacterve progressi quam in aliquot ex minoribus libellis et quæstionibus naturalibus. Ipsi autem meliores codices, etsi sæpe per spatium non ita breve sine graviore offensione mendove oratio currit, quam tamen gravia menda et frequentia etiam in facilibus et apertis consensu teneant ex communi origine, in ipso exordio primæ epistolæ perspicitur, ubi, cum sic omnes scriptum habeant: maxima pars vitæ elabitur male agentibus, magna nihil agentibus, tota vita aliud agentibus, nemo tamen paulo prudentior dubitare potest, quin, quod editores ab Erasmo ad Matthiæum intellexerant, Seneca artificiose composita comparatione male agendi, nihil agendi, aliud

---

82, 18; 97, 16; de provid. 6, 6, de const. sap. 5, 3, de ira III, 28, 3; ante L. Senecam sic dixit M. Seneca præf. lib. V (X) controv. p. 320 Bip., ante hunc Ovidius trist. V, 12, 31). Restituendum porro ep. 15, 1 enim (pro autem), 19, 10 in aspero et probo (pro: et inprobo, de quo loco post dicetur), 23, 3 modo (pro domus, quod absurdissimum est), 24, 1 stultum quia (stultum et quia), 29, 3 venit (veniunt, ad quod mendum adiuvandum Haasius addidit si cum sententiæ eversione), 30, 12 opperiuntur (opperiantur) et composuerat (composuerunt), 31, 3 ut una res (ut una ulla res), 32, 4 sed ego (sed hæc), 33, 9 Quid est quare (Quid est et quare).

[redacted]

agendi etiam alteram gradationem adiunxerit a magna parte (magna pars vitæ male ag.) ad maximam (maxima nihil agent.), ab hac ad totam vitam ascendens, cum præsertim non potuerit Senecæ in mentem venire, quamvis austere iudicanti, maiorem partem vitæ in male agendo quam in nihil agendo consumi dicere. Neque minus certum est ep. 4, 3 Senecam scripsisse, ut inde ab Erasmiana altera ad Bipontinam edebatur: Nullum magnum malum, quod extremum est, quamquam in codicibus, ut in recentissimis editionibus (præeunte raro et infelici exemplo Ruhkopfio), omittitur malum, quod post magnum facile excidit. Nam neque Latine dicitur ullum magnum pro eo, quod est quicquam magnum (magni), neque mali nomen, in quo omnia vertuntur, taceri potest, neque id agitur, magnumne sit mors, sed an malum sit et magnum. Sed his duobus locis simplex mendi forma est, altero permutata duarum vocum sede, altero omissa una voce; in aliis, cum semel offensum esset, plura confusa sunt et graviter perturbata. Quam Haasius præf. p. III et IV iacit suspicionem de epistolis non ab ipso Seneca editis et de subtractis ab editore hominum nominibus (ut ep. 3, 1 amici Lucilii) et sententiis, quæ offensionem habere possent, ea vero tota inaniter ficta est. Neque quisquam, qui has epistolas perlegit, si libere rem æstimat, dubitare potest, quin omnia hæc, quæ ad Lucilii et Senecæ personas pertinentia ponuntur, non singulatim ex veritate rerum actarum tracta, sed ad epistolarum formam imitandam et ad declamandum acute de locis communibus et de decretis philosophorum ficta et composita sint, velut in epistola tertia ad disputationem de amicitia ordiendam; nec magis hic sententiæ disputationesque libere soluteque progrediuntur et alio transferuntur quam in ceteris Senecæ libris, nisi quod hic quoque ut in quæstionum naturalium libris una et altera ex folio-

rum interitu lacuna est. In nonnullis quidem locis, ut ep. 104, 27, prorsus sine causa hæretur.

Meæ emendationes mihi olim multæ videbantur nec spernendæ; nunc, cum proponendæ sunt, prægravat fere eorum locorum memoria, in quibus cum hærerem aut de mendo non dubitarem, tamen, in quo plane acquiescerem et cui confiderem, non repperi[1]).

---

[1]) Amplam hic quoque materiam relictam datamque esse prudenti editori in superiorum bene inventis retrahendis et novis erroribus expellendis, facile erat intra non multarum epistolarum spatium subsistentem ostendere. Sed contentus ero tribus quattuorve exemplis. Quis enim non miretur, epist. 5, 8 codicum sane bonorum auctoritate, sed contra formam orationis rhetoricam, contra sententiam edi nunc: utrumque pendentis animi est, utrumque futuri exspectatione sollicitum pro solliciti (pendentis . . . sollici ti)? aut in ep. 9, 4 (3), ubi rectissime hæc se habent: (sapiens), quæ sibi desunt, non desiderat; (nam omni desiderio liber est, et tamen) non deesse sibi mavult (nam commoda non spernit, sed sumit), turbari et inferri, quod ne Latinum quidem sit (non desiderat deesse)? (Miror etiam Hauptium I p. 10 aberrasse.) De ep. 8, 4, quod positurus eram exemplum spretorum bonorum, satis dixit Hauptius II. p. 7, modo addidisset etiam evertit et cernuat restituenda esse pro vertit et cernulat. Quid dicam de ep. 9, 6 (4), ubi retinetur et exornatur ab Haasio adiectione præpositionis inter mendum certissima hac Mureti emendatione sublatum: Habet (codd. habes) autem non tantum usus (codd. usu) amicitiæ veteris et certæ magnam voluptatem, sed etiam initium et comparatio (codd. comparationem) novæ? Hoc enim agitur, etiam ex initio et comparatione amicitiæ voluptatem percipi. Mendi initium ortum est ex habes pro habet, nondum animadverso, quod subiectum sententiæ esset, scripto, quæ verbi forma ne per se quidem in sententia generali ferri potest.

[redacted]

Incipiam a suspicione audacula. Nam in epist. 3, 5 non transit Seneca neque digreditur arrepta alicuius similitudinis occasione ad aliam rem, sed subito, prorsus omissa superiore disputatione de amicitia et de recto temperamento neque omnia omnibus evulgandi neque omnia premendi et occultandi, ea forma orationis, qua videantur superiora continuari (Sic utrosque reprehendas), tamen de longe alia re, otiosa quiete et inquieta concursatione, sic dicit, tanquam de ea pluribus iam egerit, et summa huius disputationis collecta epistolam concludit. Itaque prorsus puto duas epistolas coaluisse, fine prioris et initio alterius intercepto inter illa alterum tutius et Sic utrosque reprehendas.

Ep. 6, 7: Quæris, inquit, quid profecerim? Amicus esse mihi. Latinum non est *proficio esse.* Scribendum est: *Ut* amicus *essem mihi.* Semel scripto *m* (esse mihi), etiam ut omissum est.

Ep. 9, 17 sententiæ sic separandæ sunt: Quamdiu quidem illi licet suo arbitrio res suas ordinare, se contentus est et ducit uxorem (hoc est: et tamen), se contentus est (sic recte edd. superiores; Fick. et H om. est) et liberos tollit; se contentus est et tamen non vivet, si fuerit sine homine victurus. (Viveret ... foret Haasius e p, recte, ut videtur; neque enim hoc tanquam fortasse futurum poni potest).[1] Paulo ante § 12, ubi Haasius secutus est supplementum ab Opsopœo e cod Nicotiano positum, cuius nullum est in ceteris vestigium, comparatis vestigiis codicis p cum iis, quæ in P ceterisque sunt, hæc videtur fuisse loci forma: Non agitur, inquis, nunc de hoc, an amicitia propter se ipsam expetenda sit, sed [*possitne ad eam sapiens accedere. Imo agitur; nam*

[1]) § 16 Fick. et H. Qualis et Iovis errore pro est.

si propter se ipsam expetenda est,] potest ad illam accedere, qui se ipso contentus est. Erroris origo ex repetitione verborum fere eorundem intelligitur; ex illis: nam si pr. se ipsam exp. est pleraque in P servata sunt. (Quod a. 1857 annotaveram § 17 scribendum esse: quomodo solitudinis (codd. solitudo in) odium est et appetitio societatis, occupavit Hauptius II p. 8.)

Ep. 11, 1: Nulla enim sapientia naturalia corporis aut animi vitia ponuntur. Nisi prorsus Seneca dormitavit, tollenda sunt verba aut animi, quæ et omni philosophiæ et Stoicæ vehementissime repugnant et totam disputationem evertunt. Nam de solis corporis vitiis agitur, quæ animo emendato et vitiis exempto manent, ut statim quibusdam constantissimis (hoc est timoris vitio carentibus) in conspectu populi erumpere sudor dicitur, cet. Et sequitur § 6: Quæcunque attribuit condicio nascendi et corporis temperatura, cum multum se diuque animus composuerit, hærebunt.

Ep. 12, 5: Iucundissima est ætas devexa iam, non tamen præceps; et illam quoque in extrema regula stantem iudico habere suas voluptates. Neque hoc neque, quod codices boni omnes habent, in extrema tegula, verum esse videtur; neque enim apte senectus comparatur cum homine in extremo tecti margine stanti et inde se proiicere paranti. Fuitne in extrema *specula* (quasi mortem prospiciens)?

Ep. 13, 7: Si corpus tuum liberum est, sanum est, nec ullus ex iniuria dolor est, videbimus, quid futurum sit; hodie nihil negotii habet. Sic oratio interpungenda est, sed simul scribendum: liberum *et* sanum est. Alioquin enim apodosis a sanum perverse incipiet. Eadem ep. § 13 sic scribitur: Ergo spem ac metum examina et, quotiens incerta erunt

omnia, tibi fave; crede, quod mavis; si plures habes sententias metus, nihilo minus in hanc partem potius inclina. Scribendum est: si plures *habet* sententias metus, hoc est, si in consilio et deliberatione plures sententiæ metui favebunt. Et erat non habet sed habebit in antiquioribus quibusdam editionibus, ut Mureti. *Habere sententias metus* nihil est. (In § 14 quod Hauptius II p. 9 scribi iussit: Pudet me tui sic tecum loqui, non memini usquam infinitivum adiectum verbo pudet cum genetivo posito. Fuitne: Pudet me, *si uis*, sic tecum loqui cet.?)

Ep. 14, 8: Non sinistrum petit littus, sed id, quo propior Charybdis maria convolvit. Non in littus convolvit, sed in vertices circumagit. Scrib. sed id, *quoi* propior Ch. m. c. De § 14 dictum est vol. I p. 69.)[1])

Ep. 15, 3: quibus ad votum dies est actus,...si in locum eius, quod effluxit, multum potionis altius ieiuno ituræ regesserunt. Si ieiuno dativus esset, ut Fickertus (et, ut opinor, Haasius) voluit, saltem ieiunis scribendum erat. Scribi debet: altius *ieiunio* ituræ (quod ieiuni sunt). [Ab et alii in ieiunio.] Deinde § 4 in codicibus scribitur: quod libet ex his (exercitationis generibus) elige usu rude facile. Extrema hæc tria, quæ ne structuram quidem habent rectam, frustra defenduntur. Videtur fuisse: *usurus ex facili.* (Ex facili ep. 121, 5; vid. Scheller. p. 3673.) Transpositio ab Haasio in § 7 adhibita nec

---

[1]) § 16 recte Gronovius: non damnat (pro damnatur) latro, cum occidit. (Itaque ne fortunæ quidem casus iudicii vim habet nec meam minuit dignitatem.) In § 8 mire aberravit Haasius non addens. Pars est securitatis eam sic petere, ut non ex proposito ad eam confugere videamur, ceteris damnatis.

necessaria est nec recta. Facta vocis mentione, postquam Seneca negavit in eius intentione artificiis magistri utendum esse, breviter et universe similium artium mentionem interponit, deinde ad vocem redit. Sed ea, quæ in § 8 de ipsa voce sequuntur, graviter mendosa et dubiæ emendationis sunt. Sic enim in bonis codicibus scribitur: Ergo, utcumque impetus tibi animi suaserit, modo vehementius fac vicinis convicium, modo lentius, prout vox quoque te hortabitur in id latus (P in illatis) modesta cum receperis (p.; P, Ab, alii recipies) illam revocarisque descendat non decidat mediatoris sui (P; p Ab mediatori-sui) habeat nec indocto et rustico more desæviat. Primum pro vicinis recte inde a Pinciano edebatur ante Schweighaeuserum vitiis (viciis). Non ad convicia vicinis ingerenda Seneca Lucilium vocat, sed ad perorandum vehementer contra vitia, si vocem intendere voluerit. Deinde quod editur: hortabitur et latus, præter codices etiam sententia arguit, latus errore natum; ad animi enim impetum vox adiungitur; in illis litteris latet aliquid cum modestiæ præcepto coniunctum et voci descendenti contrarium; in mediatoris satis eminere videtur, quod contrarium ponatur voci rustice desævienti. Sic igitur hæc scribenda esse opinor: prout vox quoque te hortabitur. In *elatis* modesta, cum receperis illam revocarisque, descendat, non decidat; *media oris vi eat* (*abeat?*) nec cet. Paulo post § 10 hæc manifesto continuanda sunt, quæ nunc contra Lipsii admonitionem divelluntur: Ad hæc beneficia accedet, ecce, insigne præceptum. Beneficiorum autem nomen refertur ad ea, quæ præcedunt de negotio detracto, ipsa ad superiorem admonitionem de removendis inutilibus artificiis et magistris spectantia, in codicibus sic scripta: Detraxi (p et Ab: detraxit) tibi non pusillum negotii (p, ceteri negotium) una mercedula et unum Græcum (p;

[redacted]

P: unum Græcus, Ab: unus Græcus), ex quibus effici videtur: *Detraxit* tibi non pusillum negotii una mercedula et unum *pretium* (præcium). Ludit, tanquam mercedula et pretium sibi a Lucilio solutum sit. De § 12 dictum est vol. I p. 51. Sed præterea prave editur: Mutantur speciosi apparatus; neque enim de mutatione agitur. Ex eo, quod codices meliores habent, imitantur, fit facile et recte: *Mittantur* specios apparatus, et, quod (male codices et Haasius: et: quid) futuri temporis incerta sors volvit, quare potius ...?

Ep. 16, 2: Boni codices habent: Itaque tibi apud me pluribus verbis aut adfirmatis ne tam longis intelligo te multum profecisse. Subest: Itaque tibi apud me pluribus verbis aut *affirmatione* iam *nil opus*: intelligo te multum profecisse. Verba *tam longa* Latine non dici, vix opus est monere. Haud particula Seneca non utitur. (Paulo post, ubi in codicibus sic scribitur et nunc editur: Dicam tamen sententiam quod iam de te spem habeo, non fiduciam, recte ante Fickertum edebatur: Dicam tamen, *quid sentiam*: iam de te spem habeo, non fiduciam. Longe aliud est apud Latinos *sententiam dicere.* Errore ortum est sententiam, tum transpositio facta.)

Ep. 17, 5: Qui philosophiæ studium differt, ita se excusat: Parare, unde vivam, volo. Respondet Seneca: Simul et parare disce, absurde. Nihil erit non recti, si scripseris: Simul et *para et* disce. Si quid te vetat bene vivere (quod fortasse negas te posse, nisi opes paraveris), bene mori non vetat. (Non bene Hauptius I p. 10.) Sequitur § 6: Toleranda est ad hoc (ad philosophiam) properantibus vel fames, quam toleravere quidam in obsidionibus. Et quod aliud erat illius patientiæ præmium quam in

arbitrium non cadere victoris. Quanto hoc maius est, quo promittitur perpetua libertas, nullius nec hominis nec dei timor; et quidem vel esurienti ad ista veniendum est. Pp: Hæc quidem, Ab: Et quid. Scribendum: *Ecquid* vel es. ad i. veniendum est? Fortasse etiam: Quanto *hic* maius est, *quod* promittitur? Perpetua libertas, cet. (Tum Seneca scripsit, ut est in Ab et edd. superioribus: vixerunt herbarum radicibus et dictu fœdis tulerunt famem. P fœde; p et alii fœdius. Si hoc Seneca voluisset, scripsisset aut fœdius, omisso dictu, aut fœdioribus; etsi fœdi nihil proprie erat in radicibus.). § 10 simpliciter tollendum puto quod, ut scribatur: idem autem omni seculo sat est.

Ep. 18. 11: Quanta est animi magnitudo ad id sua sponte descendere, quod ne ad extrema quidem decretis timendum est. Videtur fuisse: ne ad extrema quidem *deiectis*.

Ep. 19, 3 (ubi Seneca Lucilio dicit iam non liberum esse, postquam in tantam hominum notitiam venerit, penitus se in otium abscondere): Ut in extrema mergaris ac penitus recondaris, tamen priora monstrabunt. Non hoc agitur, in quid se mergat, sed quando. Scrib. Ut in *extremo*, h. e., in extrema vitæ et studii parte. Inferius (§ 6) hæc nunc leguntur: Quis exitus erit? Quid exspectas (Pp pervagato errore spectas), donec desinas? habere, quod cupias, nunquam erit tempus. Superiores rectius: Quid exspectas, donec des. habere, q. c.? Prorsus emerget vera sententia, sic verbis distinctis: Quid exspectas? Donec d. h. q. cupias? Nunquam erit tempus. Tum in his talem esse cupiditatum neque audiri neque addi potest dicimus; neque enim hoc scholæ decretum est. Excidit scias (esse scias) aut simile verbum (puta). Postremo § 10 hæc scribuntur: Sed movebis

mihi controversiam, ..., nec voles, quod debeo, in aspero et probo accipere. Significatur moneta aspera et pleni ponderis nec usu detrita et lævigata; (itaque prave Haasius ex errore codicis p effecit inprobo). Sed sententia aperte laborat; itaque inde ab Erasmo addebatur nisi: nec voles, q. d., nisi in asp. cet. Aut hoc tenendum aut tollendum nec scribendumque: controversiam, si novi te; voles, q. d., in aspero et probo accipere.

Ep. 20, 2: Facere docet philosophia, non dicere, et hoc exigit, ut ad legem suam quisque vivat, ne (p: non) orationi vita dissentiat, ut ipsa inter se vita unus (p: us) sit omnium actio dissensionum color sit (P Ab; p: actionum dissensione coloris sit). Ex hac codicum scriptura quæ monstra Haasius effecerit, apud ipsum cognosci malo. Sublato primum dissensio, quod in medio verbo actionum male ex superiore dissentiat interpositum est, deinde altero sit, una tantum vocalis in scriptura codicum P Ab addenda est: ne orationi vita dissentiat *aut* ipsa inter se vita, unus sit omnium actionum color. Duo requiruntur, ut orationi conveniat vita, deinde, quæ propria Stoicorum postulatio est, ut ipsa sibi vita concinat vivaturque ὁμολογουμένως. Postrema verba Fickertus, Schweighaeusero suadente, recte scripsit. (Minus bene Hauptius I p. 11. *Vita intra se* male dicitur; sine parum probabiliter additur; sententia Stoicorum non tam apte exprimitur.) Eiusdem epistolæ § 11 hæc in codicibus leguntur: Nescio, inquis, quomodo paupertatem iste laturus sit, si in illam inciderit. Nec ego Epicuri angelus si iste pauper contempturus sit divitias, si in illas inciderit. Certum est, sic Senecam scripsisse, Epicuro eadem forma occurrentem: Nec ego, *Epicure*, *an* * iste pauper c. s. divitias; nam vocativum ordo verborum monstrat, qui vetat coniungi Epicuri iste pauper; quærendum relinquitur, quid lateat in gelus.

Puto subesse: an *vetus* iste pauper. *Veterem pauperem* dici, qui diu in paupertate fuerit, notum est. Epicuri pro Epicure scribitur etiam in codicibus (Bamberg.) ep. 97, 15.

(De ep. 21, 9 dixi vol. I p. 36, in idem incidens, quod Hauptius occupaverat II p. 10.)[1])

Ep. 22, 11. Codices boni: Omnes Zenones et Chrysippi moderata et (hoc om. p) honesta tua suadebunt. Scribi debet: moderata, honesta, *tuta* suadebunt. Quod caput est, tuta, iam Schweighaeuserus invenit, cui obtemperatum oportuit. Unus et alter librarius tua, quod non intelligebat (et iure non intelligebat), omisit. Sequitur in eadem epistola § 17: Causa autem hæc est (trepidationis et lacrimarum appropinquante morte), quod inanes omnium bonorum sumus; vitæ laboramus; non enim apud nos pars eius ulla subsedit; transmissa est et effluxit. Non sane hoc reprehenditur, quod vitæ, hoc est, vitæ causa et in eius usum homines laborent, nec id cum ceteris ullo modo congruit. Geminandæ tres litteræ sunt: quod inanes omn. bon. sumus; *usu* vitæ laboramus (male ea usi sumus).

Ep. 23, 6: Ita dico: in præcipiti voluptas; ad dolorem vergit, nisi modum tenuit (p teneat, minus bene). Sic recte Haasius interpunxit; sed tum abesse verbum nequit. Itaque superiores est voluptas. Puto fuisse: in præc. voluptas *stat*; ad d. v.

Ep. 24, 24: At (*atque?*) in utrumque monendi ac firmandi sumus, et ne nimis amemus vitam et ne nimis oderimus; (hic necessario insistit oratio;)

---

[1]) Velamentum ipsos ... habituros, hoc est se, non erat movendum; vid., quæ dixi ad Cic. fin. III, 40 p. 411.

[redacted]

etiam cum ratio suadet finire sed non temere nec cum procursu capiendus est impetus. Superiores sed post finire deleverant; nuper mira interpunctio sine ullo fructu adhibita est. Scripserat Seneca: etiam cum ratio suadet finire *se*, non temere cet. Sic enim *finire se* aut *aliquem* de consciscenda aut inferenda morte hac ætate dicebatur, *finiri* de moriendo. Illud legitur apud M. Senecam præf. libri V controv. p. 321 Bip. (X p. 294 Burs.) (*non finivit tantum se ipse*), apud L. Senecam de provid. 6, 6 (*mors, quæ vos aut finit aut transfert*) et ad Marc. 3, 3 (*quod non ætas præcipitet te et finiat*), hoc apud Lucium ep. 74, 26 (*citra senectutem finitus est*), Val. Max. IX, 12 E 4; alia habet Schellerus p. 3868.

Ep. 26, 3: Ire in cogitationem iubet (animus) et dispicere, quid ex hac tranquillitate et modestia morum sapientiæ debeam, quid ætati, et diligenter excutere, quæ non possim facere, quæ nolim (p nolimus), prodesse habiturus atqui si nolim quicquam (Ab quidquid) non posse (Ab possum) me gaudeo (P Ab; p. e me gaudere). Extrema hæc inde a prodesse, in quibus nihil præter ea, quæ notavi, codices boni variant, graviter corrupta esse consentitur; emendandi conatus nihil habent, in quo ulla ex parte acquiescas, qui neque codicum vestigia sequantur neque sententiam probabilem et rectam efficiant. Viæ autem ad emendationem ferentis notæ sunt in participio habiturus ad animum relato, ipsum de Senecæ iudicio iudicaturum, et in eo, quod sequitur: Quæ enim querela est cet. Ad habiturus autem adiungitur prima syllaba verbi hinc alienissimi prodesse. Itaque præter hoc vocabulum una littera in atqui mutata et recepta scriptura codicis p, qui obscura veri indicia sæpius solus servavit, hæc nascuntur: *pro peste* habiturus *æqui*, si nolim quicquam non posse me gaudere.

Quæ enim querela est, quod incommodum, si, quicquid debebat desinere, defecit? Animus, qui quasi a Seneca separatus eum dispicere iubet et gratum intelligere, magnam partem tranquillitatis et modestiæ, quæ nunc in ipso sit, non solum voluntati non peccandi sed etiam sublatæ ætate potestati peccandi deberi, pro summa iniquitate et æqui interitu habiturus est, si nolet Seneca gaudere, quod quicquam non possit (quod omnino rem ullam non possit). Nullum enim incommodum esse, quod, quæ desinere aliquando debuerint vires, defecerint. Nam debebat (de destinato iam ante eventu) pro debeat recte Fickerto in mentem venerat, sed instabili iudicio. Sequitur paucis interiectis § 4: Et quis (scr. *Ecquis*) exitus est melior quam in finem suum natura solvente dilabi? Non quia aliquid mali ictus et e vita repentinus excessus, sed quia lenis hæc est via, subduci. In ictus et latet præsentis temporis verbum; apud Ciceronem id coniunctivi modi necessario esset; apud Senecam ea lex negligitur (ut de vita beata 26, 5: non quia odit, sed in remedium). Ex ctuset (nam *i* ex priore verbo adhæsit) fieri videtur continet. Aliquanto infra § 8 hæc leguntur: Desinere iam volebam et manus spectabat ad clausulam; sed conficienda sunt sacra et huic epistolæ viaticum dandum est. Nihil hic sacris loci est; nam neque tantum honorem epistolis suis Seneca habet, ut cum sacris comparet, et hoc loco significatur id, quod extra ipsum epistolæ argumentum accedere debet. Scribendum est: conficienda sunt *æra*, quod eodem modo de rationibus conficiendis Seneca dixit, quo Cicero in Hortensii loco, qui est apud Nonium p. 193. (De § 8 et 9 dixi vol. I p. 117.)[1])

---

[1]) Ep. 27, 5 tollendum esse noverat indicaram Gronovii sententiæ ignarus. Perverse Fickertus contra dicit, interdum

Ep. 29, 8: Vitia eius etiamsi non excidero, inhibebo; non desinent, si intermittent. Mire hoc promittitur: non desinent, quasi quisquam id futurum putet aut, ne fiat, timeat. Scribendum: si non desinent, intermittent. Cfr. correctio adhibita epist. 15, 12 vol. I p. 51. [Ante Fick. edebatur: n. d., sed interm.]

Ep. 31, 7: Laborem si non recuses, parum est; posce. Quis ergo, inquis, labor frivolus et supervacuus est? quem humiles causæ evocaverunt. Non est malus, non magis quam ille, qui pulchris rebus impenditur. Mire, qui ad laborem excitatur, quærit, quis humilis labor sit, quasi ad eum præter ceteros excitatus. Scrib. *Quid* ergo, inquis, *si* labor frivolus et superv. est, quem humiles causæ evocaverunt? Effugium quæritur, sed occluditur responso: Non est malus cet.[1]) Sed etiam in iis, quæ adduntur, ut ostendatur, non malum esse illum laborem: non magis, quam ille, qui p. r. impenditur, quoniam animi est ipsa tolerantia, quæ se ad dura et aspera hortatur cet., mendum est. Nam tolerantiam esse animi (non corporis), nihil sane opus erat dicere nec id ullam habet argumenti vim; ea nascetur, si scripserimus: quoniam *magni* animi est ipsa tolerantia cet. Quam facile magni inter *m* et *ani* exciderit, patet. Sub finem huius epistolæ (§ 11) scribitur nunc e P: Quærendum est, quod non fiat in dies peius, quo (id est, ut editur, cui) non possit obstari. Inde ab

---

homines, quæ optime norint, ad tempus non meminisse. At h. l. ridetur homo indoctissimus ob ignorantiam nominum vulgo notorum obliviscens.

[1]) § 5 aut in solo illo latet substantivum aut in omnibus his litteris illo vetere.

Erasmo edebatur: in dies deterius. Revocandum est e p, Ab, ceteris, quod primæ editiones tenuerant: quod non fiat in dies *eius*, cui non possit obstari, id est, vetustatis; huius enim omnia præter animum sensim fiunt. Dormitavit Erasmus. (In ep. 32, 3 egregie Gronov.)

Ep. 33, 5: Quare depone istam spem, posse te summatim degustare ingenia maximorum virorum; tota tibi inspicienda sunt, tota tractanda. Res geritur et per lineamenta sua ingenii opus nectitur, ex quo nihil subduci sine ruina potest. Nihil omnino, quod ad hunc indissolubilem totius et partium nexum pertineat, significare possunt verba res geritur, ad actum et pugnam spectantia. Scribendum est: Res *seritur* (*conseritur*?). Paulo post § 7 oratio sic dispescenda est: Ideo pueris et sententias ediscendas damus ..., quia complecti illas puerilis animus potest, quia plus adhuc non capit. Certi profectus viro captare flosculos turpe est. In puero nondum est certus profectus. Tum § 8 scribendum: At contra scire est sua facere (vulgo: est et sua fac.) quæque nec ad exemplar pendere.

Ep. 34, 2 et 3: et nunc idem facio; sed iam currentem hortor et invicem hortantem. Ad hanc Senecæ laudem Lucilius subiicit: Quid aliud, inquis, adhuc volo? mire, quasi Seneca significaverit voluntatem eius mutatam et nunc minus in eo studii esse. Mire etiam Seneca persequitur: In hoc plurimum est; ... pars magna bonitatis est velle fieri bonum. Apparet Lucilium modeste laudem deprecatum esse, cum diceret se adhuc velle tantum, non perfecisse, quod vellet, Senecam in ipsa voluntate multum iam esse dicere. Scripserat igitur Seneca: Quid aliud, inquis, adhuc *nisi* volo?

(De 36, 12 dixi vol. I p. 91.)[1])

Ep. 39 2: Interim multos habes, quorum scripta nescio an satis ordinent. Quem aut quid? et quid hoc est, scripta philosophorum aliquid aut aliquem ordinare? Scribendum videtur: quorum scripta nescio an satis *ordines*. Sume in manus indicem philosophorum (ut eo in ordinandis scriptis utare). Cum scriptum esset ordinesume, factum est ordinent.

Ep. 40, 2: Itaque oratio illa apud Homerum concitata et sine intermissione in morem nivis superveniens oratori data est; lenis et melle dulcior seni profluit. Recte Hauptius (II, 12) vidit, necessario scribendum esse *iuveni* oratori, ut hoc contrarium sit seni. Itaque hoc excidisse post superveniens putat. Sed nihil est oratio in morem nivis *superveniens*. Nisi fallor, Seneca scripserat: in morem nivis *uber iuveni* oratori cet., unde, geminato *s*, facile oriri potuit superveniens. Infra § 9 scribitur: Recte ergo facies, si non videris istos, qui, quantum dicant, non quemadmodum, quærunt. Utrum videat illos Lucilius necne, ad rem nihil pertinet, sed admireturne ac sequatur. Scribendum: si non *invideris istis*. Mutatum verbum secuta est in Senecæ codicum licentia mutatio pronominis. (Haasius præf. p. XXVI mireris, animadverso recte vitio; sed debebat esse *admiratus fueris* aut *admiraberis*. Paucis ante verbis recte Muretus, Lipsius, Gronovius affectus impotens sui pro eo, quod est in codicibus et nunc editur, impetus sui.) Tum simpliciter scribendum: et ipse malueris, si necesse est, *ut* P. Vinicius dicere. Persæpe *ut* et *uel* in codicibus permutantur; depravato ut in

---

[1]) § 1 recte Schweigh. e P Ab aliis ostentet pro ostendet. Hortatur Seneca et iubet, non promittit.

uel, natum est Vinicium, ut species accusativi cum inf. esset. Deinde paulo post, ubi in codicibus est: qui illi singula verba vellenti, tanquam dictaret, non diceret, ait: Dic nunquam dicas, puto fuisse: Dic, *num iam* dicas. Fingit, qui interrogat, se nescire, utrum Vinicius iam dicat an etiamnunc commentetur.

Ep. 41, 3: Si tibi occurrerit vetustis arboribus ... frequens lucus ..., illa proceritas silvæ ... fidem tibi numinis facit; et si quis specus ... montem suspenderit ..., animum tuum quadam religionis suspicione percutiet. Et propter occurrerit (quod pro occurrit e p recte recepit Haasius propter suspenderit) et propter percutiet scribendum est *faciet*, quod fecit codicis recentis librarius, sed simul tollendum et (*faciet*; *si qu.*). Eadem epist. § 6 reponendum est: *Alter* leo aurata iuba mittitur ..., *alter* incultus, integri spiritus: hic scilicet ... præfertur illi languido et bracteato. Editur bis aliter. Diversitas leonum notatur, non mittendi.

Ep. 42, 4: Multorum crudelitas et ambitio et luxuria, ut paria pessimis audeat, fortunæ favore deficitur. Eadem velle subaudis cognosces: da posse, quantum volunt. Sic quicquid est codicum bonorum et tolerabilium, etiam deterrimorum plerique. Ex uno et altero interpolato editur: Eadem velle cognosces: da cet. quod debebat esse: *si dederis.* Imperativus de experimento capiendo et de condicione rei alicuius consequendæ apud Senecam aut, ut apud ceteros, præponitur, subiecto futuro de eventu (da: cognosces; da, et cognosces), aut subiicitur verbo vis interrogative posito (vis? fac), ut ep. 70, 17: *Vis adversus hoc corpus liber esse? Tanquam migraturus habita;* de brev. vit. 11, 1: *Vis scire, quam non diu vivant? vide, quam cupiant diu vivere.* (Interdum pro imperativo alia forma sententiæ

ponitur, velut ep. 74, 34, de vit. beata 22, 5, de benef. III, 31, 3, ubi est coniunctivus iussivus de præterito, IV, 21, 1.) Atque hoc ipsum vis perlucere mihi videtur in subaudis, Senecamque scripsisse puto: Eadem velle *scire vis?* Da posse, quantum volunt, corruptis autem scire vis additum cognosces. (De usu particulæ ut in illa sententia: ut paria pessimis audeat ad id significandum, cui explendo efficiendoque aliquid desit, dixi in annal. philol. vol. LXXIII p. 122. Addi locis ibi positis hi possunt, quos Siesbyeus collegit: Cic. fin. I, 50, de nat. deor. II, 66, de divin. II, 85 (apud *restare*), Liv. XXII, 60, 14 (*deesse*), Ovid. met. VII, 179 (*abesse*); in dial. de orat. 21 sic ponitur quo sublimius.) Eiusdem epistolæ § 8 verum esse vix potest, quod editur: Sæpe maximum pretium est, pro quo nullum datur; nam neque pretium pro pretio datur, neque, quum hoc significetur, sæpe ipsam rem, quam concupiverimus et acceperimus, sua natura nobis magno constare et perniciosam esse, tamen ea res recte pretium magnum dici videtur. Scribendum suspicor: Sæpe maximum pretium est *eius*, pro quo nullum datur (alteri aut exsolvitur).

Ep. 44, 4: Plato ait, neminem regem non ex servis esse oriundum, neminem non servum ex regibus. Et contrariorum similitudo et usus loquendi postulat: *neminem servum non ex regibus.*

Ep. 46, 2: dicerem, Quid impetus (habuit), si interquievisset, si intervallo surrexisset. Cod. p: si interquievisset, intervallo surrexisset. Scr. si interquievisset, si *ex* intervallo surr. Sic enim dicitur, *intervallo surgere* nihil est. Iis, quæ in lexicis posita sunt, addi possunt hæc exempla: Livii XXXVIII, 2, 9 (de loco), M. Senec. præf. controv. lib. I p. 64 Bip. (*quoties ex intervallo dixerat*), L. Senec. ep. 42, 1; 85,

29; 123, 9, quæst. nat. III, 26, 3, Suet. Claud. 41. Extrema epistola § 3, ubi codd. habent incitet libro, scribendum est: quæ incitet; [*set de*] libro plura scribam cet.[1])

Ep. 48, 8 (3): Succurre quicquid laqueti respondentium pœnis. Sic Pp; interpolando factum laqueati, deinde alia. Sententiæ forma certa est. Iubetur Lucilius, hoc est, qui philosophiæ operam dat, non dialecticis captionibus ludere, sed subvenire iis, quos animorum turbulenti motus miseros reddunt, succurrere pœnis et vexationibus eorum, qui respondeant, quicquid *. (*Succurrere pœnis alicuius* esse succurrere alicui contra pœnas, sunt fortasse, qui admonendi sint.) Hoc autem, quod desideratur, perfecti temporis verbum, aut solum aut cum alia voce coniunctum, eiusmodi significationem habere debet, ut efficiatur notatio hominum instabili consilio et cum tædio sui omni motui et excitationi respondentium et parentium. Mihi Seneca scribere apte potuisse videtur:

---

[1]) Ep. 47, 20 recte apud Muretum, Gruterum, Gronovium interpungitur et scribitur: Nec hoc ignorant (nullum periculum esse, ne vere iniuriam accipiant), sed occasionem nocendi captant querendo; acceperunt iniuriam (hoc est, accepisse se fingunt), ut facerent. Quærendo ineptum est, querendo prave cum acceperunt coniungitur. Sed qui hic nugatur, in eiusdem epistolæ § 7 laudandus est aliquando Fickertus, quod e codicibus post Muretum et antiquiores restituit: iamque militaris habitus (hoc est, cum iam militaris habitus sit) glaber retritis pilis . . . pervigilat. Puerum dominus fingebat contra ætatem, non militem. Haasius ad pravum rediit. § 16 recte Pontanus priore ex iis formis, quas ad ep. 42, 4 attigi, scripsit: tempta, et experiere (pro experire). Promittitur eventus, si Lucilius tentaverit.

Succurre, quicquid *lacessivit*, respondentium pœnis. (Quicquid *flavit uenti*, respondentium?)

Ep. 49, 6: Quid te torques et maceras in ea quæstione, quam subtilius est contempsisse quam solvere? Neque subtilitas ulla erat in contemnendo neque subtilitatis laudem appeti Seneca vult. Scribendum: quam *utilius* est cet. Vitæ utilia a philosopho · tractari iubet. (§ 10 adolescens, nondum visa Schweighaeuseri editione, emendaram, ut is fecit: *da* æquanimitatem adversus inevitabilia. Fuit, qui potius, quam da pro de scriberet, duo verba tolli vellet et simul concinnitatem orationis.)

Ep. 50, 4: Quando tot morbos tantasve ægritudines discutiemus? Quicquid est codicum, tantasve res discutiemus habent, ex quo Haasius effecit tam veteres, 'Hauptius (I p. 11) paulo violentius tantosve (omisso res), in quo vitiosum est ve (pro tot tantosque). Scribi debet: tot morbos, tantas *febres* (uebres) discutiemus? Deinde § 9, ubi sic legitur: initium ad illas (virtutes) eundi arduum, quia hoc primum imbecillæ mentis atque ægræ est, formidare inexperta, restituendum: quia hoc *proprium* imbecillæ cet.

Ep. 53, 7: Nam qui leviter dormit, ... aliquando dormire se dormiens cogitat; gravis sopor etiam somnia exstinguit animumque altius mergit quam uti nullo intellectu sui est. Sic codd. boni. Deleto quam, quod prave comparativo additum est, scribi debet: altius mergit, ubi *nullus intellectus* sui est. Ablativus, ex quo nihil sani effici potest, et, distractis initio litteris, ex ut in et ex intellectusui, semel scripto *s*, ortus esse potest. (Quod § 9 emendaram: *adesse* iubet pro adest et iubet, in idem incidit Haasius præf. p. XXVI.)

Ep. 54, 6: suspirium illud...intervalla maiora fecit et retardatum est ac remansit. Si remansit, Seneca illa molestia liberatus non est, quod narrat. Scrib. *atque emansit* (blieb ganz aus). Usi verbo sunt Statius poeta et Modestinus iurisconsultus; substantivis inde ductis (*emansio*, *emansor*) alii quoque iurisconsulti. *Deserere* quoque absolute de militibus positum commune est Senecæ cum iurisconsultis (de ira II, 10, 4), sed etiam Quintiliano (IX, 2, 85) et Tacito (ann. XIII, 35). Video iam hoc Gronovio in mentem venisse; sed quoniam non intellectus est, non deleo, quæ scripseram.

Ep. 55, 4 codices boni hæc habent: Otiosum enim hominem seductum existimat vulgus et securum et se contentum, sibi viventem, quorum nihil ulli contingere nisi sapienti potest. Ille sollicitus scit sibi vivere; ille enim, quod est primum, scit vivere. Sed in P e voce sollicitus, ad quam sententiæ accommodandam in interpolatis codicibus et in editionibus additur (ille) quidem nulla re (sollic.), litteræ licit erasæ sunt. Id apparet ad exemplar propositum esse factum, cum aberratum esset, conflatis male solus scit. Efficitur enim, quod unice aptum et verum sit: Ille *solus* scit sibi vivere; ille enim, quod est primum, scit vivere.

Ep. 57, 9: Hoc quidem certum habe, si (animus) superstes est corpori, propter (p preter) illum nullo genere posse propter quod poterit. Quoniam tota epistola de eo mortis genere agitur, cum ruina opprimitur et obteritur corpus, non difficile erat intelligere scribendum esse: *opteri* illum nullo genere posse. (Cfr. Iuv. sat. III, 260: *obtritum vulgi perit omne cadaver More animæ.*) Hauptius (I p. 13) proteri posuit; sed retinuit in verbis adiunctis scripturam editionum interpolatam: propter quod non perit, quæ sententia et prave adnectitur (debebat enim esse: et ideo non

[redacted]

perire), nec apta est iis, quæ deinceps subiiciuntur: quoniam nulla immortalitas cum exceptione est. Opinor scriptum fuisse: nullo genere posse, quod [*corpus*] *opterit*; nam propter ex superiore versu repetitum puto; incerta tamen hæc suspicio est. Sententia quæ esse deberet, Opsopœus et Lipsius viderant (propter quod (vel per quod) hoc, ɔ: corpus, perit).

Ep. 58, 26 (23): Ex omni natione (scrib., ut in deterioribus aliquot codicibus emendatum est, oratione), etiamsi a philosophia longissime aversa est, eruere aliquid conor et utile efficere. Quid de istis, quæ modo tractavimus, remotis a reformatione morum? quomodo meliorem me facere deæ Platonicæ possunt? quid ex istis traham, quod cupiditates meas comprimat? Vel hoc ipsum, quod omnia ista cet. Pro inepta illa interrogatione: Quid de istis (debebat saltem dici: quid igitur ex istis, etsi nullo modo audiri potest eruere possum) scribendum est minima mutatione, sententia aptissima: Quid istis, quæ modo tractavimus, *remotius* a reformatione morum? Primum, quam aliena hæc a morum emendatione videantur, dicit; deinde ostendit, etiam ex his utile aliquid trahi posse. (Contrarius hic error, quo quid de ex quid natum est, ei, qui accidit 114, 16; vid. p. 205 n.). Tum in proximo (27) scribitur in plerisque codicibus (etiam p): imbecilli fluidique intervalla (in aliis per intervalla) constituimus; ad illa mittamus animum, quæ æterna sunt. Quæ sint illa intervalla, quæ constitui Seneca queritur (nam huic contrarium poni videtur, quid fieri debeat: ad illa mittamus cet.), nemo, opinor, ita dixerit, ut intelligi possit. Scripserat sine dubio Seneca: Imbecilli fluidique *inter talia consistimus*; ad illa mittamus animum,

quæ æterna sunt. Inter res imbecillæ naturæ, quales ipsi (corpore) sumus, consistere nos dicit; potius animum ad æterna mittendum. Infra § 31 (28), postquam Seneca Platonem unum et octogesimum annum implevisse et ei ob eam rem a magis sacrificatum esse dixit, hæc adduntur: Non dubito, quin parat et paucos (P; p paratas et paucos) dies ex ista summa et sacrificium remittere. Frustra hæc editores ad ipsum Platonem accommodare student (etiam Hauptius I p. 13), qui quid paratus sit fueritve facere, omnino nihil ad rem pertinet. Scribendum est: quin *paratus sis* et paucos dies cet. Ludens Seneca significat, Lucilium Platonis ætate etiam paucis diebus detractis contentum fore. Sequuntur § 34 (31), postquam Seneca quæstionem de vita voluntaria morte finienda attigit, hæc: Paucos longissima senectus ad mortem sine iniuria pertulit; multis iners vita sine usu sui iacuit. Quanto deinde crudelius iudicas aliquid ex vita perdidisse quamvis finienda? Neque de crudelitate h. l. agitur, neque, quo comparatio spectet, apparet, et ignave sensu cassum additur: quamvis finienda. Omnia recta et apta hæc efficiet scriptura: Quanto deinde *levius* [Geertzius *utilius*] iudicas aliquid ex vita perdidisse quam *ius finiendæ*? (quod Stoici dant). Ad hoc ius vitæ finiendæ pertinent, quæ subiiciuntur.

Ep. 61, 1: Desinamus, quod voluimus (codd. volumus) velle. Ego certe id ago senex eadem velle, quæ puer volui. Sic codices. Scribendum videtur: id ago, *ne* senex eadem *velim*, quæ puer volui. Omisso *ne* ante *se* mutatum est velim, præcedente præsertim velle. Tum § 3 scribendum est proxime vestigia codicis p: Quicquid necesse est, futurum est (est *et*?) repugnanti; volenti necessitas non est.

Ep. 65, 15: Ego quidem priora illa ago ac tracto, quibus pacatur animus, et me prius

scrutor, deinde hunc mundum. Priora neque per se rectum est (pro prius) neque propter prius, quod sequitur. P aliique codices peiora, p peiura. Opinor olim scriptum fuisse: Ego quidem *pe* [*culiari*] *cura* illa ago ac tracto, cet.

Ep. 66, 19 Pp: cum ... dicat Epicurus, dulce esse terroris et hoc respondeo cet. Efficitur: dulce esse *torreri* (sic Ianus et Haasius; superiores torqueri); *sed* hoc respondeo cet. Tum § 23 (22) revocandum simpliciter, quod in Pp (in p ab altera manu) aliisque scriptum est: Ergo tuam quoque virtutem non magis laudabis, si corpus *illi* (virtuti, quæ corpore utitur) tuum integrum fortuna præstiterit, quam si ex aliqua parte mutilatum. Sic enim extremum vocabulum cum P Ab scribendum est, non mulcatum, quod ex errore codicis p et aliorum (multatum) effectum est. Mulcatum corpus brevis habet temporis dolorem, mutilatum perpetuam debilitatem, de qua hic agitur. § 25, ubi pro et si hoc est, quod sententiæ repugnare Schweighæuserus animadvertit, Haasius scripsit: aut, si hoc est, fortasse scribendum est: *nisi* hoc est (præcedente *m*).

Ep. 67, 5 (7): Deinde, etiamsi tormentorum fortis patientia optabilis est, etiamnunc interrogo: Nempe fortitudo optabilis est; atqui pericula contemnit et provocat. Recte Haasius intellexit, summam, quæ ex superioribus progrediendo concluditur, pravissime cum concessione (etiamsi) poni tanquam contrariam initio novæ conclusionis eodem spectantis. Sed quod edidit: Deinde, etiamsi * * * tormentorum f. p. opt. est, nihil omnino desideratur, sed aperte ex proxima præcedenti sententia (omnem virtutem esse bonum, omne bonum optabile) hoc efficitur: Deinde *etiam* tormentorum fortis patientia optabilis est. Etiamnunc cet. (§ 10 recte Schweigh. fortasse

adverbium separavit ab ea sententia, qua continetur certum Stoicorum decretum, et ad eam adiunxit, quæ concessionem continet. (In extrema epist. § 13 Haasius miro errore orationem rectam corrupit; § 16 recte e p emendavit.)

Ep. 68, 1: Hoc te facturum Stoicorum etiamsi non præcepto, at exemplo, licet scias; sed ex præcepto quoque facies (sic recte superiores edd. pro facias), et tibi et cum voles approbabis. Sic codices plerique (P); p: et tibi con et cum voles, approbabis. Mendum manifestum est; nihil enim erat, quod Lucilius sibi approbaret et, cum vellet, approbaret. Itaque inde a Mureto edebatur fere approbabo, quod debebat saltem esse probabo. In litteris in p servatis verum latet: et *te Zenoni*, cum voles, approbabis. (Addendum hoc vol. I p. 147.)

Ep. 69, 5 (3): Vix effici toto seculo potest, ... nedum, si tam breve tempus intervallum discidimus (p Ab discedimus). Corrigunt, ut scribatur temporis, aut tempus tolli volunt (ut Haasius præf. p. VII). Sed vita intervallum non est. Præteritum verbi tempus pravum est. Scribendum: si tam breve tempus *intervallis cædimus* (et sic multo brevius facimus). Ex is natum dis, tum intervallum factum. Sententiam veram sequebatur interpolata editionum ab Erasmo ad Ruhkopfium scriptura: per intervalla discindimus; codicis alicuius Itali corrector etiam in intervallis inciderat, sed discidimus tenuit.

Ep. 70, 5 (4): Cum primum illi cœpit suspecta esse fortuna, diligenter circumspicit, numquid illo desinendum sit. Addunt die. Potius scribendum: numquid *illico* des. s.

Ep. 71, 8: Quid ergo? Nihil interest inter præturam Catonis et repulsam? Nihil interest, utrum ...? Hoc eius bonum, quo victis partibus non potest vinci, par erat illi bono, quo

victor rediret in patriam et componeret pacem? Scr. *erit* (æstimabitur); alioquin est scriberetur. Mox § 9 recte Muretus omisit sed ante Cn. Pompeius, ortum ex est; confirmatur, quod breviter et universe positum erat. Sed simul scribendum: amittet exercitum, *et* illud pulcherrimum r. p. prætextum cet. Continuatur eadem sententia. Tum § 12 valde suspicor scribendum: Quid enim mutationis periculo exceptum? Non terra, non cælum. Totus hic rerum omnium contextus, quamvis deo agente ducatur, non semper tenebit hunc ordinem cet. (Vulgo: non cælum, non totus ... contextus; quamvis cet., ubi tenebit non recte refertur ad unum ex tribus copulatis.) § 28, etsi de P tacetur (nam p iam in § 7 huius epistolæ deficit), tamen non audeo spernere Gruteri suspicionem ex ceterorum vestigiis ductam: *ibit* interim *cessim* pro his: 'ibi interim cessabit; nam ibi prorsus perversum est. Omnino, quod p cum P comparare non possumus, hinc usque ad ep. 88 multa incerta sunt, ut statim in eo, quod sub finem epistolæ § 34 (33) sic scribitur: Alius (ex sapientiam sectantibus) iam in tantum profecit, ut contra fortunam audeat attollere oculos, sed non pertinaciter, ..., alius in tantum, ut possit cum illa conferre vultum, si iam pervenit ad summum et fiduciæ plenus est, prorsus perversa est condicionis adiectio; debuit enim scribi: iam enim cet. Puto scribendum: vultum; *alius* iam pervenit cet. Nam alter processus gradus nondum ad summum pervenit. Et plus quam duo gradus videntur significare verba initio posita: magna discrimina esse.

Ep. 72, 1 ę vestigiis codicis P, quæ huiusmodi sunt: Quod quæris a me, liquebat mihi sic rem edicerem per se; sed diu non retemptavi memoriam meam; itaque non facile me sequitur, videtur effici melius

iis, quæ in interpolatis codicibus leguntur aut ab aliis tentata sunt: Quod quæris a me, liquebat mihi *scire me et dicere posse* (*per se posse?*); sed diu cet. Eiusdem epistolæ § 5 (6) quod scribitur: Aliquo, inquam, incommodo afflatur maximus is; illud bonum est fixum, cet., verum esse non potest; nam neque maximi appellatione unquam Seneca in sapiente utitur, ut omittam is pronomen mire extremum adhærens, (rectum esset ille), nec illud bonum nude poni potest, quoniam nullum unum inter cetera significatum est; itaque ad sententiam recte cod. Pal. 4: maximum illud bonum, sed vix inde oriri potuit, quod in ceteris codicibus est; itaque suspicor sic scriptum fuisse: Aliquo, inquam, inc. afflatur; *maximi usus* illud bonum est fixum.

Ep. 73, 3: Nec ambitio tantum instabilis est, verum cupiditas omnis, quia incipit semper a fine. Videndum, ne scribi debeat *insatiabilis*. De eo enim et in superioribus agitur, non de ambitione cupiditatibusve nunc huc, nunc illuc se convertentibus, et eo pertinere videtur causa adiecta. Nam a fine (de integro) incipere non instabilis hominis est, sed non exsatiati.

Ep. 74, 25: Non facit allectio amici sapientiorem, non facit stultiorem detractio. Mirum est, Haasium, cum vestigia codicis P (allecto) et Italos (allectio) sequeretur, non vidisse, detractioni contrariam esse *adiectionem*. (Arg. b: abiectio animum. Superiores, etiam Fickertus, interpolatam scripturam habebant: collectio amicorum.)[1])

---

[1]) § 9 ex vestigiis Ab et codicis Opsopœi (invidentesque alios spes vana delusit) recte Lipsius[a] effecisse videtur invidentque alii, quos sp. v. d., minusque placet, quod Hauptius II, 14 e deterioribus tentavit. § 16 debuit Seneca

Ep. 75, 5: Videbimus, qualis sit, quantus sit, unus sit. Sic P. Agitur de concordia et unitate vitæ. Nec oratio constat (videbimus, unus sit, deficiente particula interrogativa) nec sententia, quæ hæc est: Videbimus, qualis sit, quantus sit; unus *est* (ut præcedit: idem est). De illis (qualis, quantus) nunc non quærit Seneca; hoc tenet et eo contentus est. Hic usus verbi *videbimus* in differendo et removendo ab eo, quod nunc agitur, frequens est apud Senecam; vid. ep. 13, 7 et 100, 5, de vit. b. 11, 3, de ira III, 14, 4 et 15, 3, de benef. IV, 37, 5, cet. Paulo post (§ 7) scribitur: Quid aures meas scabis? quid oblectas? Videndum, ne fuerit *capis*, alterumque ortum sit geminatione litteræ (scapis); neque enim *aures scabere* de grato verborum sono dicitur.

Ep. 76, 29 (22) quam ipse feceram emendationem, video e Fickerti annotatione præceptam, sed ab eo, cuius nomen ne parum ad eam commendandam ponderis habeat, verear (a Sanctolonio Italo); nec Fickertum aut Haasium advertit. Itaque ponam, pro eo, quod e codicibus editur: Sed ille quoque, cui hoc gaudium eripitur, quod tractatio operis maxime et ultime præstat, nihil cunctatus desiliet in mortem, scribendum esse: operis *maximi* et *ultimi*. Neque operis adiectivo carere potest, neque tolerabile est *maxime et ultime præstare.*

Ep. 77, 11 (10), ubi in codicibus est: Nonne tibi videbitur stultissimus omnium, qui flevit, quod ante annos mille non vixerat, quis non videt scribendum esse: qui *flebit*, quod ... *vixerit*?

---

scribere, quod deteriores pauci obscure significant: quo deus ab homine, homo ab animalibus vincitur; scripseritne, nescio.

(Hoc posterius iam scriba codicis Rehdingerani posuit).[1]) § 17 (14) in codicibus scribitur (P): Quid est aliud, quod tibi eripi doleas? Amicus esse patriam? Tanti enim illam putas, ut tardius cœnes? Recte hactenus, qui amicos fecerunt; sed et codices et sententiæ orationisque forma ostendunt, de amicis eodem modo cum obiurgatione et refutatione interrogatum esse, quo de patria, et ad hanc formam scriptum fuisse: Quid e. a., q. tibi eripi doleas? [*Amicos? quis enim tibi potest*] amicus esse? Patriam? Tanti enim cet. De genere erroris dixi ad lib. IV de benef. 31 extr. Proxima paragrapho (18 aut 15) satis manifestum est, hanc sententiam, eundem hominem, qui mortem timeat, tamen se ita voluptatibus (aut certæ alicui voluptati) dedere, ut de mortis periculo non cogitet, non recte ita exprimi, ut dicatur media oblectatione mortem contemnere. Sed quod Sanctolonio ex codicis P et aliorum aliquot scriptura (boletatione, in uno bolecatione) in mentem venit, boleti, delicati et ancipitis cibi, a Seneca mentionem factam esse, vereor tamen, eo magis quod de Ab tacetur, ne casus nos ludat, nihilque Seneca scripserit nisi: At quomodo illam *in edendi* oblectatione contemnis? Certior res videtur esse in § 20 (17), ubi sic editur: Nulla vita est non brevis; nam si ad naturam rerum respexeris, etiam Nestoris et Statiliæ brevis est, quæ cet. Condicio (si . . . respexeris) necessario primæ sententiæ adiungenda est: perinepte autem hæc se excipiunt: brevis est; nam ... brevis est; postremo prorsus prave dicitur nulla vita est non

[1]) § 5 non dubito, quin recte Schweighæuserus iudicaverit nomen proprium hominis eius, quem Seneca tantis laudibus efferat et memoriæ tradat, positum fuisse. Sed Attalus nimis discedit ab amicus. Nomen potius latet in Stoicus.

brevis verbo alteri negationi præposito. Sine dubio Seneca scripserat: Nulla vita non *brevissima est*, si ad naturam rerum respexeris, etiam Nestoris et Statiliæ, quæ inscribi cet.

Ep. 78, 11 (10): Inde morosus est stomachus; inde, quibus fuit aviditas, odium est. Necessario in eadem re hoc accidere dici debet. Scripsit Seneca: inde, *cuius* fuit aviditas, odium est. [Editt. superiores inde a Mureto: quorum fuit av.] Deinde § 17 scribendum: necesse est *et* exsurgat et desinat. (Vulgo ut exs., Ab: et ut exs.; Haasius: n. est, ut exsurgit, et d., quod debebat esse: sic et d.). Tum § 18, ubi editur: Cogita, quid honeste, quid fortiter feceris; bonas partes tecum ipse tracta; memoriam in ea, quæ maxime miratus es, sparge, unius verbi mendum tollendum est; nullæ enim hic partes tractari iubentur, sed bonæ *artes*. (De § 27 dictum vol. I p. 70 n.).

Ep. 79, 4 pridem certa emendatione sanavit egregie sagax et prudens homo, Rubenius, Gronovio assentiente, qui scripsit: ... etiamsi nemo mandaret. Quid tibi do, ne Ætnam describas in tuo carmine, ne (sic Ab et ceteri tolerabiles pro et) hunc sollemnem ... locum attingas? (Cfr. nostra emendatio in quæst. nat. VII, 6, 2.). Sed paulo post (§ 5) tollendum sed, quod sententiæ repugnat, ortum ex præcedentis vocis ultima syllaba, ut scribatur: non præripuisse mihi videntur, quæ dici poterant, sed aperuisse. Multum interest cet. Infra § 12 (10) scribendum est: cum ... cælo redditus suo fuerit *et eum* (pro fuerit, cum) receperit locum, quem occupavit sorte nascendi. Necessarium est pronomen demonstrativum. Postremo § 16 (14) prorsus sequenda codicum (Ab et ceterorum) et edd. antiqq. scriptura: se et Epicurum non satis enituisse (hæc confessio est, quam Seneca dicit),

sed post se et Epicurum magnum paratumque nomen habituros (eos), qui voluissent per eadem ire vestigia. Viam iam apertam et munitam insecuturis dicit. (Et § 4 et hic certus sum falso P tradi consentire cum scriptura Fickerti, illic omisso quid, hic retento apud eos.)

Ep. 80, 1: Non crepuit subinde ostium, non allevabitur velum, licebit uno vadere, quod magis necessarium est per se eunti et suam sequenti viam. Primum scribendum non *crepabit.* Id, ut sæpissime, transiit in crepavit, quod fuga solœcismi factum crepuit est. [Paulo ante *irrumpet*, ut monet Geertzius.] Deinde neque uno vadere ferri potest, neque vadere ullum hic locum habet. Scribendum *unum agere* (non in multa distrahi). § 6, quod scribitur: Horum, qui felices vocantur, hilaritas ficta est aut gravis et suppurata tristitia, necessario, quoniam hæc non alternantur, scribendum: *at* gravis cet.

Ep. 81, 8 (6): Non omnes grati (P gratis) sciunt debere beneficium; potest etiam imprudens et rudis et unus e turba, utique dum prope est ab accepto, ignorat autem, quantum debeat. Qui imprudens et rudis hoc magis scit quam gratus? Scribendum: Non omnes grati *esse* sciunt (quod maius est et continet intelligentiam, quanti beneficium sit); debere beneficium potest etiam imprudens ..., ignorat autem, quantum debeat (et ideo gratus esse nescit). Tum paucis verbis post sic scribi debet: Stultus, etiamsi bonæ voluntatis est, aut minus, quam debet, aut tempore, quo non debet, aut loco reddit (vulgo: aut tempore aut, quo non debet, loco, quasi illud quo non debet non ad tempus quoque pertineat). Sequuntur § 14 (12) hæc in optimo codice (P): Quantum autem

existimas interesse, utrum aliquis, quod de rata sed quod præstabat, sumpserit an beneficium acceperit, ut daret. Optimus Erasmi præstaret, unus Opsopœi præstarat. Efficitur: utrum aliquis, quod *daret*, a se, quod præsto erat, sumpserit an cet. Præsto erat Lipsius invenerat, a se Haasius. Postremo § 21 (20) hæc eduntur: Inæstimabilem (rem) consecutus es, conscientiam grati, quæ nisi in animum divinum fortunatumque non pervenit. In contrarium autem huic affectum summa infelicitas urget. Quem urget? et quid est *urgere in contrarium affectum*? Tollenda præpositio est: Contrarium autem huic affectum (ingratum animum) summa infelicitas urget.

Ep. 82, 2: Deinde delicati idem timent mori, cui vitam suam fecere similem. Quis non videt, prave coniungi idem mori, et sententiam requirere notionem generalem (idem, cui)? Ac ne dubitemus, boni codices (P Ab, alii) habent morti, adscriptum declarandi causa ad cui (idem, cui). Vita præterea talium hominum non est similis actioni moriendi, sed morti, hoc est, mortuorum condicioni. In § 10 et priore parte § 11 (9 et 10), quem locum Haasius ex interpolatis codicibus et coniectura mire depravavit, satis est redire ad priores et Fickertum. Sed quod sequitur in P et Ab sic scriptum: laudatur non exsilium ut quam misisset, quæ sententiæ et orationis forma fuerit, perspicue demonstrat et superior sententia (laudatur non paupertas. sed ille, quem paupertas non submittit) et inferior (laudatur non dolor, sed ille, quem nihil coegit dolor). Nec hoc priores fefellit, sed tamen a causa erroris et ab ipsa veri forma aberrarunt. Scripserat enim Seneca ad hunc modum: laudatur non exilium, [*sed ille*, *qui sic in exilium*] *ivit tan-*

quam misisset. (Infeliciter Haasius in generalem sententiam certæ personæ nomen inclusit.)

Ep. 83, 26 (24) vitiatur, quod restituturus eram, occupavit Hauptius (II p. 14), idemque proxima etiam, quæ ego non expediveram, egregie emendavit, nisi quod relativa particula comparationis index abesse non potest. Itaque scribendum puto: *Ut* querulos difficilesque faciunt diutini morbi cet.

Ep. 84, 8, ubi agitur de imitatione alieni ingenii, postquam Seneca dixit, eum, qui aliquem imitetur, eius similitudinem potius ut filium quam ut imaginem reddere debere, et deinde Lucilium interrogantem finxit: Quid ergo? non intelligetur, cuius imiteris orationem, cuius argumentationem, cuius sententias? hæc subiiciuntur, ut quidem in P et Ab scribuntur: Puto aliquando ne intelligi quidem posse si magni viri nec enim omnibus, quæ ex quo velut exemplaria traxit (Ab: quæ ex æquo traxit velut exemplari), formam suam impressit et invitantem illa conpetat (Ab: et in veritate illa competat). Primum apparet et ab aliis intellectum est, pravum esse nec; exprimitur enim, quid fiat, non, quid non fiat. Deinde magni viri mentio omnino aliena est; agitur enim de eo, quod imitatione exprimitur. Scribendum est primum: *hæc* enim . . . impressit; hoc invento liquet, quid lateat in illo magni viri; fuit enim: Puto aliquando, ne intelligi quidem posse, si *imago vera* sit: *hæc* enim omnibus, quæ ex quo velut exemplari traxit, formam suam impressit. Postrema quattuor verba sic scribenda puto: et *unitate* illa *complexa st*; sed dubitationis aliquid restat, nisi quod unitatis nomen, quod omnes tenent, certum est.

Ep. 85, 6 sic scribitur in P: Si das aliquos affectus sapienti, impar illis erit ratio ..., præsertim cum illi non unum affectum, sed uni-

versum affectuum sed cum quo colluctetur; sed omnis plus potest quamvis mediocrium turba, quam posset unius magni violentia. Recte intellectum est subesse universum affectuum cœtum, quod nomen non difficulter post litteras ctuum excidere potuit; verbum male et solœce supplent, relinquis. Latet *des* in sed ante cum. Deinde autem sed omnis (quod debebat esse in continuando omnis autem, nisi prave hæc generaliter de omni cuiusquemodi rerum turba dicerentur, cum de una affectuum agatur) tollendum est, adscriptum, omisso cœtum, ad sententiam declarandam et explendam (non unum ... sed omnes). Et sustulerant iam editores post Muretum, qui ex inferiore sed omnia nata putabat. Sic igitur locus scribendus videtur: præsertim cum illi ... universum affectuum cœtum *des*, cum quo colluctetur. Plus potest quamvis mediocrium turba cet. (Inciderat in des Gruterus, sed alio loco posuit, non ex sed eruit, et cetera violenter tractavit. De tollendo § 10 impietatis nomine dixi vol. I p. 63.)

Ep. 86, 14 (13): Hoc nobis senibus discere necessarium est, quorum nemo non olivetum alteri ponit, quod vidi illum arborum trimum et quadrimum fastidiendi fructus aut de ponere. Sic codices (P, Ab, alii). Apparet post *m* excidisse non ante fastidiendi (olivetum ex arboribus constans iam trimis et quadrimis et iam fructum non fastidiendum ferentibus). [Erasmus: haud fastid.] Deinde quod editur autumno deponere, de autumno nihil dico, olivetum dico non *deponi*, sed *poni*. Ex aut de fit *auide*. Scribendum igitur: quod vidi illum arborum ... quadrimum *non* fastidiendi fructus *avide* ponere. Studium, quoniam ad fructum celeriter percipiendum spectabat, Seneca non sine lusu aviditatis nomine significavit.

Ep. 88, 7: Hoc me doce, quomodo patriam

amem, ... quomodo patrem, quomodo ad hæc tam honesta vel naufragus navigem. Naufragus non navigat, nec Ulixes, a quo proxime nominato imago ducitur, ad Phæacum insulam navigans pervenit. Scribendum sine dubio *enatem*. (De § 25 (21) huius epistolæ dixi vol. I p. 76.)

Ep. 89, 4 emendavi vol. I p. 28. Superesse putabam in verbis, quæ eodem loco præcedunt, duplicem præterea faciendam emendationem.[1]) Sed priorem (Primum itaque, si videtur tibi, dicam, inter sapientiam et philosophiam quid intersit, ubi editur: sicut videtur, tibi dicam, B habet si ut, altera syllaba orta ex uidetur) nunc video Haasium præf. p. XXVII præcepisse. Restat, ut pro eo, quod scribitur et prava sententia et solœce: Hæc (philosophia) ostendit, quo illa (sapientia) pervenit, scribatur discrimine recte significato: Hæc *eo tendit*, quo illa pervenit [2])

Ep. 90, 1 oratio sic interpungenda est: Quis dubitare, ..., potest, quin deorum immortalium munus sit, quod vivimus, philosophiæ, quod bene vivimus? Itaque tanto plus huic nos debere quam dis, quanto maius beneficium est bona vita quam vita, pro certo haberetur, nisi cet. Infra in hac epistola § 6 (5) hæc leguntur: Solon, qui Athenas æquo iure fundavit, inter septem

---

[1]) Utramque significavi eodem, quo tertiam, loco, ann. philol. Dan. vol. V p. 24 et 160. Utimur iam hinc duce codice Bambergensi (B) et inde ab ep. 90, 18 Argentoratensi priore (A.)

[2]) Quæ § 16 (15) de divisione naturalis partis philosophiæ dicuntur, adeo sunt confusa et perversa, ut sic a Seneca scribi potuisse, quamvis subtilioris decretorum formæ incurioso, non putem, sed quædam excidisse.

ævi sapientia notos. Neque verbum (perfecti temporis et per se positum) abesse potest neque ævi ferri aut in orationis formam includi (nam aliud est ævi sui). Scripserat Seneca: inter septem *fuit* sapientia notos. Ex FUIT factum est EUIT, deinde ævi. Tum § 17 (15), ubi Seneca facile et sine arte parari haberique dicit, quæ ad calorem frigusque vitandum necessaria sint, scribitur: Quid ergo? non vetustas multa abdidit loca, quæ . . . in specum recesserunt? Si abdidisset ea natura, nihil homines iuvarent. Scribendum est *dedit*. Error ex geminato *a* natus est. § 18 (17) primum scribendum est: Tecta tegumentaque . . . et cibi, quæ (vulgo et quæ) nunc ingens negotium facta sunt, obvia erant et gratuita, cet., deinde in proximo, ubi in codice optimo (B) scribitur: modus enim omnium prout necessitas erat, non addendum ex ceteris est postulabat (prout post. nec), sed detrahendum interpretamentum prout, ut relinquatur: modus enim omnium necessitas erat. (§ 26 [27] huius epistolæ bis emendavi vol. I p. 82 et 59.) Deinde § 28, ubi codices optimi (B et A) habent: quid in secundam numinum formam animæ perpetitæ, faciendum est: quid in secundam numinum formam animæ *receptæ*. Valde latet externa specie obvelatum, sententia manifestum est mendum in § 31 (32): Hæc inventa sunt, postquam sapientem invenire desivimus (B desimus). Quando igitur homines sapientem inveniebant? et quando desierunt? Non de sapientis inventione in superioribus dictum est, sed de aliarum rerum ab ipso inventione. Posidonius enim olim sapientes multa ad vitæ usum repperisse dixerat, postea se ab artibus abduxisse (§ 29 [30]). Itaque sententiæ aptissimum esset: postquam sapiens invenire desiit; sed quoniam hoc codicum vestigia excludunt, scribi videtur debere:

postquam sapientem invenire *desiisse scimus*.[1]) Postremo § 39 in B, a quo vix putem dissentire A, sic scribitur: Licet itaque nunc concurrere parare quod perdidit; licet agros agris adiiciat, vicinum vel pretio pellens (B pelleris) vel iniuria. Addunt velit (itaque velit nunc); sed parum aptum licet velit, ineptum concurrere, nec omnino nisi uni infinitivo locus est, nec, quod iam alii viderunt, de parando, sed de reparando, quod perierit, agitur. Scribendum: licet itaque nunc *curet reparare*. E præcedenti *c* natum con.

De epist. 91, 11 (10) dixi vol. I p. 33, ignarus tum, occupatam esse ab Hauptio (II p. 15) emendationem. Idem etiam proximum (12) præripuit casuræ sunt pro casura exstant; sed in eadem paragrapho aliquid nobis reliquit. Nam in bonis codicibus (B A) sic scribitur: Omnes (urbes) hic exitus manet, sive interna vis flatusque præclusa violenti pondus, sub quo tenentur, excusserint, sive cet, Hauptius autem ita scribi iussit: sive interna vis flatus præclusa violenti pondus, sub quo tenetur, excusserit, in qua scriptura (ut prætercam omissum non probabiliter que) intolerabiliter verba positu miscentur (vis flatus præclusa violenti), nec præclusa recte pro eo, quod est inclusa, ponitur. Duæ litteræ in codicum scriptura mutandæ sunt, manifesta erroris origine: sive interna vis flatusque præclusa *via tenti* pondus, sub quo tenentur (vis et flatus), excusserint. Aptissime flatus via et exitu præcluso tenti (intenti) dicuntur; facillime ex via tenti fieri poterat violenti.

---

[1]) § 33 revocandum est, quod Schweighæuserus ex utriusque optimi codicis scriptura (hoc utiles) effecit, in hoc utiles, contra codices restituendum, quod prudentes editores posuerant, videmus pro vidimus.

De ep. 92, 11 (10) dixi vol. I p. 68, de § 12 p. 03.[1]) Superest huius epistolæ locus difficillimus in § 28 26), in quo Haasius transpositione nihil aliud effecit, isi ut ea, quæ extra vitii contactum posita bene et necesario cohærerent, divelleret ac turbaret: Ratio ... in illis lis) consummata est, in nobis consummabilis; ed ad desperationem nos (de ea consummanda) itia nostra perducunt. Postquam Seneca proxime le virtute sola beatam vitam efficiente ita disputavit, ut ontra Epicureos et voluptatis ad virtutem adiunctionem liceret, redit ad id, quod § 5 et 6 posuerat, eos, qui ἰοχλησίαν ad virtutem adiungi postularent, ferri utcumque osse. Itaque ille alter, qui subito nunc obiicitur, hilosophus et vir honestus illius generis et sectæ est. De hoc igitur sic Seneca scripsit, nisi fallor, si non usquequaque, tamen universa forma et sententia: Nam lle alter *ferundus* (codd. et edd. secundus) est ut liquis parum constans ad custodienda op-ima, cuius iudicium labat etiamnunc et in-ertum est. Desiderat (sic edd. superiores inde ab Erasm. II; desideret vix ita ferri potest, ut permittatur

[1]) De § 1 (non refertur, sed ... refert) dicendum non est, etsi idem error (perferat pro referat) in ep. 95, 45 iteratus est a Fickerto et Haasio (non tamen refertur ... perfert), nec de loco sanissimo in § 4 ab Haasio lacunæ nota maculato. („Si sine his rebus vita beata non est, quod ad eam aliquid conferunt, in iis posita erit et ab iis pendebit“.) Ne § 23 (21) quidem restitutum a Mureto qui labi cœpit pro qui illa cœpit ullam habebit apud intelligentes dubitationem. Sed revolvor subito eo, quo mihi interdixeram ne devenirem, ad aliorum inventa et errores. Itaque finis huius egressionis sit, ut admirer in § 26 (25) scripturam hanc optimorum codicum: stans non potest (virtus) mitti (ex certamine, dimitti): aut vincatur oportet aut vincat tentari potuisse.

hoc quodammodo et feratur) oculorum atque aurium sensum, bonam valetudinem et non fœdum aspectum corporis et habitu manentem suo, ætatis præterea longius spatium. *Opera* (codd. spatium per hanc) potest non pœnitenda agitare. Ut imperfecto viro huic (B et alii agitavit imperfecto, de A tacetur) malitiæ vis quædam inest, quia animum habet mobilem ad prava; illa *altera ardens* malitia (B et alii illa ait arens malitïa; de A tacetur; vulgo e „codice Siculo" Mureti illum agit hærens mal.) et *exagitata* (codd. et ea agitata) abest. (In margine codicis B et inde in ceteris additur de bono, quod cum Fickertus recte excluderet, Haasius prorsus perverse etiam abest damnavit, ne ad opposita quidem inest ... abest attendens.) Postremo § 34 (31) e B (ex barba capillosque tonsa) scribendum est: sed ut ex barba *capilloque* detonsa negligimus, et in confinio § 34 et 35 (32): Utrum proiectum aves differant an consumatur canibus data præda marinis, quid ad illum, qui nullus *est?* Tunc quoque cet. (B, e quo reliqua loci forma restituta est: nullus sed tunc.)

Ep. 93, 7 (6): Ætas inter externa est; quamdiu sim, alienum est, quamdiu vero ut sim, meum est. Sic codices fide aliqua digni; Fickertus et Haasius ex interpolatissimis quibusdam: quamdiu vero vir sim. Manifestum est in altero membro, ubi agitur de re nihil a temporis spatio pendente, pravum esse quamdiu. Nec de eo nunc quæritur, quod viri nomine significatur. Scribendum est: Quamdiu sim, alienum est; *vere* ut sim, meum est (ut, quemadmodum statim subiicitur, agam vitam, non prætervehar). Contraria sunt quamdiu et vere.

De ep. 94, 2 dixi vol. I p. 39. De restituenda eodem loco Mureti et reliquorum ante Fickertum scriptura:

t (pro ad) illam non (aut *nulla*) habentem præ-epta (ubi negatio in codd. omittitur) nihil opus est licere. Sed mire relinquitur ab omnibus (præter scribam odicis Pal. 3) præcepit pro præcipit. Nihil hic loci abet perfecti usus de re fieri solita. Quod dixi emen-latt. Livv. p. 354 de commutatis sæpissime a scribis præ-enti et perfecto in verbis a capio, facio, iacio compo-itis, si Fickertus et Haasius tenuissent, complures errores vitavissent, velut in quæst. nat. IV, 2, 19 (ubi restituendum recipit) et alibi. De § 7 (6) huius epistolæ dixi vol. I p. 104. § 34 oratio sic interpungenda est: Nec illa possunt præcedere, ut non hæc sequantur, et hæc ordinem sequuntur suum, unde (h. e., ex qua parte) apparet illa præcedere. Nulla argumenti conclusio est. § 38 in Posidonii oratione quod in codi-cibus bonis (B A) legitur: Nihil videtur mihi frigi-dius, nihil ineptius quam lex cum prolegomene; Dic, quid me velis fecisse; non disco, sed pareo, quoniam necessario scribendum est cum prologo (nam prolegomene neque per se quicquam est neque ad cum accommodari potest), videndum est, ne fuerit: quam lex cum prologo. *Domine*, dic, quid cet., syllaba autem do hausta sit præcedente go. § 64 de Pompeio scribendum est: modo ad *colligandos* (non colli-gendos) piratas ac maria pacanda vadebat.

Ep. 95, 23: Innumerabiles esse morbos non miraberis: coquos numera. Effectus prave ponitur ante experimentum, e quo effectus promittitur. Ex iis, quæ ad ep. 42, 4 dixi, facile apparet lenissima mutatione scribendum esse: Innumerabiles esse morbos non *mirari vis?* (hoc est, mirari desinere vis?) coquos numera![1]) § 36 mira et inepta interiicitur interrogatio

[1]) § 29 non immerito offendit remediabiles adiectivum, quoniam *remediari, remediatio, remediator* non ante Tertullianum, Macro-

(Unde ista ... ingenia?), ad quam nihil respondetur. Scribendum est: ita quidam ... honesta complexi sunt, cum primum *audierunt*. Ista (codex optimus et alius a prima manu audire unde ista, ceteri audiere unde ista) tam rapacia virtutis ingenia vel (h. e. etiam) ex se fertilia (sunt); at illis aut hebetibus et obtusis . . . robigo animorum effricanda est. § 37 scribi oportet: Ceterum *et* (v. ut) illos in bonum pronos citius *educet* (v. educit) ad summa, et hos imbecilliores adiuvabit ..., qui illis philosophiæ placita tradiderit. § 56 recte Hauptius (II p. 16) si addidit (si se sciunt, nihil deest); sed prava sententia et disputationi contraria manet, nisi scripseris: omnes istæ artes, si se *nesciunt*, nihil deest. Iis non opus est scientia sui; „virtus et aliorum scientia est et sui“. (De § 5 dictum est Emendd. Livv. p. 548 n., de § 61 vol. I p. 70.)[1])

Ep. 98, 10: Tam necesse est perire quam perdere, et hoc ipsum, si intelligimus, solatium est æquo animo perdere quod perdendum est. Mirum solatium perdendi æquo animo perdere, id est, solatio non egere. Codices boni perdere pereundum

---

bium, Hieronymum reperiuntur; et facile est *emendabiles* substituere, quo ipse Seneca alibi usus est; *inemendabilis* legitur ep. 97, 10, de ira III, 41, 4 et apud Quintilianum. Sed *irremediabilem* factionem Mæcenas dixit, a Seneca ideo reprehensus ep. 114, 5, et Plinius maior. Cfr., quæ de ipso verbo dixi ad Cæs. bell. civ. I, 81.

[1]) Ep. 97, 10 (9) quod et sententia et oratio postulat, Erasmusque et Muretus, post alii ediderunt: non pronum iter est tantum ad vitia, sed præceps, inest aperte in optimorum codd. scriptura non prænuntius tantum. Barbare dicitur: pronum est mihi ad vitia, magis: pronum mihi ad vitia. De revocando § 15 (13) possit admonui in præfat. ad Livii a me editi vol. II, 2 p. 6.

est (omisso quod). Apparet iterum utrumque verbum coniungendum esse. Scribendum recta sententia: et hoc ipsum, si intelligimus, solatium est (quod non solum perdere, sed perire necesse est, ut, cum hoc evenerit, nulla re opus futurum sit). Æquo animo *perde*; pereundum est.

(De ep. 99, 26 (23) dixi vol. I p. 76.)

Ep. 100, 5 (de Fabiani Papirii scriptis): Videbimus (h. e., non nunc quærimus: vid. quæ dixi ad epist. 75, 5), quid parum recisum sit. quid parum structum, quid non huius recentis polituræ; cum circumspexeris omnia, nullas videbis angustias inanes. Miror hoc tulisse Muretum, Lipsium, Gronovium. Nullæ orationis sunt angustiæ, quæ vitatæ et neglectæ a Fabiano dici possint, nedum inanes. Seneca, si defuerit aliquid Fabiani orationi novitii ornatus, rursus nullas in ea repertum iri *argutias* inanes affirmat. § 8 (7) cum Fickerto retinendam puto codicum scripturam: sed totum corpus, videris, quam sit comptum: honestum est, ut videris in alloquendo eodem modo dictum putetur, quo de se Seneca videbimus dicit, et aliquid differendum aut omittendum significet, usu non longe ab illo distanti, quo tu videris antiquiores dicunt aut post videro; itaque hæc efficitur sententia: Sed totum corpus ne quæsiveris nunc quam sit comptum: honestum est; nam illud quam sit comptum, videris interiicitur sententiæ principali. Tum quod scribitur: non habet oratio eius, sed debet dignitatem, Haasius recte non tulit debet, e quo sensus effici nequit; sed ne *decere* quidem *dignitatem* (ipsius dicentis) mihi aptum videtur. Fuitne: sed *dabit* (bonos mores docendo)? [Et video idem Lipsio in mentem venisse (a Fickerto omissum) et ab Hauptio (I, 10) probatum esse.]

Ep. 101, 8 sententiæ sic separandæ sunt et sic scribendum: Nihil est miserius dubitatione venientium (*verentium* Grut.), quorsus evadant, quantum sit illud, quod

restat, aut quale. Collecta mens explicabili formidine agitatur (hoc est: „Mens, quæ se collegit ex ista dubitatione et instabili quæstione, si formidat, explicabili tamen formidine et quæ exitum habeat, agitatur). Vulgo plene post evadant interpungunt, illis quantum sit cet. ad sequentia tractis. Itaque contra codices (B, Guelf., Pinciani omnes) in editionibus scribitur inexplicabili; deinde ad hoc a recentioribus accommodatur non collecta, incollecta, contracta.

Ep. 102, 10: Ad summam dicite nobis, utrum laudantis an laudati bonum sit (laus et claritas). Si laudantis bonum esse dicitis, tam ridiculam rem facitis, quam si affirmetis meum esse, quod alius bene valeat. Sed laudare dignos honesta actio est; ita laudantis bonum est, cuius actio est, non nostrum. Sole clarius est, prioribus verbis alteram dilemmatis partem absolvi: Si *laudati* bonum esse dicitis (ad quem nihil pervenit ex eo, quod alter bene agit honesta laudans). Id mutatum est, quod in interrogatione alius ordo est (laudantis an laudati). (§ 21 nullos . . . nisi communes cum deo terminos, quod sententia postulat, iam codices quidam recentiores. Nulli sunt termini communes per se.) Sequuntur § 27 et 28 hæc: Quid ista (corpus et quæ ei adiuncta sunt) sic diligis quasi tua? Istis opertus es. Veniet, qui te revellat, dies (sic Haasius e B; ceteri revelet) et ex contubernio fœdi atque olidi ventris educat. (Pono iam deinceps scripturam codicum B et A.) Huic nunc quoque tu quantum potes subvoluptari quæ nisi quæ necessarisque (A necessariisque) cohærebit alienus iam hinc altius aliquid . . . meditare. In his subesse: voluptatique, nisi quæ necessariis quoque cohærebit, vidit L. Ianus, quem Fickertus et Haasius sequuntur. Sed cetera reliquerunt, qualia vulgo

(e cod. Pal. 2 similibusve) edebantur: Hinc . . . subvola, corrupta et a bonorum codicum vestigiis detorta, e quibus verum facile eruitur. Scribendum est: *Huc* (in hunc excelsum locum et hanc libertatem) nunc quoque tu, quantum potes, *subi*, voluptatique ... alienus iam hinc cet. Eius, qui etiamnunc corporis onere premitur et difficilem clivum ascendit, est subire, non subvolare. Una littera periit ex subi. Extrema epistola (30) hæc leguntur: Quidni non timeat, qui mori sperat, si is quoque, qui animum tamdiu iudicat manere, quamdiu retinetur corporis vinculo, solutum statim spargi, id agit, ut etiam post mortem utilis esse possit? Ei, qui corpore dissoluto animum statim spargi putat, non potest contrarius poni, tanquam minus mortis metui obnoxius, is, qui mori sperat. Utrique mors proposita est; agitur de statu post mortem. Nec *mori spero* Seneca dixisse videtur. Codex B (et edd. vett.): qui mori sperat se quoque qui, alii: m. sp. sed quoque quia, ut lacuna appareat. Ea saltem uno vocabulo plus hausit; nam ad hanc formam Seneca scripserat: Quidni non timeat, qui *morti* sperat se [*superfuturum*, *si is*] quoque, qui cet.

Ep. 103, 1 codices optimi (B A) hæc scripta habent: Paries sunt casus, etiamsi graves, naufragium facere, vehiculo everti; ab homine homini cotidianum periculum. Pincianus et plerique editores: Rari sunt (peius Haasius existunt) casus cet. Puto fuisse: Rari *est* casus, etiamsi *gravis*, naufragium facere, hoc est, quod raro accidat. Sed illud certius et maioris ad sententiam momenti, § 4, ubi sic in codicibus bonis (B A) scribitur: Non arietant inter se nisi in (B nisui) eodem ambulantes quia autem ipsam philosophiam non debebis iactare: multis fuit periculi causa insolenter tractata et contuma-

citer, scribendum esse manifesta emendatione: Non arietant inter se nisi in *eadem* ambulantes *via. Ac tamen* ipsam philosophiam non debebis iactare, cet. (Infeliciter Haasius praef. p. XXVII.)

Ep. 104, 11 postquam Seneca tam ineptum dixit esse propter amicos amissos flere, quam quod arboribus amœnis et domum ornantibus folia deciderent, sic pergit: Quicquid te delectat, æque vide ut videres dum vireret uter. Alium alio die casus excutiet. Sic codex optimus. Extrema corruptæ partis recte restituit Haasius: dum virent, utere, nisi quod viret scribendum erat. In superioribus perspicue subest: Æque *fide*, ut *fideres*; sed excidit vocabulum comparationem continens. Puto fuisse: ut *virenti folio* fideres. A vir ad fid (vid) transiliit oculus. Nisi fuit tantum *folio*. Mox § 12 (13) in codicum, etiam optimi, scriptura misces pro misceas nuper reposita subesse *misce* (si sapis, alterum alteri *misce*), pudet pæne monere. Sed quæ præcedunt, ut ante Fickertum signabantur, interrogative efferenda sunt cum exhortatione: Horum nihil cogitabis . . .? Tum § 14, ubi codices et editiones hæc præbent: Ceterum inconstantiam mentis, quæ maxime ægra est, lacessit, mobiliorem levioremque reddit ipsa iactatio, neque, si de sententia quæras, inconstantia mentis ægra est, sed morbus, neque aut asyndeton (ægra est, lacessit), in sententia præsertim relativa interposita, ferri potest aut lacessit obiecto carens. Facilis est et certa emendatio: quæ maxime *ægros* lacessit. In loco huius epistolæ de Socrate (§ 27), ut ad verborum emendationem perveniri possit, primum sententiæ recte separandæ sunt. Hæc enim primam partem explent et absolvunt: Si tamen exemplum desideratis, accipite Socraten, perpessicium senem, per omnia aspera iactatum, invictum tamen et paupertate, quam graviorem illi domestica

onera faciebant, et laboribus, quos militares quoque pertulit. Hic necessario insistitur, nec potest nova sententia relativa adiungi, nedum in hac partitione paupertatis domesticis oneribus aggravatæ et laborum militia auctorum rediri in altero membro ad domestica. Novum sumitur initium: Quibus ille domi exercitus est (hoc in codd. excidit), sive uxorem eius (latet sub eius verbum: sive uxorem *meminimus* aut *species* aut simile), moribus feram, lingua petulantem, sive liberos indociles et matri quam patri similiores? Huic de domesticis interrogationi et exclamationi respondent hæc de vita extra domum: *Foris vero* aut in bello fuit aut in tyrannide aut cet. Codices habent: similiores si vere aut. Excidit foris (for) post ores, relicto si (is).

Ep. 105, 3 sic scribitur in B: Spem improborum vitabis, si nihil habueris, quod cupiditatem alienam et improbam irritet, si nihil insigne possederis. Concupiscuntur enim etiam pars in notarium sunt sic raro invidiam effugies, si te non ingesseris oculis cet. Atque sic raro etiam in ceteris codicibus est; pro illis pars in notarium fere substituitur in codicibus interpolatis, quos editiones sequuntur, si parum nota; tum post concupiscuntur enim interponitur insignia, nulla sententia. Haasii conatum omitto. Constituto primum, novam sententiam incipere ab his: Invidiam effugies cet., quæ respondeat superioribus illis: Spem improborum vitabis, ex illis vestigiis efficitur facile et perspicue: Concupiscuntur enim etiam *parva*, si *notabilia* sunt, *si rara*. Invidiam cet.

Ep. 106, 1 et 2: Quid ergo fuit, quare non protinus rescriberem ei, de quo quærebas? Veniebat in contextum operis mei; scis enim cet. Non rescribitur quæsito, sed de quæsito. Scrib.

igitur: quare non protinus rescriberem? *Id*, de quo quærebas, veniebat i. c. o. m. Semel scripto *d* (ide), corrigendo natum est ei (eide). Extrema epistola (11) editur: Non faciunt bonos ista, sed doctos; apertior res est sapere, immo simplicior; paucis est ad mentem bonam uti litteris. Sed neque *est uti* Seneca dixit, ut esset *licet uti*, neque recta sententia efficitur, sive de paucis litteris interpretamur sive (dativo casu) de paucis hominibus. Codex B habet faucis, sub quo verum latet, quod hoc, ut opinor, fuit: *Vacui* est (eius, qui nihil negotii habet) ad mentem bonam uti litteris.

Ep. 107, 1 sic in codicibus scribitur partim omnibus partim optimo: Servi occupationes tuas occasionem fugæ putaverunt si amici deciperent habeant enim sane nomen quod illis noster e priori (sic B; ceteri et edd. noster Epicurus) imposuit et vocentur quo turpius non sint omnibus rebus tuis desunt illi qui et operam tuam conterebant et te aliis molestum esse credebant. Primum prava et inepta est condicionalis illa sententia si amici deciperent, etiamsi addas quid (quid, si am. deciperent), quoniam non maior calamitas vitata consolationis causa ponitur, sed hoc ipsum factum esse proxime significatur (desunt illi cet.), et omnino hic causæ angoris enumerantur, deinde ad eas considerandas transitur (Nihil horum insolitum cet.). Deinde Epicuri nomen, quod optimus codex removet, per se alienissimum est; neque enim is magis quam Zeno aut quivis alius ex antiquitate philosophus illis hominibus, qui Lucilium deceperant, amicorum nomen imposuerat; ne permiserat quidem, ut talibus imponeretur, amicitiæ fidelis severus iudex. Nec nostrum Epicurum Seneca appellaret. Extrema verba editores ipsi male separando obscurarunt et non intellecta corruperunt, nisi quod crede-

nt sane absurdum est. Totus locus, quem Haasius lici lacunæ et mendi nota insignivit, sic scribendus : Servi occupationes tuas occasionem fugæ ;averunt *sibi*; amici deceperunt (habeant im sane nomen, quod illis noster *error* im- suit, et vocentur, quo turpius non sint) (hoc quo turpius sit, non esse eos, quod vocentur); omni- s rebus tuis desunt illi, qui et operam tuam iterebant et te aliis molestum esse *cogebant* n a te postularent, ut aliorum operam et auxilium sibi ciliares). (Quod Ianus posuit: aliis molestum ldebant, eodem spectat; sed non recte esse tollitur.) *'piter* (*turpius*) *non sum amicus* pro eo, quod est:)e est me amicum non esse (quod genus attigi gr. Lat. 198 b not. 4 ed. Germ.), ad Ciceronis usum paulo ius diceretur, hac præsertim negativa forma (cfr., quæ otavi ad Cic. fin. IV, 63 p. 576); apud Senecam usi- dicitur, velut ep. 29, 7 (*honestius neglexissent*), de ira 14, 4, de vit. b. 17, 2, quemadmodum inde a Livio 13, 3, et 50, 5 *bene crediderint*, *h. e.*, *bene fecerint*, *quod liderint*, VII, 40, 13, XXIV, 32, 1, XXVIII, 19, 3, II, 40, 10 *superbius*), Vergilio (Æn. II, 642 o: *satis nos vidisse*), Hor. Sat. I, 10, 34 (*insanius*), Ovidio ist. V, 6, .13 *turpiter*); cfr. Quintil. I, 10, 8 (*tur- r*), Tac. Ann. III, 34 (*male*), Hist. V, 23, Plin. Ep. II, 6, 7 *'pius*). Paulo infra § 5 iam Muretus et Pincianus et nuper ısius senserunt perverse interponi illam quasi generis nitionem: Deinceps, quæ multa et varia ıt, in nos diriguntur, subiecta partitione: quæ- m in nos fixa sunt, quædam vibrant, cet. ibendum videtur: Quicquid dixeris, multis :idit; deinceps*que* multa et varia in nos 'iguntur. Quæ pro que scripto natum est sunt.

Ep. 108, 31 codices (B et alii): id ita in ponti-

ficalibus libris et aliqui qui putant et Fenestellam. Videtur significari: id ita in pont. lib. et alii *argui* putant et Fenestella. Paulo post § 33 quod post Ennii versus: cui nemo civis neque hostis Quivit pro factis reddere operæ pretium in B et aliis scribitur: ex eo se ait intelligere, apud antiquos non tantum auxilium significasse, sed operam, manifestum est, deesse subiectum verbi significasse, deinde necessario de operæ nominis, quod in versu Ennii est, significatione agi. Quoniam autem ex orationis forma (non tantum auxilium, sed operam) apparet, non duas *operæ* significationes poni, relinquitur, ut *opera* idem dicatur significasse, quod aliud quoddam vocabulum apud non tantum omissum. Itaque opem hic nominatam fuisse manifestum est fuisseque, quod in Grammatico Latino minime mirum est, qui operæ pretium interpretaretur opis latæ pretium; cogimurque ita fere scribere: non tantum *opem* auxilium significasse, sed operam. Extrema epistola, § 38 (36), ubi est: Dixit illa Platon, dixit Zenon, dixit Chrysippus..et ingens agmen non tot ac talium, quæro, quid sit ingens agmen tot sive non tot, quot quattuor sint. Scribendum sine dubio: et ingens agmen non *totum* talium (sed etiam minoris præstantiæ et auctoritatis hominum). Cod. Guelf. totum ac talium.

Ep. 109, 4: Malus malo nocet; facit quoque peiorem, iram, metus incitando cet. Prave ponitur quoque et loco et quod nihil novi additur; itaque inde a Mureto ante Schweighæuserum omittebatur. Correctio mendi pervagati manifesta est: nocet facit*que* peiorem. In eadem epistola § 8 (7) scribitur in codicibus: Numquid armatus miles, quantum in aciem exituro satis est, uti amplius arma desiderat? Quod manifesto vitiosum est, uti, tollunt, nimis simpli-

citer. Scriptum erat: Numquid ... *ulla* amplius arma desiderat? Hausto altero *a* (ullamplius) ex ull factum uti. Sequitur § 9 (8), ut quidem in B et aliis scribitur: Et qui in summa motus est calore adiecto ut suum teneat. Hæc opponuntur superioribus his (8): In summum perducto calorem calefieri supervacuum est. Scribendum igitur est: *Ei*, qui in summo [*est calore*], *opus* est calore adiecto ut *summum* teneat. Proxime ad verum (ad veram sententiam prorsus) pervenerat Schweighæuserus (Et qui in summo est calore, illi opus e. c. a., ut summum teneat). Infra § 16 (14) codicum hæc est scriptura: Aiunt homines plus in alieno negotio videre initio hoc illis evenit, quos amor sui excæcat, cet. In his non subesse, quod vulgo editur: videre quam in suo; hoc illis, apparet; quid litteræ initio significarent, viderunt librarius recentissimi codicis Vaticani et Erasmus: *Vitio* hoc illis evenit, quos cet. Facillime auditur quam in suo. Postremo extrema epistola § 18 (16) nunc editur: Quid me poscis (B et fere ceteri posces) scientiam inutilem? Magna promisisti, exigua video. Quoniam nullam omnino Seneca a Lucilio scientiam poscit, sed Lucilius non præstari a Seneca promissa queritur, editores ante Fickertum doces scripserant, fortasse vere; sed potest etiam scriptum fuisse: Quid me *pascis scientia inutili*? (Et sic video scribi voluisse Pontanum, cuius notas paucissimi viderunt.)

Ep. 110, 5 in his: Nemo ausus est ad id, quo perturbabatur, accedere et naturam ac bonum timoris sui nosse, satis certum est mendosum esse bonum (nam neque bonum neque malum habet timor, et agitur de eo, quod contrarium est incertæ speciei et opinioni); nec dubium videtur, quin restituendum sit ac *modum* (veram mensuram). Deinde 14 editur: hinc puerorum perspicuos cultu atque forma greges,

hinc feminarum. Qui factum dicam, ut nemo viderit, saltem nemo dixerit, scribendum esse *conspicuos*? Quis unquam *perspicuum* pro altero sic positum legit?

Ep. 113, 23 (18) emendavi vol. I p. 77. Restat in § 30 (24) mendum, ubi in codicibus scribitur: qui...felicissimos...se iudicant, si multas (B simulatas) pro milite provincias obtinent; editur: per milites; debebat: *proprio* milite. Extrema epistola § 31 (25) litteras Schweighæuserus recte restituit, sed male verba interpunxit et enarravit, quæ sic scribenda sunt: Non est, quod spectes, quod sit iustæ rei præmium; maius *in iusto* est. (In ipso iusto, iustitia actionis, maius est præmium. Maius esse iniustæ rei præmium dicere quam iustæ Senecæ in mentem venire non potuit.)

Ep. 114, 2: Quemadmodum autem uniuscuiusque actio dicenti similis est, sic genus dicendi aliquando imitatur publicos mores, cet. Ridiculum est uniuscuiusque actionem similem esse dicenti, hoc est, ipsi unicuique (sed tanquam a se diverso). Codices habent dicendi, quod frustra Fickertus enarrare conatus est. Littera geminanda est: actio *dicendis* similis est (materiæ et causæ generi). § 11 scrib. et *ex* hoc gratiam sperent.

Ep. 116, 8 (7) nullo prave interpungendi artificio vitari potest, quin scribendum sit: Scis, quare non *possimus* ista? Quia nos posse non credimus. Vulgo possumus, ipso Fickerto mirante.

Ep. 117, 26: Quid, si scires etiam illud quæri, an bonum sit futura sapientia? Quid enim dubii est, oro te, an nec messem futuram iam sentiant horrea nec futuram adolescentiam pueritia viribus aut ullo robore intelligat? Apertissime negatur ullam esse dubitationem, quin neu-

rum fiat. Itaque non video, qui possit non scribi: Quid enim dubii est, oro te, *quin* nec messem cet.

Ep. 118, 9 (nam de § 7 dixi vol. I p. 22) prave definitioni, quæ his verbis: Bonum est, quod ad se impetum animi secundum naturam movet absolvitur et a superiore hoc uno adiecto secundum naturam differt, copulative (et ita) adiunguntur, quæ ex ea efficiuntur. Sublato et, quod ex ultimis litteris verbi movet ortum est, scribendum: Ita demum petendum est, cum cœpit esse expetendum, nisi fuit: Ita (hoc adiecto) *tum* demum p. est cet. (De § 12, ubi Schweigh. et Fick. verum tenent, admonui ad Cic. fin. III, 3 p. 344. § 16 quoque mire erravit Haasius in re et verbis apertis.)

Ep. 119, 10 (11): Sed ut scias, quam difficile sit res suas ad naturalem modum coartare, hic ipse, quem circa naturam dicimus, quem tu vocas pauperem, habet aliquid et supervacui. Neque quid sit *circa naturam aliquem dicere*, neque, si contra sermonis legem *esse* audimus, quid sit *esse circa naturam*, quisquam expediet. Sed naturam a B (et duobus aliis) prorsus abest scribiturque quem circa dicimus, hoc est perspicue, duabus litteris transpositis: quem *circumcidimus* (et multis amputatis circumscripsimus). Idem verbum librariorum ignorantia obscuratum Ciceroni reddidi, Tuscul. I, 78; in libro V de fin. 39 in optimis, qui nunc supersunt, codicibus (B Erl.) pro eo substituitur circumdat, sed in deterioribus (e Pal. I stirpe aut facili coniectura) verum servatum est. (§ 7 quæ post mentior sequuntur, non correctionem et maioris rei adiectionem habent, sed eius, quod dictum est, confirmationem. Itaque, si nihil est mendi, interrogative proferendum est mentior? Simplicius esset, quomodo Seneca scripsit 106, 5 et 118, 6: mentior, *nisi* quærit cet.)

Ep. 121, 4 (5): Non desistam . . . votis obstrepere. Quidni? cum maxima malorum optaverimus et ex gratulatione natum sit, quicquid adloquimur. Sic codices (aut alloquimur) et Haasius, sine sensu; perspicuum est enim, stultitiam votorum humanorum ex eo ostendi, quod, quæ nunc lugeamus et quibus liberari cupiamus, ex voto nobis acciderint et cum gratulatione accepta sint. Sed quod Fickertus substituit quicquid obloquimur, etiam pravius est; nihil enim aliud est nisi: quicquid contra (quos aut quod?) dicimus. Suspicor fuisse: quicquid *amolimur.* Nam lacrimamus nimis longe abit. Sequitur § 6 (7): Nemo ægre molitur artus suos; nemo in usu sui hæsit. Ad hoc edita protinus faciunt; cum hac scientia prodeunt, instituta nascuntur. Offendit me perfectum unum (hæsit) inter cetera præsentia; offendit sententia; neque enim ad hoc edita recte dicuntur, sed hoc (ut moliantur artus) faciunt. Scribendum: nemo in usu sui *hæsitat*; hoc edita protinus faciunt. Aliquanto infra § 24 in B p aliisque sic scribitur[1]): Primum hoc instrumentum illis (sic p; B et plerique illa) natura contulit ad permanendum in conciliationem et caritatem sui. Non poterant salva esse, nisi vellent. Nec non hoc per se (per se om. p.) profuturum erat, sed sine hoc nulla res profuisset. Sed in nulla deprendes vilitatem sui, ne negligentiam quidem. Ridicule editur a plerisque in conciliatione et caritate sui. Quodnam enim hoc Seneca dicit instrumentum? Et quo instrumento opus est ad permanendum in conciliatione et

---

[1]) In codice enim p medio inserta sunt quædam folia, quibus continentur ep. 121, 11 ad 122 extr. simili, atque reliquæ, manu scriptæ.

caritate sui, quæ omnibus (etiam Stoicorum et Senecæ sententia) tam insita est, ut evelli nequeat? Haasius permanendum deleri iubens et in conciliationem retinens perversitatem auxit. Nimirum ipsa conciliatio sui, quod tota epistola explicatur, animalibus est instrumentum ad permanendum.[1]) Declaravi rem ad Cic. fin. III, 16 p. 362, dixique breviter, scribendum esse sublata præpositione, quæ ex littera *m* orta est: Primum hoc instrumentum illis natura contulit ad permanendum, conciliationem et caritatem sui. Non poterant salva esse, nisi vellent (quæ voluntas est ipsa conciliatio sui). Nec hoc per se profuturum erat, sed sine hoc nulla res profuisset. In nullo deprendes cet. Nam sed prorsus sententiæ (quæ continuatur et confirmatur) repugnat ortumque est ex ultima syllaba verbi profuisset.

Ep. 122, 16 (17) quod ante omnia faciendum erat, ut pro inepto verbo credo nec minus inepto adverbio crebro substitueretur subiectum verbi inquit et auctoris dicti, quod ponitur, nomen, Pincianus fecerat, qui Pedo scripsit; nisi in scriptura codicis B credendo aliud latet nomen, velut Veiento. Ipsum dictum hoc fortasse fuit: Vos, inquit, illum *ἐλλυχνιόβιον dicite.* (§ 18 revocandum esse, quod ante Fickertum edebatur: Quomodo cultu se ... distinguunt, quomodo elegantia cænarum ..., sic volunt separare etiam temporum dispositione, pro quo nunc dispositiones editur, vix opus est dici; si se audiri non posset ex superiore membro, scribendum esset separari.)

---

[1]) Omisso hoc barbare dicas, primum instrumentum tributum esse in caritate sui (das erste Mittel ist ihnen in der Selbstliebe gegeben). Cavendumne est, ne quis hac barbarie ad defensionem abutatur, oblitus pronominis?

Ep. 123, 3 (2): Necessarium est parvo adsuescere. Multæ difficultates locorum, multæ temporum etiam locupletibus et instructis adnobus optantem prohibent et occurrent. Sic codices et boni (B et A) et mediocres malique, nisi quod ex his quidam adiebus. Vulnus intra hæc concluditur: locupletibus et instructis . . . occurrent. Nec instructus hoc loco absolute dici potest. Subest: et instructis *adversus optata prohibentes*, hoc est, adversus eos, qui optata prohibent (prohibere audent et conantur). Ordinem verborum, quo inter præpositionem et accusativum interponitur alius accusativus ab illo pendens, breviter attigi gr. Lat. § 469 n. 2 posito Liviano exemplo (I, 59, 4: adversus hostilia ausos); ad Cic. fin. III, 33 p. 401 addidi Ciceronianum (Philipp. II, 114: in regnum appetentem); addam ipsius Senecæ huic geminum, epist. 95, 29: inter minora peccantes. De ablativo interposito inter præpositionem et ablativum inde pendentem dixi iisdem gr. Latinæ et ad Cic. locis. Præpositionis alius cum suo casu interpositæ exemplum habet Livius, ab oratione paulo molestiore artificio structa non alienus, XXXVI, 23, 6 (adversus quattuor e partibus simul oppugnantem hostem) et alterum multo durius XXXI, 40, 9. Græcis et nobis, qui articulum habemus, hæc facilia et assueta. Sed in eadem ep. 123 plura emendanda supersunt, primum in § 10, ubi in oratione eorum, qui vitam voluptariam laudant, hæc leguntur in codicibus: Fluunt dies et irreparabilis vita decurrit: dubitamus quod iuvat sapere et ætati non semper voluptates recepturæ (sic B A; ceteri decepturæ aut decerpturæ aut decerpere) interim, dum potest, dum poscit, ingerere frugalitatem eo mortem præcurre (sic B; ceteri præcurrere, plerique eo ut mortem præcurrere) et quicquid illa ablatura est, iam sibi interere (B A; ceteri plerique interire). Non

ıicam habes cet. Recte superiores coniunxerant: bitamus ... sapere et ... ingerere? Ridicule e a Schweighæusero primum dubitamus solum sine ısu ponitur, tum: quid iuvat sapere et ... ingere? cum manifesto sententiæ interitu; sic enim volupii interrogando dehortantur, ne voluptatibus indulgea-. Initio hæsitavi nonnihil, utrum scribendum esset: ıbitamus, quod iuvat (et oblectat), *rapere* (ut est codice aliquo recentissimo), an: d., quod *iuvet*, pere (ita sapere, ut ea sapientia nos iuvet) et ... gerere? sed præstat prius, quod hoc posterius non bet aptum obiectum verbi ingerere ætati n. s. v. repturæ, contra rectum est: quod iuvat, ingerere . n. s. v. rec. Reliqua, non dubito, quin ad hanc formam nice iubendi et irridendi redigenda sint: *Frugalite ergo* mortem præcurre et, quicquid illa latura est, iam *tibi interverte.* Hoc enim prois et depravationi magis obvium quam interdice. rugalitate m. præcurrere iam Erasmus et editiones te Schweighæuserum.) Tum § 12 in codice B sic scriur: Idem possunt (hæ voces, quod Sirenum); ab-.cunt a patria, a parentibus, ab amicis, a virtibus et inter spem vitam miseram si turpis ludunt, proximeque in aliis (ut in Erlangensi: inter em vitam misera nisi turpis inludunt). Scrindum videtur: et inter spem *et* vitam *miseras et rpis illudunt.* Etsi fuit, quum illidant cum dativo besse putarem. Extrema denique epistola § 16, ubi nunc itur: Superstitio error infantis est (quod debebat ıe puerilis), olim edebatur insanus est, in codicibus timis scribitur: error insanandus est. Latet, opinor: *saniæ vicinus* est.

Ep. 124, 4 codices (B et alii): Sed videlicet tio isti rei præposita est illi quemadmodum beat de vita (B a pr. manu debeat debita; editio

Menteliana, quæ sæpe ex optimis codicibus aliquid servat: debeat vita), quemadmodum de virtute, de honesto, sic et de bono maloque constitui; editur: præposita est, quemadmodum debeat de vita, quemadmodum cet.. Iure Haasius hæsit in his: ratio isti rei præposita est, quemadmodum debeat... constitui et in perversa abundantia vocum sic et. Mendum arguit etiam illi in codicibus (non solum B), e quo recte Haasius illa et simul constituit. Sed quod huius correctionis causa debeat tolli voluit, in eo ipsum verum latet. Neque enim vita universa recte ceteris, quæ enumerantur, contraria ponitur. Scribendum: Illa, quemadmodum de *beata* vita, quemadmodum de virtute, de honesto, sic et de bono maloque constituit. Notabile hoc est exemplum vocum conflatarum et alterius truncatæ (debeat). Sequuntur paulo post (§ 5), ubi docetur, sensibus bonum malumque iudicari non posse, hæc: Quid, si quis vellet non oculis, sed tactu minuta discernere? Subtilior adhuc acies nulla quam oculorum et intentior daret bonum malumque dinoscere. Iure Haasius daret ut mendosum notavit; sed notandum erat non minus nulla. Scribi debet: Subtilior adhuc acies *multo* quam oculorum et intentior (si quæ esset) *reformidaret* bonum malumque dinoscere. Saltem hæc sententia est. Deinde § 10 quod editur: Ergo nec in tenero, modo (*ac modo*?) coalescente corpusculo (bonum) est. Quidni non sit? non magis quam in semine. Hoc si dicas: Aliquod arboris ac sati bonum novimus; hoc non est in prima fronde cet. Corrupta esse illa: Hoc si dicas, plures senserunt; sed quod substituunt: Ut si dicas vel: hoc esse dicas, nihil proficitur. Non fingitur exemplum, sed, quod significatum breviter erat, explicatur demonstraturque. Adeo hic locus similis est duobus aliis, epist. 109, 6 (hoc scias:

detrahe illi vim propriam, et ille nihil agit) et 117, 8 (hoc ut scias, neutrum esse sine altero potest; qui sapit, sapiens est, qui sapiens est, sapit, cet.), ut omnibus tribus eodem modo scriptum fuisse putem: hoc ut scias, hoc autem loco sic: non magis quam in semine. Hoc *ut scias*, aliquod arboris ac sati bonum novimus; hoc non est in prima fronde cet. § 17 editur: Animalibus tantum, quod brevissimum est (tempus), in transcursu datum, præsens. Nihil in transcursu datum est, sed: Animalibus tantum, quod brevissimum est *et* in transcursu, datum, præsens. § 21 mire Haasius lapsus est, pravissima coniectura pervertens, quæ recte sic leguntur: Quo nunc pertineat ista disputatio, quæris, et quid animo tuo profutura sit. Dico: et exercet illum et acuit et utique aliquid acturum (ita ut, nisi honesta detur materia, prava conaturus sit) occupatione honesta tenet. (Hæc prima est utilitas.) Sed lapsus est Haasius, quod proxima sic scripta habebat: Prodest autem etiam, quod moratur ad prava properantem. (Hoc sæpius Seneca confirmat.) Sed illud dico: Nullo modo cet. Itaque propter sed hic demum veram utilitatem explicari putavit, superiorem negando removeri. Codex B et duo alii: quo moratur ad prava properante sed illum dico: N. m. Scripserat igitur Seneca: quod moratur ad prava *properantes. Et* illud dico: N. m. Additur hoc, non contrarium ponitur. (Ut extrema in Seneca primis et mediis similia essent, § 22, cum recte inde a Pinciano et Mureto scriberetur: vel effuderis (capillum) more Parthorum vel Germanorum (more) nodo vinxeris, Fickertus et Haasius revocarunt e codicibus modo vinxeris, ridicule variato nomine, omisso vocabulo ad rem necessario.)

Cap. V.

Columella. Plinius maior. Curtius. Quintilianus.

Absoluto scriptore, qui et olim multum sibi temporis et operæ vindicavit et nunc multas paginas explevit, commorabor paulisper in quattuor, qui, aut quod magis obiter eos attigi aut saltem minus novi effeci, brevius hic spatium occupabunt.

E Columellæ opere, cuius argumentum philologorum studia non facile allicit, tres tantum primos libros continuos legi ad formam sermonis animo comprehendendam (tertium festinanter), cetera pervolutavi, attendens, si quid ad vitam Romanam institutaque notabile occurreret. In duobus primis libris pauca quædam correxi, quæ ponam speciminis loco, si quem forte incitare possint ad totum opus, adhibita nova codicis Sangermanensis collatione, grammatica diligentia perlustrandum.

Lib. I procem. 24: Contemplatio vero cunctarum in ea disciplina partium quanto cuique contigit, ut et segetum arationumque perciperet usum et varias dissimillimasque terrarum species pernosceret? Scrib. *quoto* cuique, ut significetur, paucissimis contigisse.[1])

---

[1]) Cap. I, 6 agitur de discrepantia disciplinæ (et causis huius discrepantiæ), non de nescio quorum propter disciplinam discrepantia. Itaque certum est pravum esse, quod Schneiderus edidit: Quæcunque autem propter disciplinam ruris nostrorum temporum cum priscis discrepant, non deterrere debent a lectione discentem. Si confirmare possem, Columellæ quæcunque autem propter pro eo, quod est propter quæcunque autem, ponere licuisse, scriberem: Quæcunque autem propter *disciplina* ruris... *discrepat*, non deterrere debent cet. Certe ea est sententia. (*Quæcunque sunt autem, propter quæ disciplina?*)

Ibd. cap. 2, 5: Nec absint greges armen-rum ceterorumque quadrupedum culta et .meta pascentium. Culta depasci minime Columella lt, sed quæ coli nequeant, ut ea quoque utilitatem præ-ant. Scripserat: *inculta* et dumeta. Excidit in st *m*.

Ibd. 3, 10: illa septena iugera ... maiores ıæstus antiquis rettulere, quam nunc nobis æbent amplissima vetereta. Tanta quidem ırius Dentatus ... prospero ductu parta vic-ria, ... deferente populo præmii nomine ıinquaginta soli iugera, supra consularem iumphalemque fortunam putavit esse (hoc præ-um; pessime Schneiderus: putavit satis esse, Goesii ctoritatem incertam secutus). Codex Sangerm. Tantam idem. Scribendum: ... vetereta. *M'*. quidem ırius Dentatus cet. Ex ta præcedentis vocis ultima llaba et prænomine ortum est tantam.

Ibd. 4, 4: Hæc autem consequemur, si ... ti ... crediderimus dicenti ..., nec contenti men auctoritate vel priorum vel præsentium lonorum nostra prætermiserimus exempla vaque tentaverimus experimenta. Pro præter-iserimus Sang. promiserimus, ex quo fit: nec ntenti tamen (hoc est: et tamen, non contenti) auc-ritate ..., nostra *prompserimus* exempla vaque tentav. exp.

(De I, 4, 8 et II, 10, 27 dixi vol. I p. 90 n.)

Ibd. 5, 6: tum etiam nantium serpentium-ıe pestes, hiberna destituta uligine, cœno et rmentata colluvie vere natas emittit, ex qui-ıs sæpe contrahuntur cæci morbi. Hæc et ver-rum ordo et sententia male habere ostendit et veteres itiones, a quibus codex Sangermanensis in una tantum ce (nantium pro natricium) dissentire videtur. Ex

earum scriptura leniter adiuta hæc efficitur melior forma: tum etiam nantium serpentiumque pestis (sic edd. vett.), hiberna destituta uligine [cœno] et fermentata, *colluvies* venenatas (sic edd. vett.) emittit, ex quibus cet. Nantium serpentiumque reliquiæ uligine destitutæ, æstate fermentatæ, colluvies venenatas efficere dicuntur. *Colluvies* plurali numero Columella dixit, ut *eluvies* Curtius. Cœno ad uligine adscriptum videtur. Eodem capite § 8 afferunt pro afferant scribendum esse tam est apertum, ut vix annotari debeat.

Ibd. 6, 15: Possunt etiam defossa frumenta servari. Edd. vett. et cod. Sangerm. possit et servare. Significant: *Possis* etiam d. fr. servare. In eodem secundæ coniunctivi personæ usu erratur II, 10, 3, pro reponas, quod cod. Sang. et edd. vett. habent, substituto reponis. [Possis Schneiderus in not.]

Ibd. 8, 4: Potest etiam illitteratus, dummodo tenacissimæ sit memoriæ, rem satis commode administrare. Miror superlativum. Sed sit cod. Sang. et vett. edd. omittunt. Scribendum igitur: Dummodo *tenacis sit* memoriæ. Geminatæ (*me*) et conflatæ litteræ sunt, una omissa.

Lib. II, 1, 5: Asseverat Tremellius intacta et silvestria loca, cum primum cœperint cultum exuberare, mox deinde non ita respondere labori colonorum. Scribi oportet: . . . cum primum *ceperint* cultum, exuberare, mox deinde cet.

Ibd. 2, 13: filicis (pernicies est) frequens exstirpatio, quæ vel aratro fieri potest, quoniam intra biennium sæpius convulsæ moritur. Rectius litteræ dividendæ: *convulsa emoritur.* Infra § 19, postquam de terra pingui, exili, mediocri distinguenda experimento dictum est, hæc in editionibus subiiciuntur:

Quamquam ista, quæ nunc rettuli, non tam vera possunt videri, quam si sit pullula terra, quæ melius proventu frugum approbatur, in quibus illa quam si sit pullula omnino sensu carent. Sed in Sang. est tantum quam pulila (omisso si sit), unde facile efficitur verum: Quamquam ista ... non tam vera possunt videri quam *subtilia (supt.)*, terra*que* melius proventu frugum approbatur. Eodem capite § 26 hæc leguntur: Nunquam stimulo lacessat iuvencum, quod retrectantem calcitrosumque eum reddit. Non aptum participium. Codex Sang. iuvencum quæ rescæ tratum, edd. vett. iuvencumque reste tractum. Subest: N. st. l. iuvencum, *quæ res præfractum* calcitrosumque eum reddit. De voce vid. lex.

Ibd. 4, 10, ubi Schneiderus Goesium secutus transpositione intolerabilem hunc verborum ordinem effecit: Sed tali agro in arando, addenda erat potius præpositio, quæ præcedente littera *m* intercepta est: Ac totidem operis, quot uliginosi campi, excolitur iugerum *in* tali agro. Sed in arando cet.

Ibd. 9, 18 editur: Ea cum spicas ediderunt, ... manu carpuntur et, ... cum adsiccata fuerint, reconduntur, mendum illud, quod sæpe sustuli, redarguente eadem, quam aliquoties notavi, inconstantia; (cfr. ad Senec. quæstt. nat. IV, 2, 22). Codices (Sang. et Politiani) recte *adsiccuerunt*, quo verbo etiam alibi Columella usus est. Cap. 20, 2 (si vero procellæ...incesserint) verum e codice Politiani annotatur pravo loco, et scribitur tribus versibus post: cum ... colorem traxerunt. III, 3, 4 item siletur in his: sed et si forte adoleverint, negligenter colunt, sed VII, 4, 4, ubi editur: cum bimatum expleverint, enecantur,

vett. edd. recte expleverunt. Alia non pauca reperiet, qui ceteros libros pervestigabit.

Ibd. 12, 4: Lentis sesquimodius totidem operis, occatur una, sarritur duabus, runcatur una, vellitur una. Sic codd. Sang. et Politiani; editiones vett. habent operas; addunt recentiores desiderat post operas; necessario præterea addi debebat bubulcorum, ut hæ operæ certi generis a ceteris separarentur. Sed potius ad eam formam, qua et supra et infra sæpius Columella utitur, scribendum est: totidem operis *obruitur*, occatur una cet., ut alterum verbum alteri nocuisse putetur.

Ibd. 16, 3: ... si macies terræ postulat; nam et in densa et resoluta humo quamvis exili pratum fieri potest, cum facultas irrigandi datur. Longe hinc remota densa humus, nec *in* resoluta humo fit pratum. Cod. Sang.: Nam et inde et resoluta. Scribi debet: Nam et inde (e macra terra), resoluta humo quamvis exili, pratum fieri potest, cet.

Lib. III, 1, 4: Neque est unum stirpis eius genus, quodque præcipuum est ex omnibus, non facile dictu est. Scrib. præcipuum *sit*.

Ibd. 6, 2: si etiam nepotum fructu gravida est (vitis). Cod. Sang. si etiam nunc totum fructuum gravida est. Opinor: si etiam *novellorum* fructuum gravida est.

Ibd. 9, 9 et 10, 1: Nunc illud proprie specialiter (scr. proprie *et* spec.), ut non solum ex fecundissima vite, sed etiam e vitis parte feracissima semina eligantur. Feracissima autem semina sunt, non, ut veteres auctores tradiderunt, extrema pars eius, quod caput vitis appellant cet. Cod. Sang. pars est, non pars eius. Additamento sublato scribendum est: Feracis-

ima autem non, ut v. a. tradiderunt, extrema ars est, quod cet.[1])

Addam in ipso ultimi libri (XII) exitu, cap. 59 extr., iorum locorum correctionem. Nam primum sic scribiır: Clausulam (præcedit vox *m* littera terminata) eracti operis mei, P. Silvine, non alienum puto ıdicem lecturis, si modo fuerint, qui dignenır ista cognoscere, nihil dubitasse me cet. Scripırat Columella: *In clausula* peracti operis mei .. non alienum puto, *si* indicem lecturis cet. einde sine sensu editur: Nec tamen canis natura edit cunctarum rerum prudentiam; nam etiam, uicunque sunt habiti mortalium sapientissimi, ıulta scisse dicuntur, non omnia. Edd. vett et ang. om. dedit (edd. vett. naturam). Rectum est: ec tamen *capit* natura cunctarum rerum pruentiam (*χωρεῖ*, capax eius est). [Iam Schneiderus.]

Plinii maioris legeram initio præter præfationem brum secundum, tertium, quartum, septimum, tricesimum ırtium et quartum, ex ceteris locos cum historiæ instituırumque et morum cognitione coniunctos, a reliquis parbus rerum genere a mea cognitione intelligentiaque remoırum deterritus; sed legeram celeriter et carens tum ırtis subsidiis ad quicquam in corruptis aut dubiis, quæ lurima occurrebant, tentandum; nam ne Silligii quidem ıaior editio tum prodierat. Deinde a. 1856, excitatus

---

[1]) III, 10, 4 legitur in edd. prave (vid. exc. III ad Cic. fin. p. 808 sqq.) nec importuna quidem parte deficit, e Goes. et Sang. annotatur ne imp. quidem. XII præf. 8 editur: Itaque nec villici quidem, sed e cod. Sang. profertur ne vill. qu. (et ex ed. Brusch.). Sunt alii in interiecto spatio eiusdem generis errores, acutula defensione digni.

fama foliorum palimpsestorum, particulas libri XI, XII, XIII, ad quas ea pertinebant, et proximas cohærentes paulo curiosius perlegi, ut, quid inde ad textum constituendum efficeretur, cognoscerem. Ex iis, quæ aut antea aut tum annotavi, pauca et parva, quæ Iani et (usque ad libr. XXXI) Detlefsenii exemplis comparatis supersunt non occupata, ponam; aliorum libros in re exigua perscrutari operæ pretium visum non est

Lib. II, 19 et 20 (paragraphos minores in margine notatas significo): Iovem quidem aut Mercurium aliterve alios inter se vocari et esse cælestem nomenclaturam, quis non ... fateatur irridendum? Agere curam rerum humanarum illud, quicquid est summum, anne tam tristi atque multiplici ministerio non pollui credamus dubitemusne? Vix prope est iudicare, utrum magis conducat generi humano, quando cet. Sic apud Silligium recte sententiæ dirimuntur. Pro corrupto illo vix prope est Detlefsenius posuit: vix profecto est, adverbiis inter se pugnantibus, ne alia obiiciam. Scribendum est: Vix *potest iudicari*, utrum cet. (De § 224 dixi vol. I p. 147.)

Lib. V, 74: plurimum tamen (in urbibus Decapolitanæ regionis numerant) Damascum epoto riguis amne Chrysorrhoa fertilem, Philadelphiam, cet. Sic Ianus (et Detlefsenius); codices: etopoto riguis amne. Residet mendum in riguis, pro quo scribendum est *rivis*, ut significetur fertilitatem nasci ex amne Chrysorrhoa ita rivis (canalibus) per agros diviso, ut nihil ipsi aquæ restet.

Ibd. 129: Pamphylium mare ignobiles insulas habet, Cilicium ex quinque maximis Cyprum ad ortum occasumque Ciliciæ ac Syriæ obiectam. Nulla erat ex ceteris magna, nedum maxima; et quid est: ex maximis habet Cyprum? Scriptum fuerat: ex

[uinque *maximam* Cyprum; adiectivum errore tractum .d ex quinque est.

Lib. VII, 116: Sed quo te, M. Tulli, ... maxime excellentem insigni prædicem? quo potius |uam universi populi illius gentis amplissimo estimonio, e tota vita tua consulatus tantum ›peribus electis? Ridicule post populi addi tanquam naius et proprium: illius gentis apparet. Scrib. ›opuli illius *vigentis* (libertate et imperio, non, ut ıunc, languescentis). (Detlefsenius sciscentis, recte paricipium subesse ratus, sed infelix delectu.)

Lib. XI, 69: Vita his (apibus) longissima, ut ›rospere inimica ac fortuita cedant, septenis ınnis. Universa alvos numquam ultra decem ınnos durasse proditur. Sic distinxit Detlefsenius; uperiores annis universa. Alvos cet. Eo magis ›equi debebat scripturam codicis palimpsesti: *Universas* ılvos (quæ contrariæ ponuntur singulis apibus). Sed imul scribi debet: Vita his longissima ... *sepeni anni.*

Ibd. 90: Homini icto (a scorpione) putatur ›sse remedio ipsorum cinis potus in vino. Magıam adversitatem oleo mersis et stellionibus ›utant esse, innocuis duntaxat iis, qui et ipsi ;arent sanguine, lacertarum figura, atque scor›iones in totum nulli nocere, quibus non sit san;uis. Ridiculum hoc totum, quod unum verba significare posunt, de scorpionibus tum, cum oleo mersi sint, stellionum nimicis, et de stellionibus quibusdam innocuis, quoniam ›mnino hic de stellionibus per se non agitur. Id dici, |uibus scorpiones non noceant, apparet perspicue ex potremis verbis. Scripserat Plinius: Homini icto putatur ›sse remedio ipsorum cinis potus in vino, *magna ıdversitate.* Oleo mersis et stellionibus putant ›sse *innocuos,* duntaxat iis, qui et ipsi carent

sanguine, ..., atque scorpiones in totum *nullis* nocere, quibus non sit sanguis. Ablativus ille magna adv. huius ætatis, Plinii maxime et Taciti, more ponitur epiphonematis et iudicii loco: „quæ magna est adversitas“ (cinerem ipsius scorpionis mederi ictui eius); vid. XXXVI, 114 (*inaudito etiam postea genere luxuriæ*), XXXV, 80 (*memorabili præcepto, nocere sæpe nimiam diligentiam*), XIII, 100 (*magno errore eorum* cet.), aliaque, quæ Silligius ad XXXIV, 92 collegit, Tacit. hist. I, 1 (*rara temporum felicitate*), ann. XII, 17 (*magna gloria exercitus Romani*). Deflexit autem huc ablativus a modo rei actæ significando. [Nullis pro nulli proposuerat Dalecampius.]

Ibd. 223 e cod. palimpsesto scribendum: Profluvium eius (sanguinis) uni fit in *maribus* (pro naribus) homini, aliis nare alterutra vel utraque, quibusdam pe· inferna cet. Non hoc dicit Plinius, uni homini naribus (non: *in* naribus) sanguinem profluere (nam inepte adderetur: quibusdam per inferna), sed in uno genere humano accidere idem in maribus, quod alioquin tantum in feminis. Ad orationis formam conferenda hæc § 232: Mammas homo solus e maribus habet.

Ibd. 283, 284: Homini non utique septumo (die) letalis inedia; durasse et ultra undecimum plerosque certum est, mori esuriendi semper inexplebili aviditate. Uni animalium homini quædam rursus exiguo gustu famem ac sitim sedant conservantque vires, ut butyrum cet. Sic Detlefsenius verba distinxit; alii: certum est mori, esuriendi ... aviditate uni animalium homini. Quædam cet. In neutra distinctione aut sententia aut constructio constat, manifestissimumque est primam sententiam finiri his: durasse et ultra und. pl. certum est. Subiicitur aliquid hominis unius proprium et alterum contrarium. Id huiusmodi est: *Morbus* esuriendi

mper inexplebili aviditate uni animalium homi- ; quædam rursus cet. Cod. palimps. pro mori tantum ›r habet, duabus litteris evanidis. [Cod. Riccard. morbus.]

Lib. XII, 1: Animalium ... naturæ .. ita se bent. Restant neque ipsa anima carentia ıandoquidem nihil sine ea vivit) terra edita, inde eruta dicantur ac nullum sileatur rerum turæ opus. Hoc vero nihil perversius: restant rra edita (τὰ φυτά), ut inde eruta (metalla et ides) dicantur. Scr. *Restat ut* neque ipsa anima rentia, . . . terra edita *aut* inde eruta di- ntur. [Restat ut in codd. legit Dalecampius.]

Ibd. 20: Rarum id (genus ebeni), quod melius, ar- reum, iure et enodis materie nigri splendoris ac l sine arte protinus iucundi. Sic cod. palimps., eri iure et nodi. Detlefsenius (nam ceteri longe cedunt): tereti et enodi materie. Scribendum t: *puræ* et enodis *materiæ*, nigri splendo- cet.

Ibd. 22: Ficus ibi eximia pomo, se ipsa sem- r serens, vastis diffunditur ramis, cet. Cod. imps. sui ipsa semper (h)eret uastis cet. Effici- : sui ipsa semper *heres*, vastis cet., eodem su.

XIII, 24: censores edixisse, ne quis venderet guenta. Palimps. censores reticuisse, ne. Vide- subesse: censores *vetuisse*.

Ibd. 86: in iis libris scripta erant philoso- iæ Pythagoricæ (hæc ipsius Cassii Heminæ verba sunt); sque combustos a Q. Petilio prætore, quia ilosophiæ scripta essent. Vix puto Heminam in ris scripta fuisse dixisse, sed eo usu, quem Gellius tatus est: in iis libris *scriptæ* erant philosophiæ, niumque idem tenentem: quia philosophiæ *scriptæ* sent; et annotatur e palimpsesto scripta eessent.

Lib. XIV, 146: Torquato rara gloria, quando et hæc ars (multum bibendi) suis legibus constat, non labasse sermone, ..., matutinas obisse iniuria vigilias, cet. Sic palimpsestus; nam ceteri iniuria omittunt. Detlefsen obisse sine iniuria; debebat: matutinas obisse *in curia* vigilias, hoc est, mane in senatu affuisse. Contrarium errorem apud Cicer. pro Flacco 77 sustuli.

Lib. XXXIII, 20: unde (ex Cæpionis et Drusi inimicitiis) origo socialis belli et exitia rerum. Ne tunc quidem omnes senatores habuere cet. Non inde exitia, sed origo soc. belli et *exiti* rerum; nisi fuit: et *exiti. Verum* ne tunc quidem cet.

Ibd. 38 neque e deterioribus codicibus ei pro eum recipiendum est neque (quod Ianus fecit) lacunæ nota ponenda, sed sic oratio interpungenda: Quis primus donatus sit ea (corona civili), non inveni equidem; quis primus donaverit, a L. Pisone traditur: A. Postumius dictator, apud lacum Regillum castris Latinorum expugnatis, eum, cuius maxime opera capta essent. Hanc coronam ex præda dedit item L. Lentulus cos. . . . librarum; Piso Frugi filium ex privata pecunia donavit cet. [Silligius idem viderat.]

Ibd. 67 in codice Bambergensi, omnium antiquissimo, sic scribitur: Aurum qui quærunt, ante omnia segutilum * * it; ita vocatur indicium. Alveus hic est harenæ qua lavatur, atque ex eo, quod resedit, coniectura capitur. Extrema verba sic Geertzius recte corrigere videtur: Alveus hic est arenæ, *quæ* lavatur, atque ex eo cet. Nam ego aliter tentaveram.

Ibd. 69: Quod effossum est, tunditur, lavatur, uritur, molitur; farinam apitascudem vocant. Sic B; ceteri apilascudem, apilascudunt,

similia. Scribendum: farinam *a pila* (hoc est, quæ a pila exit contusa) scudem vocant. (De *scudis* vocabulo me nihil affirmare non opus est dici.)

Ibd. 73: Mons fractus cadit ab sese longe fragore, qui concipi humana mente non possit, eque efflatu incredibili spectant victores ruinam naturæ. Frustra conantur enarrare, quid sit aut ex efflatu spectare (quod verba significant) aut ruina ex efflatu. Scribendum: fragore, qui concipi humana mente non possit, *æque* (sic iam aliquot codd.) efflatu incredibili; spectant victores ruinam naturæ (hoc est, efflatu æque incredibili, eo verborum ordine, quem breviter attigi emendatt. Liv. p. 271 et præf. Livii I, 2 p. XIII ad IX, 7, 3, sed multo copiosius persequi facile erat, si id nunc agerem. Cfr. Liv. I, 10, 5 factis vir magnificus, I, 53, 4 minime arte Romana, cet. Etiam Cicero de leg. agr. 1, 2 a maioribus nostris possessiones relictas et alia). (De § 100 admonitum est vol. I p. 70; sed sic iam Urlichs.)

Ibd. 121 sic oratio interpungenda: Sisaponensibus autem miniariis sua vena, harenæ sine argento. (Nam alibi argentum admixtum est, § 111.) Excoquitur auri modo.

Lib. XXXIV, 4 oratio sic interpungenda est: Utrumque (aurichalcum) a metallorum dominis appellatum, illud ab amico divi Augusti, hoc a coniuge. Velocis defectus Livianum quoque (ut Sallustianum „non longi ævi"); certe admodum exiguum invenitur.

Ibd. 108: Atque hæc omnia medici, quod pace eorum dixisse liceat, ignorant; paret nominibus; in tantum a conficiendis iis medicaminibus absunt, quod esse proprium medicinæ solebat. Sic B; ceteri pro paret habent pars maior et. Scribendum: *parent* nominibus (medici et ea

sequuntur, rem ipsam non tenentes); deinde aut recte iis, ortum ex conficiendis ultima syllaba geminata, omittitur in deterioribus codicibus, aut scribendum: a conficiendis *ii* medicaminibus absunt.

Q. Curtii de rebus Alexandri libros cum iterum inter a. 1830 et 1840 legerem, codicum generibus iam, si universam rem spectes, recte a Zumptio distinctis et æstimatis, non pauca correxi, quæ ab superioribus præcepta erant; alia postea, qui nuper in hoc scriptore elaborarunt, occupavere. Supersunt nec multa nec magna, quæ tamen nihil est, cur premam.[1]) Ac primum

Lib. III, c. 26 Z. (apud superiores c. 11, 4) sic editur: Iamque ipsi (Macedones) in medium Persarum undique circumfusi egregie se tuebantur; sed conferti cet. Codices se non habent. Nihil est in medium Persarum circumfusi; ea, quæ sequuntur, ad Persas pertinent. Notanda est igitur lacuna. Nam Curtius ad hanc fere formam scripserat: Iamque ipsi in medium Persarum [*penetrarant et ipsi regi Dareo appropinquabant, quem fortissimi Persarum*] undique circumfusi egregie tuebantur; sed cet.

Ibd. 33 (13, 3) audax suspicio promenda est. Narrat enim Curtius, cum Mardus quidam a præfecto Damasci litteras ad Alexandrum de proditione scriptas perferens captus ad Parmenionem ductus esset, Parmenionem, asservari Mardo iusso, litteras aperuisse et rem cognovisse: Itaque Mardum datis comitibus (Parmenio) ad proditorem remittit. Ille e manibus

[1]) Vogelianæ editionis alterum tantum volumen vidi. [Sero inter corrigenda folia typis descripta, quæ de IV, 41, V, 7 et 9, VII, 2, 12, 23, 35, VIII, 39, IX, 13 et 41 annotavi, præcepta esse in edit. Zumptiana minore altera a. 1864 cognovi. Miseram emendationes meas recentes C. G. Zumptio; sed quum is in edit. maiore tantum unam (VII, 31) commemorasset, ceteras abiectas intercidisse putabam.]

[redacted]

custodientium lapsus (scr. *elapsus*) Damascum ante lucem intrat. Neque cur Mardo, qui eadem, qua venerat, via ad eum, a quo missus erat, redibat, comites addantur, intelligitur, neque cur Mardus e manibus custodientium, qui Damascum eum ducebant, elapsus Damascum tamen ante lucem intret. Contra Alexander de tanta re oblata et de litteris ad ipsum missis, sed primum a Parmenione lectis, necessario certior erat faciendus et nuntius ad eum perducendus. Itaque Curtium scripsisse opinor: Mardum datis comitibus ad *regem mittit*, cum autem pænultima vox truncata cum mittit coaluisset (remittit), additum esse proditorem (ad proditorem remittit). Si, ut in codicibus est, Curtius scripsit, male eum, quod legisset, intellexisse puto.

Lib. IV, 12 (3, 4): Iamque non modo Macedonum turres, sed etiam summa tabulata conceperant ignem. Non possunt hæc contraria poni, quoniam summa tabulata ipsarum turrium sunt. Scrib. Iamque non modo *imæ* Macedonum turres, s. e. s. t. c. ignem. Excidit imæ ante ma.

Ibd. 35 (9, 2): Bactriani Scythæque et Indi convenerant; nam et ceterarum gentium copiæ partibus simul affuerunt. Scrib. convenerant *iam*, et ceterarum gentium copiæ cet. Nec latuit hoc Acidalium.

Ibd. 38 (9, 23) perpetuæ Alexandri fortunæ, quæ ei in summis difficultatibus præsto fuit, exemplis positis Curtius addit, si scribis credimus: Audaciæ quoque, qua maxime viguit, ratio minui potest, quia nunquam in discrimen venit, an temere fecisset. Neque *ratio audaciæ* ulla est, neque, *minuere* eam quid sit, nisi fingendo explicari potest; maiorem etiam rationem habuit audacia viderique poterat non temeraria propter fortunam nunquam deficientem. Curtius scripserat: Audaciæ quoque ... *miratio* minui potest. Et admiratio coniectura invenerat Freinshemius.

Ibd. 41 (10, 23): dignus, hercule, qui nunc quoque tantum et mansuetudinis et continentiæ ferat fructum. Quantum? (Ridicule enarrat Zumptius.) Nec agitur, quantus fructus sit. Fuit: *tantæ* (tante) et mansuetudinis et cont. ferat fructum. Sed video iam Bongarsio et Freinshemio idem in mentem venisse.[1])

Lib. V, 4 (1, 29): quippe Euphrates altum limum vehit, quo penitus ad fundamenta iacienda egesto vix sufficiendo operi firmo reperiunt solum. Sic codices; sed nihil est opus sufficere, etsi Zumptius enarrare conatur. Qui suffulciendo ... firmum scribunt, improbabiliter duo mutant, cum præsertim solum inædificata sustineat, non suffulciat. Cum Curtius scripsisset: vix *sufficiens* operi firmo reperiunt solum, una littera mutata et *o* geminatum est.[2])

Ibd. 9 (2, 19): admonerique (Sisygambin) iussit, ut, si cordi quoque vestis esset, conficere eam neptes suas assuefaceret. Pravum est cordi quoque. Scrib.: si cordi *ei* quoque vestis esset, hoc est, placeret et probaretur, quemadmodum sibi.

Lib. VII, 12 (3, 8): Tuguria latere primo struunt et, quia sterilis est terra materia, in nudo etiam montis dorso, usque ad summum ædificiorum fastigium eodem laterculo utuntur. Non sine causa iam Freinshemius et alii in

---

[1]) C. 52 (14, 1) rectissime Modius prætereuntibus, cui frustra Zumptius obloquitur. Ipsi ὡς ἐν παρόδῳ illas regiones rapuerant.

[2]) Ibd. 7 (2, 6), ubi in codicibus bonis omnibus sic scribitur: In disciplina quoque militaris rei a maioribus pleraque summa utilitate mutavit, sine causa omnes ex interpolatis ante pleraque addunt tradita. Nam *a maioribus mutare* est sic mutare, ut a maioribus discedas.

primo hæserant; sed quod nuper Hedickius crudo substituit, longius a litteris discedit; mihi in mentem venerat, latere *a* primo struunt (vid. ad Cic. fin. III, 32 p. 397). Sed deinde offensionis aliquid habet ablativus materia, plus, quæ non commemoratur, præpositio in (quasi tota regio in nudo „etiam“ montis dorso sit). Scribendum sine dubio est: sterilis est terra *materiæ*, nudo etiam montis dorso (quod etiam montis dorsum nudum est, non solum plana). Materiæ est in edd. vett.[1])

Ibd. 23 (5, 31): Postero die occurrentibus Branchidas secum procedere iubet. Qui occurrebant nisi ipsi Branchidæ? et qui illi procedunt in suam ipsi urbem? Scrib.: Postero die occurrentibus (ex urbe ad salutandum regem) *Branchidis*, secum procedere iubet (Milesios, de quibus proxime dictum est, quibusque Alexander se, quid optimum factu esset, consideraturum ostenderat). Venerat hoc quoque in mentem Modio, qui, ubi vera invenit, fere Cassandræ pœnam passus est non sane sine culpa. [Branchidis etiam codd. dett.] Paulo post (35) permirum est, inde a Zumptio nunc edi, quod sane in codicibus est: Nunc culpam maiorum posteri luere, qui ne viderant quidem Miletum, ideo et Xerxi non potuerant prodere. Nam non solum perversum est ideo et, sed etiamsi scribas et ideo, nihil ineptius hac adiectione; requiritur huiusmodi sententia: *nedum X. potuissent prodere;* eam sic positam fuisse a Curtio: *adeo* Xerxi non potuerant prodere, Iunius et post eum ceteri intellexerant, notissimo apud Tacitum particulæ adeo negationi subiectæ usu, sed cuius exempla etiam apud

---

[1]) Cap. 2 (1, 15) miror tacite præteriri apertissimum orationis vitium: ad hæc accedere, quod ... respondisse, cum præsertim iam Heusingerus respondisset scribendum esse monuerit.

Velleium, Plinium mai. (vid. Boetticheri lex. Tacit. p. 116), Senecam (ep. 7, 6) reperiuntur. (Ipse hic usus parum perspicue enarratur, etiam ab Heraeo ad Tac. hist. I, 9. Quod poterat sic dici: „Adeo hoc non fieri potest, ut ne illud quidem possit", sic convertitur: „Ne illud quidem fieri potest, adeo hoc non potest.")

Ibd. 31 (7, 28): Rex iussum confidere felicitatis suæ ad alia sibi ad gloriam concedere deos. Sic boni codices; interpolati recte felicitati; pro iussum Muetzellius bene iussit eum; extrema nondum sanata sunt, quæ sic scribi debent: ... felicitati suæ; *talia* sibi ad gloriam concedere deos. Formam sententiæ viderat Ieepius, sed incidit in vocabulum minime aptum (fatalia).

Lib. VIII, 39 (11, 5): Hos enim circuitu, qui fallerent hostem, in summum iugum placebat evadere. Scr. qui *falleret*. Et venerat hoc quoque Freinshemio in mentem.[1])

Lib. IX, 13 (3, 21): Inter hæc Memnon ... equitum V milia, præter eos ab Harpalo peditum VII milia adduxerat, armaque XXV milia auro et argento cælata pertulerat. Debebat esse: armorumque ... cælatorum (ut arma intelligerentur, quæ ad singulos homines armandos pertinerent, *Ruestungen*). Scribendum: XXV *millibus*.

Ibd. 41 (10, 18): Omnium rerum sola fertilis regio est, in qua stativa habuit, ut vexatos milites quiete firmaret. Corruptum esse sola manifestum est, sed quod a Ieepio sumptum Hedickius

---

[1]) C. 41 (11, 25) Zumptium litteris missis inter alia monueram scribendum esse *quo* subire. Apud Hedickium retentæ pravæ codicum scripturæ Zumptii nomen adscribitur, coniectura tanquam codicum scriptura annotatur.

posuit copia, et abundat nec facile in sola transire potuit. Scrib. omn. rerum *solo* fertilis regio est, hoc est, e solo; omnium rerum solum fertile habet. Sed præcepit emendationem Modius.

Lib. X, 22 (7, 5) notanda erat (ut III, 26) lacuna hoc modo: Haud ambigue iuvenem, cui regnum destinabatur, * * * impense probra, quæ obiecerat, magis cet. Nam quod Ieepius pro impense scribi iussit scripsitque Hedickius impetiit, sed, neque id verbum e paucis poetarum locis ad Curtium transferri debuit neque perfectum poni, et, quod caput est, multo plura desiderantur. Nam probrorum illorum nunc nulla significatio præcessit, omninoque Pithonis orationis initium tantum et ingressus ponitur; quomodo hinc flexerit et sententiam exposuerit, non dicitur.

Quintilianum perlegi studiose et attente primo Latinas litteras docendi tempore, postea tantum particulas relegi. Habebam tamen annotatas emendationes non ita paucas, ex quibus unam et alteram edidi. Sed cum eas cum Halmii exemplo compararem, non sine lætitia vidi pleraque iam, quæ scribi volueram, aut ex optimis codicibus restituta esse aut Halmii, Christii aliorumque coniecturis occupata, quemadmodum accidit in duobus locis, quos vol. I p. 45 tractavi (quæ pars mense Octobri a. 1868 typis descripta est); eorum enim utrumque Halmius eodem aut simillimo modo emendavit, alterum e Iulio Victore, alterum coniectura.[1]) Itaque relinquitur perexiguum in tanto opere spicilegium.

Lib. I, 4, 3: Nam et scribendi ratio con-

---

[1]) In libro VII, 7, 9 consensum meum Halmius in addendis annotavit.

iuncta cum loquendo est, et enarrationem præcedit emendata lectio cet. Nemo Latine *cum* aut *sine* præpositiones cum gerundio posuit, nec, quod scribitur, rectam habet sententiam; neque enim cum loquendi opera et locutione coniuncta scribendi ratio est, sed cum ea, quam proxime ante Quintilianus nominavit, loquendi scientia. Nam cum grammatici professionem divisisset in loquendi scientiam et enarrationem poetarum, nunc, quid his duobus adiunctum sit, exponit. Scripserat igitur: scribendi ratio coniuncta cum *loquendi* (ratione) est. Quam proclive fuerit in hac orationis forma (de qua dixi Gr. Lat. § 280 n. 2) genetivum ad præpositionem accommodare, apparet.[1])

Ibd. 6, 14 seposita coniectura e cod. Ambrosiano et Bernensi (pr. m.) scribendum est: illa tamen quomodo effugient, *ut non*, quamvis feminina singulari nominativo *us* litteris finita nunquam genetivo casu *ris* syllaba terminentur, faciat tamen Venus Veneris? Nam ad effugient sic hæc Quintilianus adiunxit, quasi sit: „quomodo effugient efficientque, ut non".

Ibd. 10, 1: Hæc de grammatice, quam brevissime potui, non, ut omnia dicerem, sectatus, quod infinitum erat, sed ut maxime necessaria. Deest verbum, quod eo minus abesse potest, quod ei adiungitur participium sectatus. Una littera mutanda

---

[1]) Prave contra apud Ciceronem pro Sulla 72 nunc editur: Conferte nunc cum illius vitam P. Sullæ; nam ex præcedenti casu alius audiri potest, a præcedenti præpositione nemo unquam sic nomen separavit, ut alio casu subsequeretur. Restituendum est igitur e cod. Tegerns., quod olim edebatur: cum illius vita P. Sullæ (vitam).

st: Hæc de grammatice quam brevissime *osui*, non cet.

Lib. IV, 5, 8: Itaque, si plura vel obiicienda unt vel diluenda, et utilis et iucunda partitio st, ut, quid quaque de re dicturi simus, ordine ppareat. Non, ut ordine aliquid appareat, partitio facit, ed ut statim, cum auditur partitio, appareat, nec, quid icturi simus, partitio ostendit, sed quo ordine; et hoc uintilianus scripsit: ut, *quo* quaque de re dicturi imus ordine, appareat. Cod. Bern. quod, non quid.

Lib. V, 10, 64: et ratio, quamvis ita ex dierso, eadem est. Halmius: quamvis sit ex dierso. Præstat: quamvis *sita* ex diverso, eaem est.

Ibd. 14, 12: Hic potest videri de re contenio. Ineptum est de re, nec minus contentio; nam t ex toto loco et ex iis, quæ proxima subsequuntur otuit enim sic constitui ratiocinatio: animal st mundus; omnia enim cet.), perspicuum est, agi e forma syllogismi ad speciem minus plena, quod non ræmittitur eius rei, quæ demonstranda est, propositio, oc est, intentio. Iam re in Ambrosiano in rasura criptum est. Posuerat Quintilianus: Hic potest vieri *deesse intentio*. Attigerant veri partes Gesnerus t Spaldingius.

Lib. VI, 3, 102: Itaque hæc, ne omisisse videer, attigi; illa autem, quæ de usu ipso et modo ocandi complexus sum, adeo infinita * * plane ecessaria. Sic Halmius, qui in loco, quem lacunosum otabat, Ambrosiani scripturam retinere debebat infirmare 3amb. infirmarem) pro infinita. Ex ea verum erspicue elicitur, invento in adeo mendi et correconis initio: quæ de usu ipso ... complexus um, *audeo confirmare* plane [esse] neces-

saria. Reliqua Quintilianus ipse dixit non fuisse necessaria.[1])

Ibd. 4, 9: Neque tam cum his ipsis monitoribus clarescit; quidam faciunt aperte quæ rixemur. In priore membro menda non latent; (qui tantum inferre conantur, falluntur; neque enim alii præter monitores significantur); sed ne in altero quidem aut prima persona (rixemur) ferri potest aut faciunt, quæ rixemur. Scribendum videtur: Neque *iam* cum his ipsis monitoribus *clam res fit*; quidam faciunt, *ut* aperte *quoque rixentur*. Spaldingio debetur clam res fit.

Lib. VII, 10, 13: Hæc est velut imperatoria virtus parti ad casus prœliorum retinentis partis per castella tuendas custodiendasve urbes, petendos commeatus, obsidenda itinera, mari denique ac terra dividentis. Sic antiqui codices (Ambros., Bamb.). Infelicissime interpolatores in recentioribus pro parti scripserunt partientis; nam partitio copiarum in altero membro significatur et re et verbo (dividentis), cui contrarium est in priore retinentis. Sic enim Quintilianus scripsit: copias *partim* ad casus prœliorum retinentis, *partim* per castella tuenda custodiendasve urbes . . . dividentis. Partem (maiórem) exercitus imperator congregatam apud se ad res acie gerendas retinet, partem per alios usus spargit.

Lib. IX, 2, 47: ut illa statim prima, quæ dicitur a negando, quam nonnulli *ἀντίφρασιν* vocant. Scribi debet: quæ *ducitur*. Primum, in qua re posita sit figura, indicatur, deinde nomen additur, ne vulgo quidem receptum (nonnulli).

---

[1]) Quam de VI prooemio 7 supra p. 89 posui coniecturam, eam sero video a Burmanno præceptam esse. Utrum quamquam scribi debeat an ex Ambros. quod, ambigo.

Ibd. 69: aperta figura perdit hoc ipsum, quod ;ura est. Hoc Latine non dicitur pro eo, quod est: 'dit figuræ vim et nomen, desinit esse figura (poetarum ı: *perdit esse figura*). Scribendum: perdit hoc ɜum, *quo* figura est, id ipsum, quod facit, ut ıra sit.

Ibd. 100: Comparationem equidem video ;uram non esse, cum sit interim probationis, terim etiam causæ genus, et si talis eius rma, qualis est pro Murena: „vigilas tu nocte ... et cetera": nescio an orationis tius quam sententiæ sit. Ferri non posse non ıldingius intellexit; sed ultra modum improbabiliter lmius pro eo scripsit quoque. Deinde edunt: et sit lis eius forma, quæ sententia (de figuræ forma) prasime coniungitur cum illis, quæ dicuntur de comparaıe alius generis, quæ figura non sit; tum valde negliıter illa adhærent: nescio an cet. Emendatio facilis : Comparationem equidem video figuram *nc* esse, cum sit interim ... causæ genus, *etsi* lis eius forma, qualis est pro Murena: „vigiɜ tu ... et cetera", nescio an orationis potius am sententiæ sit. Figuram esse comparationem intilianus dicit, eiusmodi tamen exemplum, quale est in tione pro Murena, dubitat, sententiæne figura, de quo ıere nunc agit, dici possit.

Ibd. 4, 6: Neque, si parvi pedes vim deıhunt rebus, ..., compositionis est iudicanm. Nulli sunt appellanturve apud metricos rhetoresve vi pedes (aut magni), neque si sic appellarentur dislabi, de iis hoc loco agitur. Scribendum est *pravi*. liquam dubitationem in verbis interiectis, quæ hic omisi, ı tollo; sed extrema attrectanda non erant. Negat intilianus compositionis esse, hoc est, ei (tanquam arti,

ut tota abiicienda sit) tribui et vitio verti posse, si quis prave et affectate pedes misceat.[1])

Ibd. 63: Sed eorum (initiorum) facilior ratio est (quam clausularum); non enim cohærent aliis, sed præcedentibus serviunt exordium sumunt cum ea; quamlibet sit enim composita ipsa, gratiam perdet, si ad eam rupta via veniremus. Sic codices. Violenter pro sed substituitur nec. Scribendum puto: non enim cohærent aliis; sed præcedentibus serviunt, *quæ* exordium sumunt, *ut* clausula; quamlibet sit enim composita ipsa ... venerimus.

Lib. X, 2, 13: Ideoque plerique, cum verba quædam ex orationibus excerpserunt aut aliquos compositionis certos pedes, mire a se, quæ legerunt, effingi arbitrantur, et cum verba intercidant invalescantque temporibus, ut quorum ..., et compositio cum rebus accommodata sit, tum ipsa varietate gratissima. Infeliciter hunc locum Halmius tractavit, in quo nihil certius est quam ostendi, utriusque rei, quam imitari homines velint, eam esse naturam, ut non satis sit simpliciter quædam excerpere; utrumque igitur membrum perspicuum est a cum (cum tamen) pendere, recteque in edit. Colon. a. 1527 et insecutis scribi: *cum et* verba . . . et compositio. Sed præterea scribendum est: et compositio cum rebus *accommodanda* sit, tum cet. Id enim ipsum agitur, non posse eam, qualis apud aliquem inventa sit,

---

[1]) Etiam apud Senecam de benef. IV, 15 extr. recte superiores ediderant: cui (beneficio) etiam infeliciter dato indulgere tam naturale est quam liberis pravis, ubi nunc, comparationis veritate sublata, editur parvis, addito ab Haasio novo vitio: infeliciter nato.

transferri. De erroris genere dixi post Drakenborchium et Ruhnkenium opusc. acad. vol. alt. p. 361.

Lib. XI, 1, 3: si genus sublime dicendi parvis causis, parvum limatumque grandibus ... adhibeamus? Parvum dicendi genus pro tenui et humili et contra usum et ridicule dicitur. Eo proclivius hic idem error, quem in IX, 4, 6 deprehendimus, parvum pro alio adiectivo substituit, quod præcedit parvis; Quintilianus *parcum* limatumque posuerat.

Cap. VI.

Tacitus. Suetonius.

Cornelium Tacitum, egregium scriptorem nec tamen aut in scribendi genere affectatæ cuiusdam duritiæ culpa liberandum aut in vero minute exquirendo severissimæ semper diligentiæ et in rebus narrandis interdum aliquid sententiarum acumini et gravitati et omnino scriptionis colori dantem, legi et adolescens studiose et diligenter et postea non raro tractavi, cum etiam partes aliquot enarrarem studiosis aut, in quibus se exercerent, proponerem. Usus sum nunc, cum olim annotata recognoscerem, præter superiorum curas, quæ Bekkeri editione continentur, Orellii, Halmii, Ritteri exemplis, Nipperdeii annalium, Heræi historiarum; ex iis, quæ ab aliis nuper sparsim prolata sunt, facile me quædam fugere potuerunt, etsi non prorsus incuriose circumspicientem. Etsi autem et orationis artificia et sententiarum acumina paulo interdum duriora caute attingenda ipse quoque iudico nec movenda, nisi quæ iustam excusationem non recipiant, tamen in Taciti quoque scriptis non ita paucis locis servari miror, quæ iam veteres illi Pichena, Faernus, Acidalius, Lipsius,

Gronovius recto et simplici iudicio correxerint[1]), et alibi magnis ac temerariis moliminibus tentari, quæ illi facili et recta ratione expediverint.[2])

In **annalium** libro primo nihil est, quod proferam, propriæ emendationis. Itaque incipiam ab

Lib. II c. 8, ubi in codice, quo uno utimur, ita scribitur: Classis Amisiæ relicta, lævo amne, erratumque in eo, quod non subvexit transposuit (recte recentiores subv. aut transp.) militem dextras in terras iturum. Neque ferri Amisiæ relicta potest et violenter tollitur Amisiæ. Retracta voce, quæ propter re sequens excidit, scribendum est: Classis Amisiæ *ore* relicta, lævo amne, ad sententiam aptissime. Dupliciter erratum est, quod Germanicus in

---

[1]) Huiusmodi est, ut singulis ex annalium et historiarum libris exemplis et apertissimis defungar (utor enim nominibus tralaticiis), retentum in ann. XIV, 15: pars ingenio procaces, alii in spe potentiæ, cum iam Acidalius monuerit, certissimo usu scribendum esse in *spem* potentiæ (vid. opusc. acad. I p. 168 et 169, ubi ipsius Taciti in hac ipsa spei voce tria exempla posui similiaque multa comparavi), tum in hist. III, 41: apud avidos periculorum et dedecoris securos de militibus pudorem et ducis reverentiam facile exuturis nec quicquam ad ducem defendendum ausuris, quos a Tacito *pavidos* periculorum appellatos fuisse Faernus vidit, ut offensionum pavidus dicitur ann. IV, 38, nandi hist. V, 14.

[2]) Exemplo sit incredibilis et transpositio et mutatio et enarratio Nipperdeii annal. XIV, 7, ubi recte Halmius Pichenæ amicum secutus est, sequi etiam Oberlinum debebat una littera detracta scribentem: incertum an et ante gnaros, quod sententia et apertum particulæ et indicium postulat. Ritteri (qui tamen in hoc loco veritatis sensu motus an et ante non ignaros posuit) et alias temerarias coniecturas et lacunarum fingendarum licentiam omitto.

ore fluvii classem reliquit neque longius subvexit, et quod lævo amne reliquit, cum in dextras partes iturus esset. Non raro similiter apud Tacitum erratum est, ut III, 7 (animis petendæ pro animis spe petendæ, quod Freinshemius restituit. Frustra enim Nipperdeius *causa* audiri vult. Animi non eriguntur ultionis petendæ causa).

Ibd. 21: cum ingens multitudo artis locis prælongas hastas non protenderet, non colligeret, neque adsultibus et velocitate corporum uteretur. Quod *hastam colligere*, Turnebo præeunte, enarrant *retrahere*, neque exempla ulla ex parte similia proferuntur neque origo significationis probabiliter declaratur; neque hastæ retractio ad nocendum hosti pertinebat. Opinor fuisse: non *collinearet* (et certo dirigeret). *Collineare hastam aliquo* Cicero dixit fin. III, 22.

Ibd. 37 revocandum e codice: Censusque quorundam senatorum iuvit, quod magis mirum fuit, quod preces M. Hortali ... superbius accepisset. Non recte omnes Rhenanum secuti quo magis scripserunt. Nam plusquamperfectum ostendit, quod ante superbius responsum esset Hortalo, miratos esse homines insecutam in alios liberalitatem, non inverso ordine hæc facta. Coniunctivus modus nihilo minus recte hominum illorum cogitationem significat.[1])

---

[1]) Ibd. c. 43 vera est emendatio a me iuvene (a. 1828, in epist. ad Orell. p. 80 n.) proposita, in quam postea Bezzenberger incidit: et Plancinam haud dubie Augusta monuit, æmulatione muliebri Agrippinam *insectans*; divisa namque et discors aula erat cet., pro insectandi, quod extrita littera *s* geminataque proxima syllaba eodem modo ortum est, quo apud Livium XXV, 8, 10 reportando donabat pro reportans donabat et similia alibi.

Lib. III, 37: huc potius intenderet, diem ædificationibus, noctem conviviis trahere (edd. recte traheret), quam solus et nullis voluptatibus avocatus mæstam vigilantiam ... exerceret. Corruptum esse ædificationibus consentitur; sed qui corrigere conati sunt, omnes aliquid substituendum putaverunt, quod ad luxum voluptatemque pertineret, in quo videntur errasse. Neque enim homines Drusum se totum dies noctesque huiusmodi studiis et occupationibus tradere volebant, sed misceri temperamento aliquo hilaritatis et voluptatis labores et curas iuvenis consulis patre absente urbem regentis. Itaque ante permultos annos conieci scribendum: diem *meditationibus*, noctem conviviis traheret. Et scripto semel *m* (diemedit) facillime ex editationibus nasci potuit edificationibus.

Ibd. 50: Vita Lutorii in integro est. Recte ad sententiam Lipsius esto, nisi quod modestius in senatoris ore et convenientius ei, quod contrarium subiicitur (cedat tamen), est sit. (Quomodo Nipperdeius enarrat, neque dicitur *vita in integro esse*, et deest sic sententiæ senatoriæ altera pars, qua vita concedatur.)

Ibd. 66: mox Seiani potentia senator (Iunius Otho) obscura initia impudentibus ausis propolluebat. Neque propolluere, quod Halmius frustra tutatur comparatione æque pravi provivere e VI, 25,

---

Insectandi non solum constructione peccat, sed sententia gravissime, nec minus, quod Halmius substitui vult, insectari. Neque enim Augusta Plancinam monuit, ut æmulatione muliebri Agrippinam insectaretur, quæ non admonitione aliena, sed sua sponte nascitur, sed ipsa æmulatione in Agrippinam incensa et eam insectans Plancinam, quid faceret, monuit, ut Pisonem a Tiberio monitum quidam crediderunt.

neque ipsum polluere recte dicitur de obscuris natalibus; diceretur apte de egregiis natalibus, sed tum ausa non appellarentur. Scripserat Tacitus sine dubio: impudentibus ausis *occulebat* (et eorum memoriam obruere conabatur).

(De III, 68 dixi vol. I p. 148 n.)[1]

Lib. IV, 12 (Seianus Agrippinam, Germanici viduam, liberosque, quos amoliri volebat, veneno tollere non poterat.) Igitur contumaciam eius insectari, vetus Augustæ odium, recentem Liviæ conscientiam exagitare, ut superbam fecunditate, subnixam popularibus studiis inhiare dominationi apud Cæsarem arguerent. Atque hæc callidis criminatoribus, inter quos delegerat Iulium Postumum, cet. Recte Ernestius negat in his extremis „constructionem aut sententiam constare". Nam quod Nipperdeius hæc accusativum pendere vult ab agere, quod audiatur ex superioribus insectari et exagitare, hoc quale sit, omnino non intelligo, ut e verbis longe alius significationis post *atque* sic novum sumatur verbum. Sed Acidalii correctione (adque hæc), quam Ernestius probabat, nihil proficitur; neque enim ablativus (callidis crim.) habet, cui adhæreat. Itaque hactenus laudandus Ritterus,

---

[1]) C. 71 simpliciter restituenda est codicis scriptura, quam nuper corruperunt, nonnulli gravissime, bis addita negatione et eversa tota sententia. Non decernitur, quid fiat, quoties non incidat morbus. Licebat flamini Diali binoctium abesse; Augusto principe decretum pontificum addidit, ut, quoties valetudo adversa flaminem incessisset, arbitrio pontificis maximi diutius abesset, dum ne diebus publici sacrificii, cet Ex hac exceptione morbi causa singulari decreto data et intra certos fines comprehensa Tiberius vincebat, annuam absentiam ob provinciæ administrationem flamini non permitti. Quid apertius?

quod deesse verbum tenuit, non laudandus, quod, quo genere emendandi leviter et inscite abutitur, interposuit commisit inter callidis et criminatoribus. Scribendum minima mutatione: *alitque* hæc callidis criminatoribus (hoc est, criminatorum opera; vid. gr. Lat. § 254 n. 3).

Ibd. 14: Nam cives Romanos (Coi) templo Æsculapii induxerant, cum iussu regis Mithridatis apud cunctas Asiæ insulas et urbes trucidarentur. Omnes tacent, quasi usitate hæc dicantur; ego neque *iuducere templo* fero (longe aliud est *terris noctem inducere*), neque inductos in templum narrari debere puto, sed ibi aliquamdiu servatos. Itaque scribendum prorsus iudico *incluserant*.

Ibd. 16. Locus, in quo inde a Lipsio hærent, nihil omnino habet difficultatis, modo recte interpungatur: neque adesse, ut olim, eam copiam, omissa confarreandi adsuetudine aut inter paucos retenta (pluresque eius rei causas afferebat, potissimam penes incuriam virorum feminarumque; accedere et ipsius cærimoniæ difficultates, quæ consulto vitarentur), et *quod* (sic Rhen.; cod. quō, edd. fere quando aut quoniam) exiret e iure patrio, qui id flaminium apisceretur quæque in manum flaminis conveniret. Ita medendum cet. Minor erat copia flaminis legendi, quod pauci erant geniti confarreatis parentibus, et quod, qui lectus erat, e iure patrio exibat, quod aut ipse aut pater eius nollet; ut autem pauciores confarrearentur, fiebat partim incuria, partim difficultatibus cærimoniæ.

Ibd. 28: Isdem consulibus ... reus pater, accusator filius ... in senatum inducti sunt, ab exilio retractus inluvieque ac squalore obsitus et tum catena vinctus peroranti filio præparatur adolescens multis munditiis, alacri

[redacted]

vultu, structas principi insidias, missos in Galliam concitores belli index idem et testis dicebat cet. Sic codex. Omitto infelices emendandi conatus. Initium veri, a quo Venturius cum aberrasset, ceteros traxit, in eo positum est, ut, interpuncta plenius oratione post inducti sunt, retineantur deinde duo verba finita, tum peroranti dativus ne mutetur. Scribendum est ita: Ab exilio retractus ... peroranti filio *pater comparatur* (pr̄ comparatur, hoc est: cum eo componitur, ut tanquam par ad depugnandum efficiatur). Adulescens ... dicebat adnectebatque ... ministravisse pecuniam (qui ... festinavit). At contra reus cet. Sic demum narratio recte procedit. (De extremo capite dixi emendatt. Livv. p. 90 n.)

Ibd. 33: Utque familiæ ipsæ iam exstinctæ sint, reperies, qui ob similitudinem morum aliena malefacta sibi obiectari putent. Certa regula, quam recentissimi editores tenere debebant, scribendum esse *reperias* et ipse annotaram et Siesbyeus. Sæpe sic Tacitus, velut XI, 18 scias, hist. I, 1 averseris, cet. In hoc ipso verbo recte scribitur (reperias) VI, 22 (28), ubi in codice est repericcs.

Ibd. 43: neque Philippum potentia, sed ex vero statuisse. Neque Latinum est *potentia statuere* (quoniam neque ius neque iniuria neque animi affectus illa voce significatur), neque, si Latinum esset, ei contrarium esset *ex vero.* Contraria sunt, quæ *impotentia* (impotenti animi motu) fiunt statuunturque et quæ ex vero et æquo. Prima syllaba hausta est præcedente um, præsertim in significatione vocabuli librariis interdum parum animadversa; cfr. XII, 44. (Matris impotentia c. 57.)

Ibd. 49: Rebusque turbatis ... discordia accessit, his (e Thracibus obsessis) deditionem, aliis mortem et mutuos inter se ictus paranti-

bus; et erant, qui non inultum exitium, sed eruptionem suaderent, neque ignobiles, quamvis diversi sententiis. Verum e ducibus Dinis, provectus senecta ..., ponenda arma, unum afflictis id remedium, disserebat, cet. Neque, quo pertineat illa in iis, qui idem suadebant (eruptionem), sententiarum diversitas, apparet, neque, qui diversitas sententiarum contraria sit nobilitati aut ignobilitati (quamvis). Contra facile suspicere referri inter se neque ignobiles et verum e ducibus. Nec discordia reapse gravis significatur, nisi perire volentibus contrarius ponitur deditionis auctor. Sine dubio Tacitus aut sic aut simillime scripsit: . . . suaderent. Neque ignobiles *tantum his* diversi sententiis, verum e ducibus Dinis ... disserebat. Huius ætatis usu his diversi sententiis dicuntur contrarii et adversantes. (*Componere diversos*, hoc est, discordes, XIII, 9.)

Ibd. 53: Sed Cæsar, non ignarus, quantum ex re publica peteretur, ... sine responso (Agrippinam) quamquam instantem reliquit. Corruptum esse ex re publica manifestum est (nulla enim pars reip. petebatur); sed quod e Wurmii coniectura substituunt, ex se peteretur, barbarum est (pro a se). Tacitus scripserat: quantum *ea re* peteretur. Geminata proxima littera (*p*) factum rep., tum ex rep.

Ibd. 69: et si pone fores adsisterent, metus visus, sonitus aut forte ortæ suspicionis erant. Sic codex. Opinor fuisse: metus visus, sonitus aut forte ortæ suspicionis *erat* (hoc est, metuebatur visus cet. Duo priora membra unius generis sunt, tertium sui ordinis; itaque vitio caret aut semel positum.) Suspiciones (plur. num.) minus aptæ sunt. [Sic Rhenanus.]

Lib. V, 4: disserebatque (Iunius Rusticus), brevibus momentis summa verti; posse quandoque Germanici stitium pœnitentiæ senis. In loco

perspicue lacunoso ante omnia retinenda sunt, quæ sana reliquerunt librarii, pœnitentiæ senis (Tiberii). Scriptum fuerat ad hanc formam: posse quandoque Germanici sti[*rpem resurgere*; *darent spa*]tium pœnitentiæ senis.

Lib. VI, 31 (olim 25): quam (Agrippinam) interfecto Seiano spe sustentatam provixisse reor et, postquam nihil de sævitia remittebatur, voluntate exstinctam. Neque reperitur usquam provivere, neque ulla minima eius verbi fingendi Tacito causa necessitasve erat ad porro vivendi (aut potius vitæ trahendæ) significationem exprimendam. Credo eum scripsisse: spe sustentatam *vitam produxisse* cum substantivum post tam excidisset, natum esse verbum inauditum.

Ibd. 50 (44): Iamque multa manu (Artabanus) propinqua Seleuciæ adventabat. Neque *adventare propinqua* ullo exemplo dicitur aut ulla analogia (nam diversa sunt *advolvi genua*, *adsidere urbem*, hoc est, ad genua, ad urbem, aut genibus, urbi), neque *in propinqua urbi adventare* usitate. Scribendum: *propinquans* Seleuciæ adventabat. Ex propinquãs S natum est propinqua S.[1])

Ibd. 54 (48) in L. Arruntii, cur mori velit, causarum explicatione: sane paucos et suprema principis dies posse vitari; quemadmodum evasurum

---

[1]) C. 52 (46) *in patientia firmitudinem simulare* nihil esse Muretus intellexit nec patientiam esse in eo, quod nihil e libidinibus omittatur. Itaque recte scribi voluit impatientia eo significatu, quo apud Apuleium et Arnobium de impotenti libidine ponitur. Atque transitus ad hanc impotentiæ significationem iam apparet apud Ovidium, qui *impatientem iræ* dixit eum, qui iram cohibere non posset, hoc est, iræ impotentem.

imminentis iuventam? Sic codex; editur et supremos, improbabili correctione. Scribendum: paucos *ad* suprema principis dies, hoc est, paucos, qui supersint ad principis mortem.

Lib. XI, 8: Is (Pharasmanes) . . . nuntiabat discordare Parthos summaque imperii ambigua, minora sine cura haberi. Nam inter Gotharzes pleraque sæva, qui necem fratri Artabano coniugique ac filio eius præparaverat. Sic codex Med. (alter). Frustra transponendo sententiam efficere conantur. Exciderunt nonnulla ob bis positum Gotarzis nomen: Nam inter [*Gotarzem* ...;] Gotarzis pleraque sæva; *quin* necem fratri Artabano cet. In iis, quæ exciderunt, significatum erat Gotarzis cum altero certamen de regno.

Ibd. 14 (de litteris tribus a Claudio additis): aspiciuntur etiamnunc in ære publico dis plebiscitis per fora ac templa fixo. Delendo nuper grassari cœperunt, relicto, quod nimis infinitum est: in ære publico per f. ac t. fixo. Recte iam Grotius publicandis. Sed plebiscita nulla tunc publicabantur (etsi ea etiam Mommsenius tenuit), nec unum æs publicandis legibus fixum erat, sed singularum æra figebantur. Scribendum est: in ære publicandis *plebi iis* per fora ac templa fixo. Significatur ipsa tabula senatusconsulti de iis facti, ne plebs eas nesciret, multis locis fixa.

Ibd. 23 (de Gallis): Quid, si memoria eorum oreretur, qui Capitolio et ara (arce Acidalius) Romana manibus eorundem pse satis? Scribendum opinor: qui Capitolio et arce Romana manibus deorum *depulsi sint.* Nam aptissime in hac re manus deorum sua templa tutantium nominantur; manubiæ deorum, quas Nipperdeius et Halmius a Perizonio acceptas (etsi is aliter verba scripsit) posuerunt, vereor, ut ullæ usquam dicantur; imperatorum manubiæ dis consecrantur.

Ibd. 31: Ferunt Vettium Valentem ... interrogantibus, quid aspiceret, respondisse tempestatem ab Ostia atrocem, sive cœperat ea species, seu forte lapsa vox in præsagium vertit. Ineptum est cœperat et initii notio, cum significetur ea species vere obiecta. Tacitus scripserat: sive *ceperat eam speciem.* Omisso *m* factum ea species. [Vett. edd. ceperat ea species.]

Ibd. 34: Instabat quidem Narcissus aperire ambages et veri copiam facere; sed non ideo pervicit, quin suspensa et, quo ducerentur, inclinatura responderet. Claudii suspensa respondentis ambages erant; eius veram voluntatem Narcissus scire volebat; ipse Claudio iam omnia narrarat et veri copiam plenissimam fecerat. Certissimum est a Tacito scriptum fuisse: Instabat quidem Narcissus, *aperiret* ambages et veri copiam *faceret*, sed non ideo pervicit, cet.

Lib. XII, 18 codex: propriis odiis infensum; editur: non infensum; paulo melius est: pr. od. *inoffensum.* [Sic Iac. Gronovius.][1])

Ibd. 51: Interim Zenobiam ... placida illuvie spirantem ac vitæ manifestam advertere pastores. Nunquam sic dici *illuviem* de aqua ripam exeunte et stagnante substituendamque *eluviem* Gronovius intellexit. Sed ablativus nudus ferri nequit. Scribendum igitur placida *in eluvie*, ex quo inluvie facillime nasci potuit.

---

[1]) C. 44 pravum esse potentiæ promptæ fere omnes post Lipsium consentiunt, sed corrigendo aberrant, spreta Freinshemii verissima emendatione: iuvenem *impotentiæ* promptæ (post em syllabam), hoc est, cupiditatis et vehementiæ ad agendum promptæ. Cfr. IV, 43. Ipse sponte in idem incideram.

Ibd. 64 (de prodigiis): Fastigio Capitolii examen apium insedit. Biformes hominum partus, et suis fetum ediditum (edd. editum), cui accipitrum ungues inessent. Neque accusativus cum infinitivo ferri potest et violenter fit fetus editus. Scribendum monstrante indicio codicis: et suis fetum editum *esse creditum* (est), cui, cet. Cfr. I, 28: et postquam ortæ nubes offecere visui creditumque conditam (lunam) tenebris; IV, 55: Pergamenos ... satis adeptos creditum. Ab editum ad creditum oculus aberravit et ex duobus unum conflatum est.

Ibd. 65 recepto, quod Ferrarius et alii invenerunt, metum pro meritum, locus sic interpungendus est: Convictam Messalinam et Silium; pares iterum accusandi causas esse, si Nero imperitaret (hoc est, si ei successio daretur cum summo periculo, ne Claudio mors festinaretur); Britannico successore nullum principi metum; at novercæ insidiis domum omnem convelli. Sic nihil „fere desperati“ est.

Lib. XIII, 26 (ubi exponitur deliberatio de pœna in libertos male meritos statuenda): quibusdam coalitam libertate inreverentiam eo prorupisse frementibus, ut, vine (sic Ernestius et alii; cod. om. ut) an æquo cum patronis iure agerent, sententiam eorum consultarent (hoc est, superbe patronis optionem facerent, utrum vi secum libertos agere an æquo iure mallent) ac verberibus manus ultro intenderent, impune (sic margo Gryph. pro impulere) vel pœnam suam dissuadentes. Quid enim aliud læso patrono concessum cet. Pro dissuadentes, quod neque ad ceteram libertorum protervam contumeliam aptum est neque ad id, quod subiicitur, opinor scriptum fuisse: pœnam suam *ipsi suadentes*. Pœnam levem et

contemptam ipsi contumeliose patronis ut imponerent suadebant. Tum in proximis non dici Latine *grave est retinendi* pro eo, quod est *retinere* (XIV, 21: nec cuiquam iudici grave aures ... impertire, etsi pæne ridiculum est exemplo uti), argumentis docerem, si ea, quæ ad defendendum afferuntur, intelligerem (velut quod *faciendi*, quod est *τοῦ ποιεῖν*, comparatur cum *τὸ τοῦ ποιεῖν*, aut quod huiusmodi Græca finguntur: *ἀηδές ἐστι τὸ τοῦ ἀκούειν*, etsi debebat fingi: *ἀηδές ἐστι τοῦ ἀκούειν*), aut si duo, quæ præterea ponuntur, exempla similia putarem aut per se rectum crederem: *manet provincialibus ostentare.* Nunc simpliciter dico ante manumissis excidisse *onus.* (Ritterus munus posuit, non aptum vocabulum). Postremo verissime codd. dett.: quos beneficia commutavissent (hoc est, qui ex bonis et obsequentibus servis manumissionis beneficio liberti ingrati et contumaces facti essent) pro non mutavissent; idemque sponte scripseram.

Ibd. 31 ex his: ne quis magistratus aut procurator in provincia obtineret, spectaculum gladiatorum ... ederet, fit: in provincia, *quam* obtineret, spect. Imprudentissime deletur obtineret; facile excidit quam post cia.

Lib. XIV c. 26 (nam de c. 20 dixi vol. I p. 116, de confiniis c. 25 et 26 p. 30) in codice scribitur: pars (recte Halmius partes) Armeniæ, ut cuique finitima, parsnipulique et Aristobulo atque Antiocho parere iussæ sunt; editur e Gronovii coniectura: Pharasmani Polemonique et Aristobulo. Sed Polemo, Ponti rex, et longe aberat, nec eius ullæ in iis, quæ hic attinguntur, rebus et certaminibus partes erant. Scribendum tantum: Pharasmanique et Aristobulo atque Ant. Cum ex pharas factum esset pars, ex eo, quod supererat, manique ortum nipulique (fortasse prius manipulique).

Ibd. 28: Auxitque patrum honorem statuendo, ut, qui ... ad senatum provocavissent, eiusdem pecuniæ periculum facerent, cuius ii, qui imperatorem appellavere. Pravissimum narrandi tempus; scribendum *appellarent*.

Ibd. 29: (Suetonius Paulinus) naves fabricatur plano alveo adversus breve et incertum. Non magis quam Ernestius et alii fero hæc adiectiva sic absolute singulari numero pro substantivis posita; et quod nonnulli brevia ponunt, eo magis eminet pravitas in altero nomine; nam *incerta maris*, *tempestatum* novi; ferrem fortasse sine genetivo *incerta*; *incertum* tolerari nequit. Suspicor excidisse *mare* post incertum, sententia non discedens ab iis, qui littus post breve addebant.

Ibd. 39: Cuncta tamen (a Polyclito de hostibus se irridentibus) ad imperatorem in mollius relata, detentusque rebus gerundis Suetonius, quod post paucas naves ... amiserat, ... tradere exercitum Petronio Turpiliano ... iubetur. Non rebus libere et strenue gerendis et alia nescio qua opera delectationeve detentus Suetonius est, sed Polyclito impediente detentus *a* rebus gerundis et mox e provincia revocatus. (Vitium senserat Faernus. Nipperdeius incredibiliter enarrat, quasi sit *in reb. ger. retentus.*)

Ibd. 44: servi si prodant, possumus singuli inter plures, tuti inter anxios...agere. Nulla sententia est, nisi scribas: servi *ni* prodant. Agitur de cavendis servorum proditionibus, non de contemnendis, subiiciturque: Suspecta maioribus nostris fuerunt ingenia servorum. Ipse coniunctivus ad ni aptior. Etiam IV, 28 extr. Tacito ni pro si reddidi. (Sensit vitium Nipperdeius, sed violenter multa vertit et evertit.)

Ibd. 54 (in Senecæ apud Neronem oratione): Superest tibi robur et tot per annos visum fasti-

gii regimen: possumus seniores amici quietem reposcere. Vehementer offendit sic nude dictum de principali loco et gubernatione *fastigii regimen;* nec aut *visum regimen* aut *superest visum regimen* tolerabile videtur. In altera pravi participii syllaba latet, quod requiritur: *summi* fastigii regimen; prior ex his orta: et tot per annos *nosti* summi f. reg. Ex semel scriptis litteris nos (annosti summi) initium mendi natum est. [Summi iam Wurmius.]

Ibd. 58 (in mandatis L. Antistii ad Rubellium Plautum, ut Neronis crudelitatem armis capiendis præveniat): effugeret segnem mortem; otium suffugium et magni nominis miseratione reperturum bonos, consociaturum audaces. Varie tentatur otium, mendi manifestum; mihi verisimillimum videtur: *in motu* suffugium; et magni cet. Contrarius segni morti commendatur motus; additur, quid in eo spem faciat. Sed paulo ante quod nunc editur: Vana hæc more famæ credentium otio augebantur, etsi otiosi famam circumferre solent, tamen credentium otio augeri ea vix recte dicitur, putoque cum Gronovio fuisse *odio* (Neronis).

Ibd. 60: Inde crebri questus nec occulti per vulgum, cui minor sapientia ex mediocritate fortunæ pauciora pericula sunt. His quamquam Nero pœnitentia flagitii coniugem revocavit Octaviam. Non revocatam, sed inanem eum rumorem fuisse, satis ex iis, quæ sequuntur, apparet. Itaque sponte scripseram: nec occulti per vulgum, cui minor sapientia et ex (sic Puteol., Halm. sapientia et) mediocritate fortunæ pauciora pericula, *rumores*, *tanquam* Nero pœn. fl. coniugem *revocarit* Octaviam. Exim læti Capitolium scandunt cet. Postea tanquam iam Rhenanum præcepisse vidi, tanquam ... revocarit Nipperdeium,

qui inter His et tanquam lacunæ signa posuit. De loci forma non dubito, nec admodum difficulter ex rumores nasci potuit sunt his; si quis tamen propius ad litterarum vestigia accesserit, libenter accipiam. Illud fortasse annotandum, huius et inferioris ætatis scriptores post opinionis, famæ similemve significationem sæpe tanquam aut quasi ponere, ubi antiquiores sententiam infinitam posuissent; velut Tacit. ann. III, 12 (*differrique per externos, tanquam veneno interceptus esset*), XIV, 22 (*de quo vulgi opinio est, tanquam ... portendat*), hist. II, 65 (*detulerat tanquam*); Senec. quæst. nat. II, 32, 2, Gell. III, 9 (*fama ... tanquam ... progenitus foret*); Sueton. Aug. 6, 28, Tib. 11, 21, 44 (ubique *quasi*). Quamquam pro tanquam codex etiam XV, 39.

Lib. XV, 12: Ille (Corbulo) ... qua proximum et commeatibus non egenum, regionem Commagenam ... petivit. Vix credo ferri posse impersonaliter dictum: *qua commeatibus non egenum erat.* Itaque ante et excidisse suspicor *iter* (qua proximum iter et c. n eg.)

Ibd. 21: Decernaturque et maneat provincialibus potentiam suam tali modo ostentandi. Hoc ferri non posse iam ad XIII, 26 dixi, præsertim cum ne infinitivus quidem rectus foret (*maneat provincialibus ostentare*). Sed mendum manifestum est etiam in potentiam; nulla enim in hac re potentia provincialium erat, sed voluntatis et iudicii significatio, interdum potentis aut gratiosi hominis auctoritate expressa. Scripsisse Tacitum opinor: et maneat provincialibus *potestas sententiam* suam tali modo ostentandi. (Potestas etiam Rittero in mentem venerat, sed longe aliter.)

Ibd. 25: Syriæque excutio citio (C. Cestio Pighius et Nipperd.), copiæ militares Corbuloni permissæ. Nihil prorsus est, quicquid Nipperdeius molitur, Syriæ (provinciæ) *executio*, cum præsertim con-

traria ponatur copiis militaribus, ut satis appareat, universi negotii Syriaci executionem non permissam Cestio. Scribendum sine dubio: Syriæ *iurisdictio* C. Cestio, copiæ militares Corbuloni permissæ. Hæc recte contraria ponuntur, omni, quæ copias militares non complectatur, administratione iurisdictionis nomine comprehensa; cfr. I, 80: *in iisdem exercitibus aut iurisdictionibus habere.* De nomine hominis nihil præsto.

Ibd. 28: Tempus propinquum, locus, in quo nuper obsessæ cum Pæto legiones erant, cum barbaris delectus est ...., Corbuloni non vitatus. Necessario scribendum: cum delectus *esset.* Longe aliter dicitur indicativi perfectum cum illa coniunctione (*tum, cum* aut *quoties*). [Sic veteres editiones.]

Ibd. 36 (Neronis verbis ratio redditur omissi consilii in provincias proficiscendi): Vidisse mæstos civium vultus, audire secretas querimonias, quod tantum auditurus esset, cuius ne modicos quidem egressus tolerarent, cet. Corrigitur aditurus, addito iter aut itineris. Scribendum erat: quod tantum *abiturus* esset, hoc est, tam longe et diu.

Ibd. 51: Ergo Epicharis plura et omnia scelera principis orditur; neque senatui quid manere. Sed provisum cet. Neque *Epicharis plura* sic sine verbo recte dicitur (præsertim sequente et omnia atque et ... orditur), neque comparativus, quo referatur, habet, neque *ordiri principis scelera* de commemorandis usitate ponitur. In plura et latet infinitivus: Ergo Ep. *deplorare* (enumerare?) omnia scel. princ. orditur. Deinde ad lacunam explendam sufficere puto verumque esse: [*Neque populo*] neque senatui *quicquam* manere.

Lib. XVI, 1: Ceterum, ut coniectura demonstrat, Dido Phœnissam ... illas opes abdidisse. Simpliciter tollendum ut. Exposito invento Cæsellius con-

iecturam adiungit. Ablativus (coniectura) pro nominativo acceptus particulam genuit.[1])

Ibd. 16: At nunc patientia servilis tantumque sanguinis domi perditum fatigant animum et mæstitia restringunt. Videndum, ne scribi debeat *restinguunt*.

Ibd. 26 (in eorum oratione, qui Thraseæ mortem voluntariam suadent): Proinde intemeratus, impollutus, quorum vestigiis et studiis vitam duxerit, eorum gloria peteret finem. Quid sit *gloria alicuius* finem petere aut omnino aliquid facere, non intelligo. Scriptum fuerat: eorum *gloriam* peteret *fine*, translata lineola, hoc est, glorioso fine iis se æquaret.

Ibd. 28 (in Eprii Marcelli oratione): Denique agere senatorem et principis obtrectatores protegere solitus veniret; censeret, quid corrigi aut mutari vellet; facilius perlaturos singula increpatium quam nunc silentium perferrent omnia damnantis. Primum agere senatorem non solus Thrasea, opinor, solitus erat, sed omnes; immo is minus videbatur id facere, qui sæpe aberat, plerumque tacebat. Scribendum: Denique *ageret* senatorem et, principis ... solitus, veniret. Postulant, ut iure suo utatur, officio

---

[1]) Cap. 12 necessario cum Lipsio scribendum; Et menses (cod. mensis), qui Aprilem eundemque Neroneum sequebantur (sic recte Nipperd. pro sequebatur), Maius Claudii, *Iulius* Germanici vocabulis mutantur. Alioquin transmissi Iunii causa subiecta intelligi nullo modo potest. Nam omissus e fastis totus mensis ridicule fingitur; et qui tum Germanicus appellari poterat? Iulii Cæsaris honorem non curabant, qui Neronem adulabantur.

fungatur. Deinde pro increpatium inde a primis editionibus scribitur increpantem, turbata membrorum concinnitate, quæ restituenda sic est: facilius perlaturos singula *increpantis vocem* quam nunc silentium perferrent omnia damnantis.

Historiarum Lib. I c. 2 in codice Mediceo est: Opus aggredior opibus casibus, atrox prœliis, discors seditionibus, ipsa etiam pace sævum. Editur e codicibus interpolatis opimum casibus; sed neque *opimus* sic simpliciter de copia dicitur, neque h. l. commune adiectivum, ad ea etiam, quæ sequuntur, substantiva aptum, poni potuit, sed quod proprietatem cum casibus coniunctam significaret, ut *atrox* et *discors*. Id erit: Opus aggredior *rapidum* casibus (de celeri et inexspectato cursu). Nocuit *r* semel scriptum (apidum). [Ernestius horridum, similiter ratiocinans.]

Ibd. 3 (in enumeratione bonorum exemplorum, quæ hoc quoque seculum protulerit): propinqui audentes, constantes generi, contumax etiam adversus tormenta servorum fides, supremæ clarorum virorum necessitates, ipsa necessitas fortiter tolerata et laudatis antiquorum mortibus pares exitus. Nulla arte effici potest, ut non pravissime necessitatibus tanquam diversa ipsa necessitas superponatur, supremæ autem clarorum virorum necessitates per se (quæ nihil monstrant nisi tristem crudelitatem) inter bona exempla ponantur, seiunctæ a fortitudine tolerandi, in qua una exemplum est. Scribendum: supremæ clarorum virorum necessitates ipsa *necessitate* fortiter *toleratæ*, laudatis cet. Acumen quæritur ex necessitatis varia significatione. [Sic Rupertius.][1])

[1]) Cap. 10 (in loco de Licinii Muciani ingenio et moribus) quod ante quadraginta annos emendaveram et ter in scholis secutus

Ibd. 31: Dilapsis speculatoribus cetera cohors non aspernata contionantem, ut turbidis rebus evenit, forte magis et nullo adhuc consilio par signas quam, quod postea creditum est, insidiis et simulatione. Sic (inde a voce par) codex Med. Editur ex Agricolæ coniectura: nullo adhuc consilio parat signa. Sed quid sit *signa parare* aut quam cohortis actionem h. l. significet, parum exponitur. Litteræ verum ostendunt: forte magis et nullo adhuc consilio *pars magna* quam cet. Plerosque sine fraude contionantem quiete et cum assensus specie audisse Tacitus dicit, nonnullos insidiarum crimine non liberat. [Iam Puteol. pars ingens.]

Ibd. 37: etiam plus rapuit Icelus quam quod Polycliti et Vatinii et Ægialii (Ryckius, Ritterus

---

eram: nimiæ voluptates, cum vacaret, quotiens *se* expedierat (Germanice: so oft er sich losgerissen hatte, pro quotiens expedierat), magnæ virtutes, id nunc Ritterus occupavit. Frustra prorsus expediendi verbo affingitur significatio in bellum et expeditionem eundi, et cum magna confusione ad eam probandam ponuntur ii loci, in quibus *expediri* (passive) de præparatione ad iter ingrediendum (Germ.: sich fertig machen) dicitur. C. 88 pervagato errore, quem Faernus sustulit, pro expediri iubet (Germ.: sich fertig zu machen, sich bereit zu halten), cum factum esset expediriubet, scribitur expedire iubet; recte scribitur II, 99 (corruperunt Halmius et Her.), IV, 83 (ann. XV, 10 expediri itineri), respondetque his activum expedire copias (ann. XIII, 7), sese expedire (XIV, 8). Non bellicam tantum Muciani industriam, ne maiore quidem ex parte, significari patet ex II, 5. Præterea scribendum: variis illecebris potens *set* (pro et) cui expeditius fuerit tradere imperium quam obtinere. Extremo capite scribendum puto: Occulta fati *vi* et ostentis ac responsis destinatum Vespasiano . . . imperium post fortunam credidimus. Nam *lege*, quod additur in codd. dett., minus facile excidere poterat; *occulta fati credere* nihil est hoc loco.

et Helii) perierunt. Postremum verbum varie mutant (paraverunt, pepererunt, alia), verbis nimis lenibus de libertinorum illorum rapinis positis, omnibus supervacaneis; nam in illa sententia satis erat: plus rapuit Icelus quam Polycliti et Vatinii. Mendum alibi latet, quo reperto sublatoque acumen elucet: quam *ob* quod Polycliti ... perierunt. Superavit iam Icelus ea furta divitiasque, ob quas liberti opum fama noti morti dati sunt.[1])

Ibd. 74: quemcunque quietis locum prodigæ vitæ legisset. Vitiose bis vitæ genus significatur nec idem: *quietis locum legere* et *locum legere prodigæ vitæ.* Scribendum: quemcunque *e* quietis locum, h. e. ex iis, quæ bellum motusque civilis non attigisset.

Lib. II, 10: Id senatus consultum, varie iactatum et, prout ... reus inciderat, infirmum aut validum, retinebat adhuc (Med. adhunc) terroris, et propria vi Crispus incubuerat delatorem fratris sui pervertere. Edunt, Puteolanum sequentes, retinebatur adhuc, deinde terrori, et ex Acidalii coniectura; (quod nuper set substitutum est, ea particula apta non est). Non valde placet in senatus consulto non abolito consilii significatio. Venit in mentem: retinebat adhuc *terrores*, ut cogitetur de singulis, qui terrebantur.

Ibd. 11: Nec illi (Othoni) segne aut corruptum luxu iter, sed lorica ferrea usus est et ante signa pedester, horridus, incomptus famæque dissimilis. Etsi ann. XII, 60 equites Romani Ægypto

---

[1]) Cap. 32 recte Ritterus: Denique eundi ultro, si ratio sit, eandem mox facultatem, regressum, si (pro regressus, si) pœniteat, in aliena potestate. Nam *facultas . . . in aliena esse potestate* vitiosa abundantia dicitur.

præfecti appellantur equestres dignitatis nomine (nam de XIII, 10 dubitatur), tamen admodum dubito, dicine potuerit *pedester eo* pro eo, quod est *pedes* aut *pedibus*; nec recte coniunguntur usus est et ... pedester. Med. pedestre. Fuerat: et ante signa *pedes ire*, horridus, cet.

Ibd. 12: Blandiebatur cœptis fortuna, possessa per mare et naves maiore (cod. et mai.) Italiæ parte (cod. partes) penitus usque ad initium maritimarum Alpium. Maior Italiæ pars non sane per mare et naves possidebatur, sed legionibus et cohortibus. Scribendum retracta voce, quæ propter similitudinem litterarum omissa est: maiore *oræ* Italiæ parte.

Ibd. 28 extr.: non abrumpendos ut corpori validissimos artus. Non aptum ut, quoniam non comparatio ponitur (*abr. cohortes ut corp. val. art.*), sed imago, putoque fuisse: non abrumpendos *suo* corpori valid. artus. [Sic Heinsius.][1])

Lib. III 16: nec sponte Antonii properatum, et fore, quæ acciderant, rebatur. Imo: quæ (reapse post) *acciderunt.* Quæ iam ante acciderant, non rebatur fore.

Lib. IV, 5: Helvidius Priscus regione Italiæ Carecinæ municipio Cluvios, patre cet. Sic Mediceus. Vix credi potest, Caracenæ (potius quam Carecinæ) nomen perrarum, sed verum testimoniisque Ptolemæi et Zonaræ confirmatum (præterquam quod apud Plinium mai. III, 106 Caretini Supernates et Infernates nominantur) aliena manu additum esse; si quis tamen id factum putat, dicendum ei est, cum legeretur nimis infinite regione Italiæ, id

---

[1]) De II, 40 dixi emendatt. Livv. p. 135 n. Mire Heræus „zu einem Feldzuge". Qui hoc cum pravæ superbiæ significatione contrarium alteri non ut ad pugnam poni potest?

nomen adscriptum esse; qui hæc omnia regione Italiæ Caracenæ tollunt, prorsus inconsiderate faciunt. Sed mire ablativus regione ponitur, mire additur Italiæ, miro ordine dicitur Caracena *e* (nam hoc abesse nequit) municipio Cl. Opinor Tacitum scripsisse: Helv. Priscus, *origine Italica e* Caracenæ municipio Cluviis. (Nam sic municipium, quod apud Livium IX, 31 Cluvia est, Tacitus appellasse videtur, Cluvias.) Primum Italiæ indigena Helvidius fuisse dicitur, deinde locus ipse indicatur, addito oppiduli nomini regionis nomine. Qui regionis nomen non ferunt, scribere debent: origine Italica e municipio Cl. [In origine incidit Wexius.]

Ibd. 33: Cæsorum eo die in partibus nostris maior numerus et imbellior, e Germanis ipsa robora. Scr. maior numerus, *sed* imbellior, e Germ. cet.

Ibd. 42: et quem adhuc quæstorium offendere non audemus, prætorium et consularem visuri sumus? Prætoriumne et consularem Regulum visuri essent, nihil ad rem pertinebat, nec id negari poterat futurum, potiusque probabile erat, qui quæstor tantum posset, facile ad maiores honores perventurum. Scripsit Tacitus: prætorium et consularem *ausuri* sumus? Id Montanus negat fieri posse, si ne nunc quidem audeant. Ausus pro visus reponendum erit etiam apud Gellium VI, 3, 25. [Ausuri etiam Lipsius in marg.][1])

Ibd. 58: quis deinde sceleris exitus, cum Romanæ legiones contra direxerint? Scr. cum R. legiones *se* contra direxerint?

---

[1]) Cap. 46 quod Halmius Haasium primum vidisse scribit, ego multo ante adolescens (a. 1828) dixeram in appendice disputationis de Asconio p. 23 not.

Ibd. 62: revolsæ imperatorum imagines, inhora signa. Sic Med. Editur inhonora, adiectivo Pliniano. Aptius, opinor, *indecora*.

Ibd. 65 (in responso Germanis ab Agrippinensibus dato): sint transitus incustoditi, sed diurni et inermes, donec nova et recentia iura in vetustatem consuetudine vertantur. Iura non consuetudine vetera fiunt, sed tempore et vetustate consuetudo efficitur. Tacitus scripserat: donec nova ... iura *vetustate in consuetudinem* vertantur. Præpositio in *m* conversa, deinde pravo loco suppleta est.

Lib. V, 7: nam cuncta sponte edita aut manu sata, sive herba tenus aut flore seu solidam in speciem adolevere, putria et inania velut in cinerem vanescunt. Nulla est *solida* species, sed *solidi*; et, si est, nihil ad eam pervenire dicitur. Sed solidam Salmasii est; codex habet solitam. Opinor fuisse: nam cuncta ... sata, *ubi* herba tenus aut flore solitam in speciem adolevere, putria ... vanescunt. Id verum est, initio cuncta solitam speciem servare herba aut flore tenus, tum vanescere. Ubi in sive mutato additum est seu.

Ibd. 15: aut, si quid stabile occurrebat, totis illic corporibus nitentes. Puto fuisse *illuc*.

In **Germania** et Agricola codicibus utimur recentibus, nullo præcipuæ auctoritatis; itaque non pauca merito dubia et suspecta certo corrigi nequeunt. In libellis scholarum usu tritis multa inaniter tentata iactataque sunt.

C. 7: et in proximo pignora, unde feminarum ululatus audiri, unde vagitus infantium. Infinitivus historicus in sententia relativa apud Vergilium ferri posset, si de præterito tempore ageretur, non de præsenti; apud Tacitum ne sic quidem ferri posset. Scribendum videtur aut: unde feminarum ululatus *audiunt*,

nde vagitus inf., ut causa mendi in sequenti unde ꞩse putetur, aut: *audiunt et* vag. inf.

Ibd. 14: magnumque comitatum (nobiles et rincipes) non nisi vi belloque tuentur; exigunt nim principis sui liberalitate illum bellatorem quum, illam cruentam victricemque frameam. 'rimum non dicitur *exigere aliquid liberalitate alicuius*, ꞩd *ab liberalitate.* Deinde ineptissime illum...illam poitur, tanquam demonstretur una certa res nobilis, quam mnes eandem petierint. Scripsit Tacitus: exigunt nim principis sui *liberalitates*, *ille* bellatorem quum, *ille* cruentam victricemque frameam. *iberalitatem* hac ætate de munere ipso dici notum est, osuitque ita Tacitus præter ann. II, 37 et hist. I, 20 tiam ann. IV, 20, plurali autem numero Suetonius Claud. 9. *Ille* ... *ille*, ubi exspectes *hic* ... *ille*, iam Terenus dixit habetque Quintilianus III, 6, 93, XI, 3, 168, *ic* ... *hic* ipse Tacitus ann. XIV, 8, hist. IV, 55, *ille ut ille* Cicero, *ille vel ille* Ovidius, *ille et ille* Suetonius.

Ibd. 19: Publicatæ enim pudicitiæ nulla enia; non forma, non ætate, non opibus marium invenerit. Non causa redditur superioris sentenæ, sed transitur ad novum cum ascensu (multo vero iinus veniam esse publicatæ pudicitiæ). Itaque Lipsius tiam scribi voluit, Ritterus excidisse quædam ante ublicatæ putavit. Scribendum sine dubio: Publiatæ *enimvero* pudicitiæ. Cfr. emendatt. Livv. p. 44 n. et supra ad Cæsaris B. G. V, 7.

Ibd. 38 (de Suevis) quod artificiose enarratur varieque ꞩntatur: capillum retro sequuntur, fieri potest, ut rtum sit ex hoc: capillum *retorquent.* Separato enim etor et in retro mutato, expletæ esse possunt reliquæ tteræ (quent) ad Latini vocabuli formam, cuius generis empla non pauca in Livii et Senecæ codicibus inferiorius, quædam in antiquis accidisse vidimus.

Ibd. 44: enimvero neque nobilem neque ingenuum, ne libertinum quidem armis præponere regia utilitas est. Mire regia utilitas pro eo, quod *regibus utile* est, dicitur, nec omnino h. l., quid utile sit, agitur. Tacitus cum acerbitate aliqua et quasi novum inventum admirans dixerat: regia *subtilitas* est (ein königlicher Fiff, eine königliche Schlauheit). Eodem errore apud Gellium, I, 4, 1 voces commutatas ostendam. Contra apud Senecam ep. 49, 6 pro utilius scriptum erat subtilius.

Ibd. 46: quamquam Peucini, quos quidam Bastarnas vocant, sermone, cultu, sede ac domiciliis ut Germani agunt; sordes omnium ac torpor procerum; connubiis mixtis nonnihil in Sarmatarum habitum fœdantur. Perverse prorsus ponuntur nudi illi nominativi (neque enim h. l. in narrando breviter facti aut status alicuius significatio interponitur); nec recte sordes a cultu separantur aut torpor, qui mire infinite dicitur, ad hanc comparationem pertinet. Scribendum: *mores* omnium ac *corpora* procerum connubiis mixtis nonnihil in Sarmatarum habitum fœdantur; nisi quod pro procerum sine dubio reponendum *paucorum*, quod apte ad omnium contrarium refertur. [Corpora invenerat Muetzellius.]

Agricolæ c. 7: Is (Mucianus) ... Agricolam ... vicesimæ legioni, tarde ad sacramentum transgressæ, præposuit, ubi decessor seditiose agere narrabatur; quippe legatis quoque consularibus nimia ac formidolosa erat; nec legatus prætorius ad cohibendum potens, incertum suo an militum ingenio. Primum apparet ex his postremis et ex iis, quæ sequuntur de Agricola, non decessorem eius (legatum prætorium, cui succedebat), sed legionem seditiose egisse. Deinde prorsus prave legatis quoque

consularibus sic dicitur, quasi alii consulares contrarii intelligantur, pro eo, quod esse debebat: consularibus quoque legatis (non solum prætoriis); nec legio nimia recte dicitur, neque, si consularibus quoque (ut ita ipse dicam) nimia fuisset, prætorius Agricola missus ad eam regendam esset. Itaque aliud nomen sententiæ subiectum latet. Scripserat Tacitus fere sic: ... præposuit. *Sub* decessore seditiose agere narrabatur. Nam legatis quoque (legionum prætoriis, qui plures in Britannia erant) *consularis uis* nimia ac formidolosa erat (ut ad eam confugere et ea ad legionem compescendam uti nollent), nec legatus prætorius cet.

Ibd. 10 ea, quæ de forma Britanniæ dicuntur, interpunctionis errore et librarii particulæ adiectione corruperunt et editores minus bene tractarunt, nuper quidem delendo temere grassati. Recte enim omnia se habebunt sic distincta: Et est ea facies (oblongæ scutulæ vel bipennis) citra Caledoniam, unde et in universum fama est. (Eam comparationem, quæ vere convenit Britanniæ citra Caledoniam, fama transtulit ad universam.) Transgressis (codd. transgressis sed) immensum et enorme spatium procurrentium extremo iam litore terrarum velut in cuneum tenuatur. (Si, intrata Caledonia, transgressi fuerimus enorme terrarum ibi se pandentium spatium, Britannia in cuneum tenuatur. Caput sententiæ non magis in cunei imagine est quam in enormi spatio terrarum.) Dativus participii ponitur noto usu de condicione et loco rem spectandi et æstimandi; Gr. Lat. § 241 n. 6. (Liv. X, 30, 4, XXVI, 24, 11, XXXII, 4, 3, XXXVII, 58, 8.) (Transgressis *dein*?)

Ibd. 13 quod ipse olim reppereram (ni velox ingenio mobili pænitentia), occupavit Wexius; sed paulo post e vestigiis his codicum: Divus Claudius auctoritate operis fit: D. Cl. *auctor iterandi* operis. (Wexius iterati operis. *Auctor tandem operis* prave

dicitur; debebat dici *confector* aut *executor tandem operis*. Auctor iam Iulius Cæsar fuerat; iterandi auctor Claudius.)

Ibd. 14: Mox Didius Gallus parta a prioribus continuit, paucis admodum castellis in ulteriora promotis, per quæ fama aucti officii quæreretur. Non puto, qui provinciæ fines proferat, suum officium augere dici posse; nec eorum, qui imperio parere coguntur, officium appellatur. Itaque suspicor scriptum fuisse: aucti *obsequii* (barbarorum).

Ibd. 16: Nec Vettius Bolanus ... agitavit Britanniam disciplina. Opinor fuisse *castigavit* aut *fatigavit*. Disciplina provincia non agitatur.

(Cap. 24 emendavi vol. I p. 147.)

Ibd. 28: et uno remigante, suspectis duobus eoque interfectis, nondum vulgato rumore ut miraculum prævehebantur. Tres liburnicas non uno remigante actas nec gubernatore ad remigandum Usipios usos, quo labore ipsi fungi poterant, iam alii intellexerunt. Videtur fuisse: et uno *regente* (navium cursum). Deinde e codicum vestigiis effici videtur: Mox ad aquam atque utilia *raptim egressi* et cum plerisque Britannorum sua defensantium prœlio congressi. (Quod adaquatum nuper repositum est, homines *aquantur*, id est, aquam petunt, sata et pecudes *adaquantur*, hoc est, aqua irrigantur aut nutriuntur, aqua iis præbetur.[1])

Ibd. 37: Postquam silvis appropinquaverunt, item primos sequentium incautos collecti et

---

[1]) In c. 34, quem locum Halmius insanabilem putat, omnibus litteris idem scripseram, quod Ritterus edidit: Novissimæ res et, extremo metu, torpor defixere aciem cet., uno torpor pro corpora posito. Novissima apud Tacitum dici etiam ultima et ad extremum miseriæ ac necessitatis perducta notum est.

locorum gnari circumveniebant. Varie mutatur item aut eiicitur. Scribendum videtur: *iidem* primos. Significantur, de quibus proxime ante dictum est: et aliquando etiam victis ira virtusque. [Iam Gœbelius.]

Ibd. 38 tam audax videri potest suspicio mea, ut vix eam promere audeam; sed quoniam sæpius locum retractanti renata est, libere dicam. Agricola, cum post prœlium ad montem Graupium exacta iam æstate exercitum in fines Borestorum (populi ignoti) deduxisset, acceptis ibi obsidibus, præfecto classis circumvehi Britanniam præcepit. Datæ ad id vires, et præcesserat terror. De ipsa navigatione perfecta quæque in ea visa sint aut acciderint, nihil narratur ac ne verbo quidem significatur. Nemo enim illo tempore sub hiemem ignoto mari ad Britanniæ septentrionalis littora evehi ausus est. Deinde, postquam Tacitus Agricolam pedites atque equites in hibernis locasse dixit, hæc adduntur: Et simul classis secunda tempestate ac fama Trutulensem portum tenuit, unde proximo Britanniæ latere lecto omni redierat. Miram hanc orationem sic expedire conantur, ut unde coniungant cum latere lecto classemque ex eo portu proximum latus legisse, dein redeuntem eundem tenuisse accipiant. Sed quæ est tandem hæc loquendi perversitas, ut primum hæc: *unde lecto latere redierat* intelligantur: *unde enavigarat et quo lecto latere redierat,* deinde classis narretur tenuisse eum portum, quo iam ex eadem ipsa excursione *redisset* (plusquamperf. tempore)? Omitto minora, velut parum apte latus dici simul *proximum* et *omne.* Breviter dicam. Neque redierat ferri potest, neque quicquam de facta navigatione (nisi de ipso classis in portum Trutulensem adventu) his verbis narratur, sed de destinata ex hoc portu ad septentrionem versus sito, scribendumque videtur: unde proximo *anno*, Britanniæ latere lecto omni, *reditura erat* (in portus magis meridianos ipsius pro-

vinciæ, ubi stationem habere solebat et unde huc arcessita erat). Sed circumnavigandi consilio intervenit Agricolæ e provincia discessus. (Addo, etiamsi scriptura vulgata teneatur, nullo modo significari totam Britanniam tum circumnavigatam, quoniam tantum proximum latus lectum dicitur.)

Ibd. 41: Sic Agricola simul suis virtutibus, simul vitiis aliorum in ipsam gloriam præceps agebatur. In periculum et invidiam præceps agebatur, non in gloriam. Nulla hic acuminis captatio est (eo enim confugiunt editores), sed perspicua absurditas. Tacitus scripserat: simul vitiis aliorum, *ipsa gloria* præceps agebatur. Remotior causa et propior ex illa orta coniunguntur. In ex *m* ortum est.

In **dialogo de oratoribus**, quem Taciti esse neque credidi unquam nec credam, ingenio, proposito dicendique genere ab illo remotissimum, nihil emendavi, quod non ab aliis præceptum reppererim (velut in c. 26, 18 Halm. viri pro vis, quod frustra defenditur, cum sit et forma extra iurisconsultorum propriæ necessitati parentium libros inauditum et sententia pravum et ab imagine alienum).

In **Suetonii Tranquilli**, scriptoris non ingenio aut arte, sed rebus et materiæ ad instituta cognoscenda copia et scribendi simplicitate commendabilis, **vitis Cæsarum** etsi non graviter affecta oratio est, vellem tamen codicis Memmiani et Mediceorum antiquissimi scripturas ita plene et accurate editas haberemus, ut nostræ ætatis ratio et usus postulat (notatas a Rothio puto). Coniecturæ præter ea, quæ iam alii olim emendarunt, non ita frequens necessitas nec tamen prorsus rara mihi esse visa est. Sed ex Casauboni aliorumque bonis inventis non pauca indigne neglecta iacent aut nuper etiam loco, quem certo iure tenebant, deiecta sunt (velut Iul. 84 quicquid praeterea *idoneum* erat ab Heinsio repositum pro praeterea ad

donum[1]), Aug. 25 a Grutero et Burmanno inventum sub *privo* vexillo pro priore, aut, ut ex postremis vitis exempla sumam, Vesp. 4 *amicos* in recentioribus codicibus recte restitutum pro amici, quod ad Narcissi male accommodatum est, ibd. 23 tempestive satis, *ut* de quodam cet. a nescio quo antiquiore editore scriptum pro et de quodam in exemplo proferendo, Domit. 13 Turnebi *ἀρκεῖ*, 15 *disiecto* funere pro deiecto, etsi ibi ipse Oudendorpius, quod recte invenerat, deseruit), ut mihi, cum ante aliquot annos Suetonium solo Rothii exemplo utens perlegerem, pleraque denuo invenienda fuerint. Nam Burmanni Oudendorpiique parum subtile, ne dicam hebes, iudicium fuit, Ernestius, multo illis prudentior elegantiorque et in rebus declarandis accuratus, paulo tamen timidior fuit nec ad verum ex codicum vestigiis eruendum admodum acutus; Wolfius nihil prorsus effecit; Rothio stabilis et firma libertas interdum defuit. Quæ nova nec occupata emendasse videor, subiiciam.

Iul. Cæs. c. 9, ubi attinguntur obscuri rumores de Cæsaris cum Cn. Pisone conspiratione et consilio novarum rerum Romæ et in Italia moliendarum, non potest cum Transpadanis tanquam ad eam rem opportunus et idoneus nominari populus prorsus obscurus et ignotus. Itaque neque per Ambranos ferri potest similiave nomina, neque Ambrones ex Gallia Transalpina Mariique temporibus arcessi. Fortasse, quoniam novum vocabulum fingere, ut per *amburbanos* scribatur, non audeo, scribendum est per *Campanos*. Agri Campani incolarum condicio-

---

[1]) F. A. Wolfius „didicisse velit", cur minus Latinum sit esse ad donum, cum agatur de arreptis undique rebus ad flammam alendam. Similia non paucis locis supina negligentia adscripsit, interdum cum inhonesta Ernestii obtrectatione.

nem non optimam fuisse, vel ex Ciceronis orationibus agrariis constat.

Ibd. 20: Cetera item, quæ cuique libuissent, dilargitus est. Prorsus insolenter hoc dicitur (pro placuissent), longeque alius generis est *quod libet*. Suetonius sine dubio scripserat *libuisset* (ei cuique dilargiri); id quomodo corruptum sit, apparet, meminique similiter alibi pro eo, quod est: *quæ videretur*, *facere*, scriptum *quæ viderentur*.

Ibd. 22: Ex omni provinciarum copia Gallias potissimum elegit, cuius emolumento et opportunitate idonea sit materia triumphorum. Extrema verba multis modis manifesto vitiosa (in cuius, in sit, in his: emolumento idonea materia triumphorum)[1]) Iacobus Gronovius recte sic emendavit, ut cuivis et idoneas scriberet; sed quod pro sit posuit et, ponendum erat, quod contrarium esset pronomini cuivis et eius positi causam ostenderet (alioquin enim scriptum esset: elegit, emolumento cet.): cuivis emolumento et opportunitate idoneas, *sibi* materia triumphorum.

Ibd. 28: et ne absentis ratio comitiis haberetur, quando nec plebiscito (quo id Cæsari concessum erat) Pompeius postea obrogasset. Negatione (nec) sententiam everti Gronovius aliique viderunt; sed scribendum non quando et, sed quando *ei* plebiscito (quo id iubebatur). [Sic Torrentius.][2])

Ibd. 31: Cum ergo sublatam tribunorum

---

[1]) Mire Rothius p. XXXV videtur putasse tantum sit reprehendi.

[2]) Rothius Gronovii coniecturam, Burmanno et Ernestio probatam, silentio prætermisit, quasi nihil esset difficultatis aut dubitationis. Pluribus exemplis abstineo.

tercessionem . . . nuntiatum est, præmissis nfestim clam cohortibus,...spectaculo publico . interfuit. Cursus et progressio rerum significatur scri- ndumque necessario nuntiatum *esset*, sublato mendo n raro; vid. emendatt. Livv. p. 511, et quæ dicentur ad ll. I, 13, 5.

Ibd. 47: servitia rectiora politioraque im- enso pretio (comparasse). Prius adiectivum non po- it nisi ad staturam significandam pertinere, cuius laus que comparativo apte exprimi neque cum politioris genii laude recte coniungi videtur neque tam rara sse, ut immensi pretii causa fieret. Opinor Sueto- im *erectiora* scripsisse de animo et ingenio (aufge- ckte). [Sic Baumg.-Crusius.][1])

Ibd. 78: adeo indignatus sit, ut procla- averit . . . et nec destiterit per continuos dies icquam cuiquam nisi sub exceptione polliceri: tamen per Pontium Aquilam licuerit. Non leo, qui excusari possit et nec destiterit (pro nec

---

) Cap. 58 quod Wolfius negat se exputare, quomodo aliquis (debuit scribere *quisquam*) in plusquamperfecto explorasset (neque in Britanniam transvexit, nisi ante per se portus .... explorasset) hærere potuerit, summo iure Ernestius hæserat. Neque enim de rei factæ condicione ante impleta rectius Latine dicitur *non fecit, nisi ante explorasset* (pro eo quod est: non . . . antequam aut nunquam . . . nisi explorato vel nisi perscrutatus), quam si Germanice dicas: *er that es nicht* (de re una facta), *wenn er nicht . . . untersucht hätte.* Sed quoniam mendum est etiam in per se, quod et historia convincit et loquendi usus (nam ipse dicendum erat), neque correctio probabilis suppetit, locum notatum prætermittamus neque præfracte negemus Suetonium in formam orationis minus rectam incidere potuisse, modo ne legitimam dicamus.

dest. aut et non dest.), putoque necessario tollendum et. Nam quod Suetonius se sic in notionibus coniungendis et in continuatione negationis implicavit, ut *quicquam* pro *nihil* diceret (nam non destitit Cæsar, hoc est, servavit et tenuit, ut *nihil* cuiquam polliceretur nisi sub conditione) aut *nec destiterit* pro *et destiterit* (nam destitit quicquam polliceri nisi sub cond.), idem ei accidit Tib. 45 (nec quicquam amplius pati recusantem, hoc est, et ... recusantem vel nec ... pati sustinentem) et Ner. 42 (Nec eo secius quicquam ... omisit, hoc est, nec eo secius nihil ... omisit); recte dixit Domit. 2: Nec tamen eo secius ... omni ope contendit cet.

August. 27: Namque illis (triumviratus collegis) in multorum sæpe personam per gratiam et preces exorabilibus, solus magnopere contendit, ne cui parceretur. Scrib. in multorum sæpe *persona* (cum de ea ageretur). Longe aliter dicitur: *facilis et exorabilis in vitricum fuit,* hoc est, erga.

Ibd. 32 quoniam in codice Memmiano est: Igitur grassaturad dispositis ... stationibus inhibuit, efficitur *grassaturam* .... inhibuit (de genere universo), non grassaturas (Salmas.) aut grassatores (codd. interpol.).

Ibd. 35: Senatorum affluentem numerum deformi et incondita turba (erant enim super mille et quidam indignissimi et post necem Cæsaris per gratiam et præmium allecti, quos orcinos vulgus vocabat) ad modum pristinum et splendorem redegit. Non sane *per præmium* (quod omnino vix dicitur pro eo, quod est *præmii causa*) allecti erant indignissimi homines, sed, quod cum gratia coniunctum est, in deterius vergens, per *pretium* (prætium). Quam sæpe pretium et præmium scribendo

permutentur, norunt, qui attenderunt, velut initio Catonis Ciceroniani.[1]) Sed præterea scribendum: Senatorum aff. numerum *a* deformi ... turba ... ad modum pristinum ... redegit. Non recte dicitur *numerus affluens turba*, minus etiam *deformi turba ... redegit.*

Ibd. 42: neque tamen perseverasse (se Augustus scribit in consilio tollendi frumentationes publicas), quia certum haberet post se per ambitionem quandoque restitui. Necessario reponendum *restitutum iri*, quam formam sæpe a librariis corruptam esse dixi vol. I p. 116. Nam quod Ernestius alia exempla dicit esse præsentis pro futuro positi, huius quidem generis (*certum habeo fieri*) nulla sunt, longeque aliter, ut hoc utar, apud Livium de eo, quod ante oculos iam adest et agitur, dicitur: *apparebat eosdem tribunos refici* (V, 18, 2; cfr. IV, 58 extr.).

Ibd. 43: In circo aurigas cursoresque et confectores ferarum et nonnunquam ex nobilissima iuventute produxit. Tollendum et ante nonnunquam. Quod aurigas et cursores produxit, nihil sane habet notabile, sed quod nonnunquam ex nobilissima iuventute. [Iam Torrentius.]

(De c. 66 dixi exc. VI ad Cic. fin. p. 834. C. 65 revocari debet, quod olim edebatur: neque adiri a quoquam ... permisit, ubi inde a Casaubono errorem cod. Memmiani quopiam habentis sequuntur.)

Ibd. 86 recte Siesbyeus animadvertit scribendum esse: Tuque dubitas, Cimberne Annius *ac* (pro an) Veranius Flaccus imitandi sint tibi ... an

---

[1]) Iustin. I, 7, 19 recte Gronovius: cædes Candauli nuptiarum pretium fuit pro eo, quod in codd. est, præmium. Præmium cædis nuptiæ fuerunt; cædes pretium fuit, quo nuptiæ emptæ sunt.

potius Asiaticorum ... volubilitas ... transferenda? Idem iam Casaubono in mentem venerat. C. 89 sic interpungenda oratio est: Latine formabat vertendumque alii dabat, sed plane (sine ullo artificio novove ornamento). Poematum quoque non imperitus cet.

Ibd. 91: Cum dedicatam in Capitolio ædem Tonanti Iovi assidue frequentaret, somniavit, queri Capitolinum Iovem cultores sibi abduci. Et res (de cultoribus abductis) et comparatio Dionis Cassii (LIV, 4) ostendunt de populo ædem frequentante agi, non de Augusto. Itaque aut post Iovi excidit populus aut scribendum est: Cum *dedicata* in Cap. *ædes* Tonanti Iovi assidue *frequentaretur*. (C. 94 pro dormirent Ernestius convenirent; paulo propius est *coirent*.)

Ibd. 95: et immolanti omnium victimarum iocinera replicata intrinsecus ab ima fibra paruerunt. Duæ litteræ geminandæ: ab ima fibra *apparuerunt*. Nam *pareo* pro *appareo* (extra iuris usum) antiquissimis et Apuleio similibusque relinquendum, præsertim *pareo factus*.

Tib. 24: Principatum, quamvis neque occupare confestim neque agere dubitasset, et statione militum, hoc est vi et specie dominationis assumpta, diu tamen recusavit. Tollendum et ante statione, ortum ex ultima syllaba verbi præcedentis. (*Etiam* nihil hic agit.) (Ibd. 35 revocandum, quod ante Oudendorpium edebatur: Equiti Rom. iurisiurandi gratiam fecit, *ut* uxorem in stupro generi compertam dimitteret, quam se nunquam repudiaturum ante iuraverat; codices om. ut, quod in consilio significando abesse nequit nec posset post gratiam fecit; excidit post it.)

Ibd. 43 extr. prostantesque (commentus est) ... Paniscorum et Nympharum habitu, quæ (que) palam iam et vulgo ... Caprineum dictitabant. Sic codices; prave substitutum palamque, dissoluto rerum nexu. Scribendum habitu, *ob* quæ palam cet.

Ibd. 49: Sat constat, Cn. Lentulum ... metu et angore ad fastidium vitæ ab eo actum et ut ne quo nisi ipso herede moreretur. Neque duo hæc sunt, neque recte dicitur: *Lentulum actum, ut ne ... moreretur.* Tollendum et ante ut. Ad vitæ tædium actus est, ne, si diutius viveret, alium forte heredem haberet.

Calig. 38 geminata syllaba scribendum est: Cognoscebat autem de talibus causis taxato prius modo summæ, ad quem conficiendum consideret, *et* confecto demum excitabatur. Vulgo abest et. Ibd. paulo post scribendum puto: exquirens per se pretia et usque eo *intendens* (pro extendens), ut quidam cet. (C. 51 restituendum esse, quod olim edebatur: ad vero maiora, hoc est, ad maiora vero, apparet ex iis, quæ dixi ad Ciceron. fin. II, 43 p. 218, ubi non erat, cur huic ipsi loco dubitationis notam apponerem.[1])

Claud. 10, ubi sic scribitur: Latentem ... gregarius miles, animadversis pedibus, e studio sciscitandi, quisnam esset, agnovit extractumque et præ metu ad genua sibi accidentem im-

---

[1]) C. 34 correxeram necessario: adversus *omne* omnis ævi hominum genus, Græviam iam idem voluisse ignarus. Nihil est *omnis ævi hominum genus* (pro eo, quod est: omnis ævi homines); et utrumque desideratur, ut neque ævi neque generis discrimen fuisse significetur. Talia præteriri ab Ernestio, Wolfio, Rothio!

peratorem salutavit, latet aliquid mendi; nam neque e nostro studio sciscitandi agnoscimus aliquem, neque Claudii latitantis studium intelligi potest. Mihi suspectum est ipsum agnoscendi verbum; nam studio sciscitandi militem Claudium extraxisse puto. Recta omnia erunt sic scripta: Latentem ... greg. miles, animadversis pedibus, studio sciscitandi, quisnam esset, extractum et ... accidentem ... salutavit. Qui interpolavit, non intellexit actionis gradum priorem participio significatum esse: Latentem ... studio sciscitandi ... extraxit et cet. Itaque verbum desideravit. (Cap. 9 in vacuum puto esse: in partem pecuniæ deficientem, ut ea auctione conficeretur: für das Mangelnde, f. d. Ungedeckte.)

Ibd. 20: Opera magna potiusque necessaria quam multa perfecit. Scrib. Opera magna potius necessariaque quam multa perfecit. Ea recta comparatio est. Excidit que ante quam, deinde prave suppletum est.

Ibd. 41: Initium autem sumpsit historiæ post cædem Cæsaris dictatoris, sed et transiit ad inferiora tempora cœpitque a pace civili cet. Ineptum sed et (etiam). Scribendum: ... Cæsaris, *set* transiit (relicto illo initio) ad inf. t. Etiam Ner. 15 scribendum est: neque in commune quicquam neque propalam deliberabat, sed conscriptas (pro: sed et conscr.) ab unoquoque sententias tacitus ... legens cet. [Illud Torrentius, hoc B. Crusius præcepit.]

(De c. 44 dictum est vol. I p. 19. Sed sic iam B. Crus.)

Ner. 12: item (exhibuit) pyrrichas quasdam e numero epheborum, quibus post editam operam diplomata civitatis Romanæ singulis obtulit. Hærent editores nec se expediunt. Scribendum: *pyrrichistas quosdam.* (Paulo ante verba sic interpungenda sunt: exhibuit autem ad ferrum ... equites R., et

iosdam fortunæ atque existimationis integræ iisdem ordinibus confectores quoque feram, cet.)

Ibd. 17: item (cautum), ut litigatores pro trociniis certam iustamque mercedem, pro bselliis nullam omnino darent, præbente ærao gratuita, utque rerum actu (hoc est, iis mensis, quibus iudicia exercebantur neque iustitium erat) ab ærao causæ ad forum ac reciperatores transferrenr. Cur hoc additur rerum actu? Sed, quod gravius :, anteane iudicia ad ærarium fiebant nec apud recuratores? an prolatis rebus iudicia in ærario erant? amquam causæ pro iudiciis non recte dicuntur. (Quod nestius scribit: „causæ eæ, quæ adhuc apud ærarium ient“, nihil apud Suetonium de certo genere causarum nificatur.) Tollendum causæ. Subsellia rebus prolatis ærario servabantur, rebus redeuntibus (sic quoque enim quebantur de rerum actu redeunte) ad forum transferentur gratuitoque præbebantur. Cum non intelligeretur, od esset sententiæ subiectum, additum est causæ. :. Claud. 10.

Ibd. 20 e codicum vestigiis facillime et aptissime icitur: excellentissimo cultu, *puris* ac sine ulo *lævis*. Venerat hoc in mentem Oudendorpio, sed iere ausus non est.

Ibd. 28: meretricem, quam fama erat Agripnæ simillimam, inter concubinas recepit. od abesse nequit, inter *e* et *si* excidit: Agrippinæ *se* simillimam.

Ibd. 32: Ante omnia instituit, ut e liberrum defunctorum bonis pro semisse dextans cogeretur, qui sine probabili causa eo nomine sent, quo fuissent ullæ familiæ, quas ipse ntingeret. Perspicuum erit recte attendenti aliquid esse; nam duo Nero ad fiscum ditandum constituit,

37*

primum ut e bonis libertorum omnium, non certi generis, e quibus ante semis cogi Cæsari soleret, dextans cogeretur, deinde, ut calumnia nominis pro libertis Cæsaris haberentur, qui non essent. Scriptum fuerat ad hanc fere formam: dextans ei cogeretur, [*et ut liberti haberentur,*] qui sine probabili causa eo nomine essent, quo fuissent (vel potius cum Casaubono: eo nom. fuissent, quo essent) ullæ familiæ, quas ipse contingeret. Itaque, si quis v. c. Domitius mortuus erat, nec, cur id nomen gessisset, probabilis causa reddi poterat, ad Cæsarem hereditas ut liberti revocabatur.

Ibd. 33, ubi codices optimi habent: a quadam Lucusta venenariorum indice, tantum pauci interpolati inclyta, quod pro *famosa* non recte dicitur, cum præsertim *venenaria* pro *venefica* apud bonos scriptores non legatur (sed apud Petronium, Apuleium, Tertullianum) nec *venenariorum inclita* pro eo, quod est *venenariarum inclitissima*, ferri possit, scribendum videtur: *venenorum rariorum indice.* Facillime litteræ quædam exteri potuerunt.

Ibd. 56: (Nero) alia superstitione captus, in qua sola pertinacissime hæsit; si quidem acunculam puellarem, cum ... a plebeio quodam ... muneri accepisset, ... colere perseveravit. Sic codices; efficiendum erat non icunculam, quod a Græco themate prave Latina forma fingitur, sed: si quidem *imagunculam.* Excidit im post em; nam *c* et *g* in antiqua scriptura sæpe vix discernas. Non attendit Casaubonus, cum hoc a Sabellico inventum longius a tradita scriptura discedere putavit.

Galb. 6 exciderunt paulo plura, quam vulgo putant; nam necessario exercitus aut provinciæ nomen Suetonio addendum fuit. Itaque saltem ad hanc formam scribendum:

[redacted]

ɜ. Cæsare [*in administratione exercitus Gernici in locum Gætu*] lici substitutus.

Vitell. 14: Nullis tamen infensior quam naculis et mathematicis, ut quisque deferur, inauditum capite puniebat cet. Et per se ɔule perverseque vernaculi cum mathematicis coniunguntanquam certæ artis homines, et, quæ subiiciuntur de to Vitellii, ostendunt, de uno hominum genere agi. tonius scripserat: de *genethliacis* et mathemais. (In c. 15 quemadmodum sententiæ dirimendæ nt, dixi ante multos annos opusc. acad. II p. 8. Perɔule hæc coniunguntur: Cum et prœlium et indium ... prospiceret ..., non multo post nitens facti ... iuravit cet.)

Domit. 3: Deinde uxorem Domitiam, ex qua secundo suo consulatu filium tulerat alteque anno consulatu filium vit Augustam. Sic nmianus; recte Rothius consalutavit, cum iam alii salutare subesse intellexissent (cfr. de erroris genere ec. de vit. beat. 25, 4); sed simul a Grævio sumendum alteroque anno filiam, ut scriberetur: ex qua in undo suo consulatu filium tulerat alteroque ıo filiam, consalutavit Augustam.

De grammaticis 3: ut constet ... L. Apuleium Eficio Calvino equ. R. prædivite quadringenis ıuis conductos multos edoceret. Nam in procias quoque grammatica penetraverat cet. In conductos multos præter conductum latet urbis incialis nomen, in qua ut doceret, Apuleius conductus Videtur fuisse: conductum, *ut Tolosæ doceret.*

Ibd. 22: Hic idem, cum ex oratione Tibem reprehendisset, affirmante Ateio Capie, et esse illud Latinum et, si non esset, urum certe iam inde, Mentitur, inquit, Ca-

pito; tu enim, Cæsar, civitatem dare potes hominibus, verbo non potes. Neminem reprehendimus *ex* oratione, neque grammaticus Tiberium ipsum reprehenderat, nec illud habet, quo referatur. Scriptum fuerat: cum ex oratione *Tiberi verbum* reprehendisset.

De rhetoribus 1: Nam et dicta præclare per omnes figuras per casus et apologos aliter atque aliter exponere et narrationes cum breviter ac presse, tum latius et uberius explicare consuerant. Scrib.: Nam et dicta præclare per omnes figuras *percurrere* et apologos ... exponere et narrationes ... explicare. Saltem infinitivus subest.

Liber IX.

Cap. I.

A. Gellius. M. Fronto.

A. Gellii noctes Atticas antea partibus tantum cognitas cum non ita multos abhinc annos, partim ne quid ex rerum copia me fugeret, partim cognoscendi prorsus scriptoris et ætatis ingenii causa totas perlegendas sumpsissem, nihil habui in iis subsidii præter ea, quæ Gronoviorum editio (a. 1706) et Hertzii (a. 1853) subministrabant. Codicum præter folia palimpsesta Vaticana[1]) et in prioribus septem libris et in posterioribus ex communi fonte satis depravato, plerumque tamen pervagatis erroribus nec valde occultatis laborante, ortorum scripturas Io. Fred. et Iac. Gronovii tantum delectas non certo constantive consilio indicaverunt, nec sine dubio semper accuratissime, Hertzius nullas, nisi quas tacite sequitur, interdum coniectura nonnihil deflexas.[2]) Ipse Hèrtzius Io. Fr. Gronovium iure

---

[1]) De iis Hertzius exposuit, Zeitschr. f. die Alterthumswiss. 1846 n. 87 et 88.

[2]) Exemplum luculentum, quam in lubrico versemur, ponam XIII, 12, 2, ubi Gronovius sine varietate edidit: *vecors, usque eo ut, divo Augusto*, Hertzius cum nota coniecturæ adhibitæ: *vecors, tanquam eorum, divo Augusto* cet., ubi *tanquam* aptum non est, *eorum* prorsus pravissimum.

admiratur; vellem etiam secutus esset, adhibito libero et prudenti delectu; nunc cum sibi proposuisset (præf. p. IV) librorum manuscriptorum imaginem, ubicunque aliquatenus saltem liceret, exprimere, dum timidissime, quid scribæ permittant, audacter et licenter, quid sententia et oratio, iudicat, permulta retinuit revocavitque prorsus incredibilia, quæ Gronovius aliique certissima ratione et facili apertaque via, ut erroris causa appareret, emendarant, interdum alia parum feliciter mutavit. Sed ea neque singillatim attingere nostri consilii est neque universe acerbe reprehendere æquum est, quoniam ex specimine maioris editionis, quod a. 1868 (in indice schol. Vratislav.) evulgavit (Lib. IV, c. 1—4), satis apparet longe aliam nunc eum rationem, prudentiorem liberioremque, sequi[1]); in iis me continebo, quæ

---

[1]) Ne tamen hæc temere dixisse et exaggerasse videar, ponam aliquot, ut sese obtulerint, ex variis operis partibus exempla huiusmodi mendorum, appositis inter parenthesis notas certis aliorum emendationibus, in quarum plerasque ipse nondum inspectis superiorum commentariis incidi: Præf. § 3 eruditionibus (ex auditionibus), 11 convertebant (converrebant), 15 et quid (ecquid); lib. I, 4, 8 delectitabant (lectitabant), 7, 17 sed sationem dictu certam et probam, addita prava coniectura (ratione dictum certa et proba); II, 28, 6 lumine . . . obstiterit (lumini); III, 3, 1 qui . . . lectitarunt (lectitarit; erratum est ob homines), 7, 19 post illam, operam (post illa operam), 13, 2 populos concurrentes (e populo concurrentes); VI (VII) 3, 32 necessitatibus conscripta (n. circumscripta), 11, 4 hoc vitio (hoc convicio), 12, 3 diffusam indecere (decere; error ex *m*), 17, 8 novius (notius); IX, 12, 6 de alicuius (de cuius), 14, 3 in ordinem scriptum (in ordine scriptum; ad eundem litteræ *m* scopulum, vitatum in VI, 1, 8, VI, 2, 1, offensum est XI, 2, 4 et 8, 4); X, 18, 2 provinciæ Græciæ præfectus (provinciæ præfectus), 20, 7 sive quod ad universos

ab aliis occupata saltem non novi; nam adeo multa, in quæ sponte incideram, postea intellexi ab aliis aut olim aut nuper præcepta esse, ut miraturus non sim, si ex iis quoque, quæ etiamnunc mea numero, quædam postmodum ab aliis quoque proposita reperiantur.[1]) Ceterum apud Gellium interdum mendorum convictio difficilis est, quod, quousque inepte loquendo progressus sit, non satis tuto definias, quamquam, ubi sententia indicium facit nec ulla orationis detorquendæ causa ratiove excogitari potest, frustra incredibilia finguntur, maxime quidem in syntaxi sententiarum, in qua Gellius prorsus regulam sequitur. Reperto quoque mendo perspicue tamen non semper facile est reperire, quid contortis inusitatisque et obscuris verbis exprimi voluerit.

Præf. 18: sed enim, quæ aliter apud alium scripta legerint, ne iam statim tempore obstrepant. Neque per se tempore quid hoc loco agat, video (neque enim tempestive hoc Gellius fieri significat), neque quid statim tempore. Videtur fuisse *temere*, in quod

---

pertinet (sive quod ad singulos siveq. a. u. pertinet); XI, 1, 1 bucetaque (buceraque), 9 in lemm. de legatis Milesia ac (de legatis Milesiis et), 13, 10 deformitate ad facienda ridicula (deformitate ac facie deridicula); XII, 13, 22 occasionem . . . me hanc rem impertire non putare (offensionem . . . me hanc rempublicam n. p.). Sed desino. Quid dicam de huiusmodi scripturis hic primum in textum illatis, qualis est v. c. VI, 3, 16: unusquisque nostrum, si quis . . . arbitrantur, summa vi contra nititur?

[1]) Usus sum præter illud maioris editionis specimen (ex quo inter alia didici alios ante me IV, 1, 5 scripsisse si modo non et 2, 5 æque pro neque) Hertzii ramentorum Gellianorum mantissis; vindicias Gellianas Gryphisvaldiæ a. 1858 editas non vidi. Klotzii quæstiones Gellianas (Lips. 1857) inspexi.

etiam Falsterus nostras incidit; (est enim in bibliotheca universitatis nostræ Gronovianæ editionis exemplum, quo is usus est et in cuius marginibus nonnulla annotavit).

De lib. I c. 3, 29 dictum est vol. I p. 91, quo tempore nesciebam, vocabuli ignorantes, quod tolli volebam, in codice palimpsesto nullum vestigium esse. Sed præterea, quod Theophrastus quædam cum discernendi magis disceptandique diligentia quam cum decernendi sententia scripsisse dicitur, ponendum est: cum *disserendi* magis disceptandique diligentia. De discernendo non agitur. [Sic edd. ante Gronov.]

Ibd. 4, 1 sic scribitur de Antonio Iuliano rhetore: Doctrina quoque ista utiliore ac delectabili veterumque elegantiarum cura et memoria multa fuit. Nihil hic agitur de utilitate doctrinæ, præsertim quæ comparativo significetur, mireque ea laus cum reliquis coniungitur. Gellius posuerat: Doctrina ista *subtiliore.* Totum caput est de tenui (hoc est subtili) quadam et curiosa exploratione argutiæ alicuius Ciceronianæ (ut cum Gellio singulari numero id nomen dicam). Frequentis vocum confusionis (vol. I p. 25) exemplum supra monstratum est in Taciti Germ. c. 44.

Eodem capite § 8 (in illa explicatione argutiæ) hæc leguntur: Immutavit ergo, inquit, et (hoc non recte omittitur apud Hertzium; si in codicibus deest, excidit post it) subdidit verbum ei verbo, quod omiserat, finitimum, ut videretur et sensum debitionis conlatæ non reliquisse et concinnitatem sententiæ retinuisse. Nullum Cicero verbum omiserat, sed exspectationem alius verbi moverat, ac subdidit (atque ideo consequens quidem fuerat sic dicere, cet.). Itaque scribendum est: quod *promiserat.*

Ibd. 5, 1: Et hinc et τὰ κομψά illa ... ab æmulis adversariisque probro data cet. Codex Rottendorfianus, omnium fere optimus, pro hinc et τά

ɔet hinc eita, Paris. incerta. Efficitur: Et hinc τὰ κομψά illa ... probro data. (§ 2 pro male-ctis compellationibusque probrosis Hertzius e l. palimps. dedit compellationibusque probris. rri posset compellationibusque et probris, si mpellatio per se in malam partem diceretur; sed ıil nisi error est.) Extremo capite, sublata perversa ninatione, scribendum: Dionysia, inquit, malo uidem esse, cet.

Ibd. 6, 6: De molestia igitur cunctis homi-bus notissima confessus eaque confessione lem sedulitatis veritatisque commeritus, tum nique facile et procliviter, quod fuit rerum om-um...verissimum, persuasit, civitatem salvam se sine matrimoniorum frequentia non posse. que ex illa confessione sedulum esse Metellum intelli-ɔatur, neque sedulitatis opinio quicquam ad persuaden-m pertinebat. Scribendum: *simplicitatis* verita-ıque. Quod deinde Hertzius post civitatem e cod. impsesto addidit autem, ex eodem genere est, quo ıd in c. 5, 2 probris, adeo perversum, ut mirer virum ·egium non animadvertisse, ortam geminando particulam litteris extremis vocis præcedentis (atem), neque hoc ɔque exemplo admonitum, ne palimpsesti nomen vulgari-s librarii erroribus obtentui esse sineret.[1])

Contra, nisi fallunt, quæ e Dressleri schedis a. 1846 prolata sunt, e cod. palimpsesto restituenda erant I, 2, 13 ipsum pro eum et 3, 1 die vitæ suæ postremo pro in vitæ s. p., verum non virum pro unum (quod H. fecit), non 4, 3 is retinet alienum pro aes ret. al.), non 6, 8 isdem pro iis demum, non II, 6, 5 rapsatur pro raptatur. (De virum et isdem Klotzius quoque monuit.)

Ibd. 9, 1: Ordo atque ratio Pythagoræ ac deinceps familiæ successionis eius recipiendi ... discipulos huiuscemodi fuisse traditur. Scrib. familiæ *et* successionis. De et post *ac* omisso sæpius dixi.

Ibd. 10, 2: Tu autem, proinde quasi cum matre Euandri nunc loquare, sermone abhinc multis annis iam desito uteris, quod scire atque intelligere neminem vis, quæ dicas. Nonne, homo inepte, ut, quod vis, abunde consequaris, taces? Perverse illud quod scire ... neminem vis simpliciter affirmatur. Scrib. uteris; *si*, quod scire ... neminem vis, quæ dicas, nonne, homo inepte, ... taces? Etsi aptius erat: cur non ... taces? In abhinc nulla est causa, cur Gellium a perpetua lege, de qua admonui vol. I p. 166 n., descivisse putemus (*multos annos* iam).

Ibd. 13, 5: Alii existimaverunt, incommoda prius, quæ metuenda essent, si res gesta aliter foret, quam imperatum est, ... pensitanda esse. Et hic imperatum *esset* scribendum est in oratione condicionali et generali a verbo præteriti temporis pendente (præsertim præcedente si foret), et § 8: nihil faciendum esse monuerunt aliter, quam præceptum *esset*. Non poterat indicativi perfectum ulla similitudine transituve animo occurrere. Pravius etiam est pro esset nuper positum est XV, 22, 8 (quod opus est facto). (Ad Sueton. Iul. Cæs. 31.) § 11 incredibiliter dubitatur de Salmasii emendatione: ad magistratum et deinde magistratus (codd. magg.), quam res et sermo cum codicum vestigiis consentiens certissimam efficit, quamque ipse sponte reppereram. De nomine urbis dubitari potest, etsi ipse quoque in *Mylassensium* incideram.

Ibd. 22, 16: Sed invenimus ... in hoc versu: ıde sibi memorat unum superesse laborem, id t, reliquum esse et restare, quod, quia id t, divise pronuntiandum est, ut non una ırs orationis esse videatur, sed duæ. Sensu rere illud quia id est, confitentur. Scribendum: quod *qui-* :*m* divise pronuntiandum est. [Sic edd. ante Gronov.]

Lib. II, 2, 7: Absque præiudicio, inquit ıurus, tu interea sededum cum conspicimus ıærimusque, utrum conveniat, tene potius dere ... an filium. Pravum sededum (neque enim *agedum*, *iteradum* hæc forma transferri ad ceteros imrativos potest, addito præsertim *interea*, quocum necesrio coniungitur *dum*), pravum cum pro dum, pravum nspicere in hac re. Superiores edebant: sede, dum spicimus; e codicum vestigiis efficitur: sede, dum *rcumspicimus* quærimusque. Id proprium rei rbum est. Sæpius animadverti hæc verba a *circum* mposita (*circumspicio*, *circumcido*, *circumscribo*) errori noxia fuisse; cfr. VI, 3, 32 (*conscripta*) et XII, 13, 20 *ɔnvallatos*), ad Senec. epist. 119, 10.

Ibd. 5 in lemmate pro lepide designateque tracta prava syllabæ geminatione scribendum esse pide *signateque* (id est proprie significanterque, ut ɔllius proximo cap. 6, 6 scribit et Macrobius) iam Falɔrum annotasse video.

Ibd. 6 in lemmate, ubi editur: et quid his, qui ıprobe id dicunt, respondeatur, scribi debet qui *ıprobandum* id dicunt. In ipsius capitis § 3 prorsus licule Busiris dignus esse dicitur detrectatione neris humani, tanquam hanc habiturus immanis crudelitis pœnam, ut de eius laudibus invide aliquid detrahatur. codicum vestigiis (de retractione, detractione) ïicitur non tam (quod alii ediderunt) detestatione

quam *deprecatione* exsecrationeque, ut intelligantur dirae, quas Plinius appellat, deprecationes.

Ibd. 12, 1: qui in .. eo casu civilis discordiae non alterutra parte (ad alterutram partem Gron.) sese adiunxerit, sed solitarius separatusque a communi malo civitatis secesserit, is domo, patria, fortunisque omnibus careto. Non a malo communi cives secedere vetantur, sed a communis salutis contra malum defensione. Valde suspicor malo aliena manu additum esse, cum Gellius scripsisset tantum: a communi civitatis, ἀπὸ τοῦ κοινοῦ τῆς πόλεως.

Ibd. 20, 6 (in fragmento ex Scipionis oratione): in his regionibus excelsissimo loco murum statuere aiebat; inde corrigere viam, aliis per vineas medias, aliis per roborarium atque piscinam, aliis per villam. Inepta muri subito statuti et viae, quae inde corrigatur, mentio est. Codices locorummu statuere. Subest: excelsissimo loco *grumam* statuere aiebat, inde corrigere viam cet. Agitur de agrorum divisore et mensore superbe nulli rei parcente sed ita viam corrigente, ut aliorum vineas medias secet, aliorum villam, cet. Fortasse fuit: inde *derigere* v.

Ibd. 21, 9: hoc sidus, quod a figura posituraque ipsa, quia simile plaustri videatur, antiqui Graecorum ἅμαξαν dixerunt. Sic Hertzius e codicibus pro videtur. Debebat fieri *videbatur*.

Ibd. 22, 21, ubi agitur de ventorum nominibus in certis locis usurpatis, codices optimi, Rottendorfianus et Parisiensis, sic scriptum habent: Iapigia (R Iapiga) ipsius ore proficiscente quasi finibus Apulia eodem, quo ipsi sunt, nomine iapygem dicunt. Primum scribendum: *Ex* (praecedit vertigine) Iapygiae ipsius *ora proficiscentem* ... *Apuli* eodem, quo ipsi sunt, nomine Iapygem dicunt. Et Apuli iam

alii scribi voluerant. Relinquitur illud quasi finibus, quod totum post ora (sive ore teneas) abundat, quasi autem prorsus perversum est. Sed subesse videtur, quod peraptum sit: Ex Iapygiæ ipsius ora proficiscentem *Egnatiæ* finibus. Magis etiam circumscribitur locus, unde oriri Iapyx soleat.

Ibd. 23, 9 in fragmento e Menandri Plocio v. 11 sqq. e vestigiis codicum perspicue efficitur:

λαβεῖν ἐμ' ἑκκαιδεκατάλαντον καὶ γένους
οὖσαν παχέος· εἶτ' ἐστὶ τὸ φρύαγμ' ὅπως
γένοιτ' ἂν οὐκ ἀνυπόστατον; μὰ τὸν
'Ολύμπιον κ. τ. λ.

Supplevi *γένοιτ' ἂν οὐκ.* Nocuit bis posita syllaba *αν.* Quæ alii effecerint, apud Meinekium cognosci potest. Tum § 10 in Cæciliani fragmenti v. 7, ubi in cod. palimps. scribitur: privatu' uin' me servatum, scribendum videtur:

Quæ mihi quicquid placet, eo privatum *me it;* me
servat *suum.*

Deinde § 14 in altero Menandri fragmento v. 2 sqq. scribendum puto:

κυρίαν τῆς οἰκίας
καὶ τῶν ἀγρῶν, καὶ πάντ' ἐκείνης· [ἔστι δ' ὧν]
ἔχομεν, Ἄπολλον, ὡς χαλεπῶν χαλεπώτατον.

In codicibus ob *τῶν ἀγρῶν* primum scriptum est *καὶ πάντων,* tum additum *ἀντ'.*

Postremo § 20 in tertii fragmenti v. 8 e codicum vestigiis efficitur:

τῶν μὲν ἀνιαρῶν ἔχων
τὸ μέρος ἁπάντων, τῶν δ' ἀγαθῶν οὐδ' ὀνάμενος.

Lib. III, 2, 10. Codices, si recte interpretor, quæ obscure Iac. Gronovius tradidit Hertziusque notavit: post mediam noctem auspicantur et post meridiem solem agnunt auspicatique esse et egisse eodem die dicuntur. Videtur Gellius scripsisse: et post

medium solem agunt, interpretando natum post meridiem, retento solem. *Sol magnus* nihil est.

Ibd. 3, 4: qui (versus) quoniam sunt, ut de illius Plauti more dicam, Plautinissimi, propterea et meminimus eos et ascripsimus. Sic Hertzius e codicibus; superiores Plauti omittebant. Rectum est: ut de *illis* Plauti more dicam.

Ibd. 7, 8: Consul tribuno respondit, consilium quidem istud æque providens sibi viderier, sed cet. Sic Hertzius, secutus, Gronovio suadente, codicem regium; Rottendorfianus atque. Ferri nequit æque nusquam relatum. Excidit ante istud alterum adiectivum ad litteras particulæ quidem similitudine accedens: consilium quidem *fidele* istud atque providens sibi viderier. (Vulgo iam olim edebatur: consilium sibi fidum atque prov., non recte omisso istud.) Certior tamen est emendatio infra § 19, ubi editur: Leonidas Laco qui (codd. boni lacu qui) simile apud Thermopylas fecit, propter eius virtutes omnis Græcia gloriam atque gratiam præcipuam claritudinis inclytissimæ decoravere monumentis cet. Oratio prorsus non cohæret (in quo genere nihil omnino negligentiæ libertatisque propriæ Gellius habet), pendetque nominativus (Leonidas L.), mireque deinde infertur propter eius. Prave virtutes (plurali numero) pro virtute appellantur, prave propter virtutes gloria decorata dicitur. Scribendum: Leonidas Laco *quia* simile apud Thermopylas fecit, *propterea* eius *virtutis* omnis Græcia (vel potius *omnes Græci*) gloriam atque gratiam præcipuam claritudinis inclytissimæ decoravere monumentis (monumentis claritudinis incl.) Extremo capite (§ 21) errore apud Hertzium scriptum puto: Claudius autem Quadrigarius annalis tertio, quoniam superiores (Gronovii quoque) recte annali nec

nicquam in discrepantia scripturæ notatur. Certe, quod pud Ciceronem semel legitur (Brut. 58) et apud Quinlianum (VI, 3, 86 in ioco), frequentissimum est apud ellium, in primo, in secundo, in tertio annali et c porro; alioquin in tertio annalium, quomodo non inus frequenter loquitur, dicendum erat. Unius annalis bri plures nec Quadrigarii nec aliorum erant.

Ibd. 10, 14: Discrimina etiam periculoum (M. Varro) in morbis maiore vi fieri putat in iebus, qui conficiuntur ex numero septenario, osque dies omnium maxime, ita ut medici apellant, *κρισίμους* cui videri primam hebdoadam et secundam et tertiam. Sic codices boni. xciderunt quædam, cum ad hanc fere sententiam scripım esset: *κρισίμους* [*esse, item infantibus esse ρισίμους*] videri primam hebdomadam cet. Sed cui quid lateat, nescio.[1])

Lib. IV, 6, 2 (quoniam de 1, 5 et 2, 5 otium mihi b aliis factum video) in senatus consulto, ubi sic Iertzius edidit: uti M. Antonius consul hostiis aioribus Iovi et Marti procuraret et ceteris is, quibus videretur, placand[is]. Ibus uti pro-

[1]) Hertzius rament. Gell. III (1868) p. 13 et 14 cui simpliciter delet, reliquas difficultates non attingit. C. 16, 1 olim, cum solo exemplo Bipontino uterer, annotaveram scribendum esse: septimo rarenter, nonnunquam (pro nunquam) octavo, sæpe nono, sæpiusnumero decimo mense. Præceptum video a Meursio, sed spretum. Qui potest tandem quemquam admonitum fallere apertus per gradus ascensus et ipsa rei necessitas? Nam quod Iac. Gronovius, præstantis viri filius parum similis, opinionem hanc (nunquam octavo mense hominem nasci) refelli putat, neque refelluntur hæc postea, sed confirmantur, neque fuit unquam tam stulta opinio, quæ septimo quidem mense hominem nasci putaret, sed octavo nunquam.

curasset, satis habendum censuerunt, uncis significans in codicibus litteras is non esse, superiores autem placandis; uti cet., per se intelligi poterat falsum esse procurare dis placandis et discrimen aliquod significari honoris, qui Iovi et Marti haberetur, et eius, qui ceteris dis; nunc ex illo placantibus (pro quo in codd. fortasse aliquid propius fuit) perspicue apparet sic scribendum esse: hostiis maioribus Iovi et Marti procuraret et ceteris dis ... *lactentibus*. *Is* uti procurasset, cet. Vid. ad Liv. XXII, 1, 15. In lemmate capitis scribendum est: Verba veteris senatus consulti *posita* (pro sita, quod superiores edd. omittebant), quo decretum est cet. [Sic Lion.]

Ibd. 9, 9 non lacuna notanda erat, quæ nulla est, sed tollenda verba ab hoc loco, ubi de templis delubrisque agitur, alienissima et ad disputationem infra positam de discrimine verborum in *osus* cadentium, quæ de moribus et ingeniis cum laude aut vituperatione dicuntur, spectantia, quæ ex annotatione marginali errore huc irrepserunt. Nam iis detractis reliqua optime sic cohærent: Secundum hanc Sabini interpretationem templa quidem ac delubra, quia non vulgo ac temere, sed cum castitate cærimoniaque *adeuntur* (sic pro adeundum, quod in codd. est, scribendum, non adeunda nec adeuntium) et reverenda et reformidanda sunt magis quam invulganda, sed dies religiosi dicti, quos ex contraria causa, propter ominis diritatem, relinquimus. Ex religiosi dicti ad prius membrum apparet sumi *religiosa dicta*. Extrema capitis pars sic interpungenda est: An propterea, quia illis quidem, quæ supra posui, adhibendus est modus quidam necessarius (nam et gratia, si nimia atque immodica, et mores, si ..., et verba, si ..., et fama, si magna et

iquieta et invidiosa *est*, neque laudabilia ›que utilia sunt), ingenium autem et officium forma et disciplina ... nullis finibus cohi›ntur, sed, quanto maiora auctioraque sunt, ulto etiam, tanto laudabiliora sunt. Attendi lim ad illud multo etiam singulari forma ad quanto positum (etiamsi multum aucta sint). De *st* pro sit posito vid. vol. I p. 68.

Ibd. 11, 1 in Callimachi disticho e codicum vestigiis, æ Hertzium expressisse puto, efficitur:

Καὶ κυάμων ἄπο χεῖρας ἔχειν, ἀνιῶντος ἐδεστοῦ,
Κἀγώ, Πυθαγόρας ὡς ἐκέλευε, λέγω.

Ibd. 17, 3 in Lucilii e sat. 15 versu scribendum:

Subicit huic humilem et *suffercit* posteriorem,

o sufferctus, suffercitus, aliis. Fieri potest, ut trema vox alia fuerit (etsi nihil credere cogit); sufrcit aptissime superponitur subiiciendi verbo, ut sit asi subter infercire.

Ibd. 18, 3: pacemque et victoriam vobis ›peri inspectabilem. Sic codices et Hertzius (nam periores insperabilem). Nihil aliud significatur nisi *ectabilem*. Nocuit præcedens *i*. [Sic Scioppius.]

Lib. V, 6, 12 codex optimus, Rottendorfianus: Ea ›rona civica) fit e fronde quernea, quoniam cibus ctusque antiquis solitus fuit capi; etiam ex ioe. (Parisiensis ante solitus dicitur addere quercus; beatne, ut vulgo editur, antiquissimis, non traditur.) gnificatur: quoniam cibus victusque *antiquis is* litus fuit capi, id est, querneus.

Ibd. 13, 5 (in verbis Masurii Sabini): In officiis apud aiores ita observatum est, primum tutelæ, deinde ›spiti, deinde clienti, tum cognato, postea affini. e qua causa feminæ viris potiores habitæ. Prors ridicula est causalis significatio (cur feminæ præferantur); c hoc universe et infinite dici poterat, feminas viris

potiores esse. Facilis et certa emendatio est: *In æqua* causa feminæ viris potiores habitæ. Cum æquo gradu vir et femina essent (velut pupillus pupillaque aut uterque cliens vel affinis), femina potior habebatur. Excidit in post ni (adfini), tum ex æqua factum est de qua.

Ibd. 16, 5: Sed hic ea, quæ non diutius muginandum, eiusdemque illius Enniani Neoptolemi ... consilio utendum est. Perversum ea quæ totaque constructio. Scribendum: Sed hic *quoque* non diutius muginandum. Et sic iam Gronovius, nisi quod minus recte hæc quoque.

Lib. VI (olim VII), 3, 16 in fragmento Catonis, ubi Hertzius secutus est emendationem olim a me opusc. acad. II p. 125 n. propositam (neque regem Persen vinci. Sed non Rhodienses modo cet.), præterea extremo loco scribendum est: quod illi tamen perpessi *sunt*; vulgo extrema vox deest. Ibd. § 20, ubi in codicibus est: cum ... aut suadendum quid, ut fiat, aut fieri iam cœpto deferendum est, scribendum esse sententia manifesto clamat minima mutatione: aut *a* fieri iam cœpto *deterrendum*; et deterrendum iam Iac. Gronovius; non debebat opus esse talia bis dici. (In gerundivo cum est impersonaliter posito de hominibus deterrendis vix quemquam offensum iri, apud Gellium præsertim, opinor.) § 25 duplex emendatio facienda est; primum enim sic scribendum est: dignus quoque (Cato) laude admirationeque est, cum et ingenue ac religiose dicere *ausus* (pro visus) est contra Rhodienses, quod sentiebat, et cet. (Cfr. ad Tac. Hist. IV, 42). Non quod visus sit nescio cui religiose dicere, sed quod ausus est libere, quod sentiebat, dicere, laudatur. Deinde in iis. quæ continuo sequuntur: flexit et transtulit, ut eos idcirco vel maxime æquum esset acceptiores carioresque fieri populo Ro., quod, cum et utiles essent et vellent regi esse

[redacted]

tum, nihil tamen adiuvandi eius gratia fecerint, ›nendum est, fere ut volebat Gron.: cum et *utile esset.* ı, quamquam utiles Rhodii essent, nihil tum fecerunt ıue utiles non fuerunt), sed, quamquam ipsis utile erat ıiochum vincere, tamen eum non adiuverunt. Eodem ıte § 30 sic scribitur: neque humanæ vitæ nego- et actiones et officia vel occupandi vel 'erendi vel ulciscendi vel cavendi similia e pugnæ et gladiatoriæ, ipso Hertzio mendum in 'erendi notante, pro quo in hac enumeratione eorum, ː contra alios sic aguntur fiuntque, ut cum pugna gladi- ia comparari possint, necessario scribendum est *defen- ıdi*; nam occupandi pertinet ad impetum ultro facien- ı. Et, quod post pugnæ interponitur, ortum ex præ- enti *e*, Iac. Gronovius (nam Io. Frederico talia in men- ı non veniebant) enarrat et quidem, quasi h. l. nis uno illo pugnæ genere cogitetur. (De § 34 dixi vol. . 31, de § 35 emendatt. Livv. p. 603 n.) § 38 quo- n in codicibus est Rhodiensibus non (ñ) aberit, bendum est eadem sententia, quam I. Fr. Gronovius ırrogatione sine non efficere volebat: Rhodiensibus ı *oberit*, quod non male fecerunt, sed [quia] ıuisse dicuntur facere. Nam quia tollendum o. (Non male fecerunt, sed voluisse dicuntur; hoc debet obesse.) Postremo § 39 addenda necessario ticula: His argumentis Tiro Tullius M. Cato- n ... conficere dicit, Rhodiensibus quoque pune esse debere, quod hostes quidem esse puli Romani voluissent, ut qui maxime, *sed* ı fuissent. Hertzius e codicibus edidit ut qui ma- ne non fuissent sine ulla sententia; superiores inter- ıtionem secuti erant: voluissent, etsi maxime ı fuissent, pravæ eam quoque sententiæ nec oratione ;am (etsi maxime, quamquam rectissimum est si xime). Concedit Cato voluntatem plenam Rhodiis

bellandi fuisse. Unum etiamnunc restat, § 41 quod in codicibus est editurque: præcavisse iustum est quam exspectavisse, natum esse ex *iustiussi*. (De c. 11, 9 dictum est I p. 38. [Ita Aldus.] § 7 in verbis Claudii Quadrigarii persuadent pro persuadenti occupavit Peter in reliquiis hist. Lat. Nemone antea?)

Ibd. 13, 2: qui minore summa æris, quod supra dixi, censebantur. Præter quam supra, quod simpliciter e superioribus editionibus revocandum est, puto etiam scriptum a Gellio esse *minorem summam*. Sic enim semper locutos veteres (*censeri summam*, *censeri tot millia*, *magnum agri modum* cet.) fidem faciunt Cicero in oratione pro Flacco (quatter), Horatius, Gellius ipse paucis versibus ante; (at contra nunquam *caput censeri* pro eo, quod est *capite*).

Ibd. 14, 7: magnificum in Ulixe et ubertum, subtile in Menelao et cohibitum, mixtum moderatumque in Nestore. Inauditum et inauditæ formæ adiectivum ubertum (nam ubertim notam habet adverbiorum terminationem tim) tollitur divisis litteris: magnificum in Ulixe et *uber*, *tum* subtile cet. [Vet. exempl. Stephani.]

Lib. VII (olim VI), 1, 8: nunquam enim hoc convenisse naturæ auctori parentique omnium rerum bonarum. Scrib. *neque* enim hoc. Temporis significatio prava est.

Ibd. 14, 4: Tum, quicquid ita delictum est non sane dignum esse imponendi pœnæ studium visum est (maioribus nostris). Neque *imponendi pœnæ* Gellius dixit (superiores imponendæ ex interpolatione), neque *dignum studium* (qua re?) *visum esse pœnæ imponendæ*. Scribendum est: non sane dignum (id delictum) esse imponendi *pœnas studio* visum est. Origo mendi apparet; nam elisum est *s* ante alterum *s* (pœna), et ad visum accommodatum est studium.

Lib. IX, 4, 6: alios item esse homiaes ... stigia pedum habentes retro porrecta, non, ceterorum hominum, prosprofium petetanti ectantia. Sic codices optimi. Subest manifesto: non, ceterorum hominum, *provorsum* spectantia. proversum iam Gronovius; sed præterea aliquid exılpere ex proximis litteris conabatur, quæ ex aperta minatione orta sunt, aberrante primum librario in ectantia; nec tentandum: provorsum et ante ectantia (vid. de ante ad Cic. Fin. V, 35 p. 668) cum ıtili tautologia. (Tum recte Iac. Gronovius e cod. regio r noctem quam interdiu; quod editur prorsus ısitatum: quam inter diem, ex prioris membri itatione ortum est.)

Ibd. 9 in lemmate scribendum: Quis modus sit rtendi verba in *Græca sententia*, non in Græs sententias. Agitur tantum de Græcis in Latinum rtendis.

Ibd. 11, 3: Adolescens tali genere editus . fit tribunus militaris. Nihil, quo referatur, tali bet. Scripserat Gellius: Adolescens *consulari* ›nere editus. Quattuor extremæ litteræ præcedentis cis (cens) effecerunt, ut omitteretur consu, deinde ex ri factum est tali. (Hæserat Lipsius et alii.) Sed initio pitis quod sic scribitur: De Maximo Valerio, qui ›rvinus appellatus est ob auxilium propugnaonemque corvi alitis, haud quisquam est ›bilium scriptorum, qui secus dixerit, ineptum t et sensu cassum illud, neminem secus dixisse, absolute situm. Fuerat: De Maximo Valerio, *quin* Cornus appellatus *sit* ..., haud quisquam est n. r., qui secus dixerit. Consensus omnium in origine gnominis declaranda significatur. De loquendi genere r. quæ ad Cic. fin. V, 32 p. 661 dixi.

Lib. X, 3, 17 (in verbis Catonis): Servi iniurias nimis ægre ferunt; quid illos, bono genere natos, magna virtute præditos, opinamini animi habuisse? Ex nimis ægre ferentibus et plus, quam debeant, dolentibus argumentum iustum duci nequit. Sed Cato dixerat: iniurias *nimias* ægre ferunt. Nam mediocres æquo animo ferre assueverant.

Ibd. 11, 4: non iam, quod non segnius, sed quod festinantius fit, id fieri mature dicitur, quando ea, quæ præter sui temporis modum properata sunt, immatura verius dicantur. Non comprobationem et causam illius usus hæc extrema continent, sed potius ostendunt non recte ita dici. Itaque scribendum, quod etiam coniunctivus (dicantur) requirit: *quamvis* (aut *quum*) ea ... immatura verius dicantur.

Ibd. 16, 13: præsertim cum ita sit fabula de Theseo, atque si Hercules eum evellerit e petra. Sine ullo exemplo dicitur ita atque si, usitate hac ætate et recte: ita *(illa?)* sit fabula de Theseo, *quasi* Hercules eum cet., de quo usu dixi ad Tac. Ann. XIV, 60.

Ibd. 19, 1: Incessebat quempiam Taurus philosophus severa atque vehementi obiurgatione adolescentem ..., quod factum quidem esse ab eo diceret inhoneste et improbe. Absurde ponitur quidem. Iac. Gronovius etiam scribit in codicibus constanter esse quidam et nescio quid perversi excogitat. Di boni! cur non fit, quod iam veteres editiones habebant: quod factum *quiddam* esse ab eo dic. inhoneste. Necessarium est etiam pronomen in una aliqua actione significanda, cuius certum genus ad rem nihil pertineat.[1])

---

[1]) Cap. 21 in lemmate uti excidit ante uit in vitarit. Frustra Plautus advocatur.

Lib. XI, 1, 2 scribendum est: Sed cum eiusmodi multa pecoris armentique a magistratibus dicta erat, *abigebantur* (a domino ad multæ summam efficiendam) boves ovesque alias pretii parvi, alias maioris. Editur nunc e codd. adigebantur, olim coniectura prava addicebantur.

Ibd. 2, 2 (in verbis Catonis): Avaritiam omnia vitia habere putabant; sumptuosus, cupidus, elegans, vitiosus, inritus qui habebatur, is laudabatur. Non sane laudabatur, qui ab ipsis laudantibus vitiosus habebatur; nec inter cetera certorum morum nomina recte generale vitii nomen ponitur; inritus prorsus nihil est. Quædam, quæ ab aliis fere vitiosa habebantur, laudabantur, quod contraria saltem avaritiæ erant: elegans, *vinosus*, *incitus* qui hab. [Vinosus iam Meursius.]

Ibd. 10, 2 (in verbis C. Gracchi): Nam vos, Quirites, si velitis sapientia atque virtute uti, etsi quæritis, neminem nostrum invenietis sine pretio huc prodire. Sententiæ contrarium etsi; scrib. *utier*, si quæritis (*quæretis?*). Condicioni condicio alia propior superponitur. Deinde § 4 editur: hi quoque petunt non a vobis bonam existimationem, verum a Mithridate rei familiaris suæ pretium et præmium. Non rei familiaris pretium (quo ea veniret) petebant, sed rei *familiari* suæ (ei augendæ) pretium.

Ibd. 18, 17: quod et furandi sollertia et assuetudo acueret ... animos adolescentium. Scr. quod *ea* (quæ nominata est) furandi soll. (Non tanquam duo distinguuntur et sollertia et assuetudo, debebatque dici quod furandi et sollertia et assu. Sed cur hæc dico? Nam quibus talia explicari opus est, nihil tamen intelligent.)

Lib. XII, 1, 8: ne æquor illud ventris irrugetur ac de gravitate oneris et labore partus

fatiscat. Scrib. ac *ne* gravitate cet. Longe aliter dicitur *fessus de via* de lassitudine e via et post viam manente. Eodem capite § 20, ubi editur: quoniam scilicet in moribus inolescendis magnam fere partem ingenium altricis et natura lactis tenet, quæ iam a principio imbuta paterni seminis concretione ex matris etiam corpore et animo recentem indolem configurat, scribi oportet *imbutam*. Natura lactis indolem recentem, iam a principio paterni seminis concretione imbutam, ex matris etiam corpore configurat, ut utriusque parentis vim sentiat. Lactis, quod mater præbet, natura nihil habet a patre.

(De c. 2, 14 dictum est vol. I p. 25.)

Ibd. 5, 7: Postea ... exorta ... est ... honestatis utilitatisque veræ contemplatio subtiliorque et exploratior commodorumque dilectus. Copulatio membrorum et adiectivorum ad nomina adiunctio recta erit, si sic conformata erit: subtiliorque et exploratior commodorum *quoque* dilectus. Eodem cap. § 10 in codicibus et editionibus scribitur: Hæc ergo (molesta et incommoda) vir sapiens tolerare et cunctari potest, non admittere omnino in sensum sui non potest. Ridicule cunctari enarrare conantur morari, exspectare, dum incommoda desæviant, obliti ad eam sententiam efficiendam saltem transitivo verbo opus esse, cunctari intransitivum esse; nec quisquam incommoda morari ac retinere, ut diu apud se maneant, velit. Scribendum perspicue: tolerare et *eluctari*.

Ibd. 9, 1: Est plurifariam videre ... pleraque vocabula ... ita fuisse media et incommunia, ut significare ... possent duas inter se res contrarias. E codicibus nuper retractum hoc incommunia, Tertulliani auctoritate confirmatum, sententiæ manifesto contrarium, cui conveniebat, quod edebatur, communia. Sed recte antiquæ editiones: media et *in communi*.

Cap. 13, 1 et videlicet ineptum esse et desiderari iudicis nomen senserant veteres editores, qui addiderant iudicem. Id ipsum in videlicet latere Wesenbergius vidit: dixique ei, *iudicem* (uid. pro iud.) *me* datum; ubi eam coniecturam posuerit, nec ego nec ipse meminimus. Sed eiusdem capitis § 15 grave mendum subesse certum est; nam et ex § 6 et ex ipsa re manifestum est, id, quod insuper dubitetur, esse, an Kalendis quoque, non, an ante Kal. pronuntiari possit; itaque plane scribendum puto *anne Kalendis* [an Kal. edd. vett.], alterum aut ex hoc (a n n e) ortum esse aut ex superiore versu; sed simul scribendum est: *quum* (hoc est, cum tamen, pro quando) neque ultra neque citra ... pronuntiandum sit. Postremo § 20 eo errore, de quo dixi ad II, 2, 7, scriptum est: undarum illius (Oceani) ambitu terris omnibus convallatis pro *circumvallatis*.

Lib. XIII, 12, 9 (nam de 8, 2 dixi vol. I p. 60), ubi explicatur, cur tribuni pleb. vocationem (potestatem homines ad se vocandi) non habuerint, sic in codicibus scribitur: quod tribuni plebis antiquitus creati videntur ... intercessionibus faciendis, quibus præsens fuisset, ut iniuria, quæ coram fieret, arceretur. Verba quibus præsens fuisset adeo sunt sensu cassa, ut Hertzius uncis incluserit. Sed deleri sine summa temeritate nequeunt. Quod vulgo edebatur præsentes fuissent, eo nihil iuvamur, quoniam tribuni ipsi præsentes esse (aut fuisse) intercessionibus suis perridicule dicuntur. Scribendum est: intercessionibus faciendis, quibus *usus* (hoc est, opus) *in* præsens fuisset, ut iniuria ... arceretur. Neque enim usus cum ablativo positum ullo exemplo adiectivum asciscit (quibus usus præsens fuisset).

Ibd. 16, 1 (olim 15, 8) (nam 15, 4 extr. verba prorsus perturbata emendare nequeo) sic oratio interpun-

genda scribendaque est: Ea re, qui eorum primus vocat ad comitiatum, is recte agit (nec quisquam alius), quia bifariam cum populo agi non potest nec avocare alius alii *potest* (pro posset); (contra) si contionem habere volunt, uti ne cum populo agant, quamvis multi magistratus simul contionem habere possunt.

Ibd. 25 (24), 11 (nam de 20 s. 19, 12 dictum est vol. I p. 63) sic scribendum est: *Ecquid* (pro hæc quid) videtur, cum Siciliam provinciam dixerit atque insuper etiam civitates addiderit, domos etiam et fana, quæ infra posuit, *comprehendisse*? Verba hæc item multa atque varia cet. (Vulgo comprehendisset, verba cet.). Interrogatio est confessionem exprimentis.

Lib. XIV de c. 1, 19 dictum est vol. I p. 37. Itaque venio ad 2, 5, ubi scribitur: Sed eum constabat virum esse ferme bonum notæque et expertæ fidei et vitæ inculpatissimæ, mire; nam ferme bonus et per se inusitate dicitur et ceteris laudibus sine ulla exceptione et copiose positis aperte repugnat. Scriptum fuerat: virum esse *firme* bonum. [Sic Falsterus.] (§ 14 scribendum esse: si...sciat..., eaque res...comperta sit, neque id tamen in agenda causa *probetur*, pro probatur, vix opus est dici.) Tum § 26 in his Catonis verbis: si ambo pares essent, sive boni sive mali essent, quod duo res gessissent, uti testes non interessent, illi, unde petitur, ei potius credendum esse et ineptissima est numeri notatio, et pravissime de re privata contrahenda dicitur *res gerere*, quod imperatoris est. Scribi oportet: quod *ii rei* gessissent (quod rei ii). De ii et duo commutatis vid. Drakenb. ad Liv. XXXVI, 43, 11, emendatt. Liv. p. 305. In illi ... ei mendum residet.

[redacted]

Ibd. 6, 5: *ὄναιό σόυ,* inquam, ... *ταύτης τῆς πολυμαθίας.* Scrib., ut sententia sit, *ὄναιό σου.*

Lib. XV, 5, 3: urbanissime respondisse prætorem, non indoctum virum, barbasculo cuidam ex advocatorum turba. Scrib. *barbariusculo.*

Ibd. 7, 1 scribendum est: cum periculo et clade aliqua venire aut corporis *morbi* (pro morbique) gravioris aut vitæ interitus aut animi ægritudinis. Corpus morbusque inepte coniunguntur, recte corpus, vita, animus ex æquo ponuntur, item morbus, interitus, ægritudo.[1])

Ibd. 30, 6 quod scribitur: petorritum enim est non ex Græcia dimidiatum, sed totum trans Alpibus, faciendum *Transalpinum*, quod video iam ante Gronovium quibusdam placuisse. Quid illud trans Alpibus iuvetur addito ortum, ut facit Hertzius, prorsus non intelligo.

Lib. XVI, 4, 4 (in Cincii verbis) pro eo, quod editur: tum se postridie, quam per eas causas licebit, eo die venturum adiuturumque eum, qui eum pagum ... delegerit, scribendum est *aditurumque* eum (und sich bei demienigen melden). Adiuvandus, qui delectum habuerat, non erat, nec id curabat miles.

Ibd. 19, 9 scribendum: Sed *eos* Corinthios, homine accepto navique in altum provecta, ... cepisse consilium cet. Editur: Sed eo Corinthios homine, pronomine prave posito.

---

[1]) In lemmate cap. 18 mirabilis ille remex (cuiuspiam remigis, cum in ipso capite res narretur de Cornelio sacerdote) ortus est, nescio quomodo, ex annotatione antiqua marginali, qua comparabantur, quæ apud Ciceronem de divin. I, 68 de remige Rhodiensi narrantur.

Lib. XVII, 2, 10 in lege XII tabularum verba quædam bis scripta videntur, quod primum erratum esset omissa particula. Huiusmodi enim lex fuisse videtur: Ante meridiem causam coniiciunto (sic iam superiores pro coniiciunt); *tunc peroranto* (codd. cum perorant), *si* ambo præsentes. Post meredium præsenti litem addicito. Sol occasus cet. § 16 Falsterus (in exemplo supra commemorato) recte scribi iussit: neque optimum *quemque* (pro quemquam) inter nos sinunt diurnare. Alioqui scriberetur: neque bonum quemquam. (§ 17 revocatum altero loco rectius pro crebrius inter incredibilia est.) § 19 miror non pridem editum: sed nescio *qui* (pro quid) maioris dignitatis est verbum sanctitudo. (§ 23 recte iam Lambecius.)

Ibd. 3, 3: Tum ille prorsum irritatus, Non, inquit, meo libro versus ipse vobis plane magister defuit. Sic codex reg. Par. Verum est: Non, inquit, meo libro versus *iste*, *sed* vobis plane magister defuit. Et sed recte superiores edd., sed omisso pronomine.

Ibd. 7, 6 quod Hertzius e codicibus edidit: Videbatur tamen hoc dicere suum verbum, sensu cassum est, nisi quis fortiter enarrat: „Verba eius (Nigidii) videbantur hanc habere sententiam". Præterea non agitur de esse et erit, sed de est et erit. Itaque scribendum puto: Videbatur tamen hoc dicere: Suum *est* verbum et „*est*" et „erit"; quando per sese ponuntur, habent cet.

Ibd. 8, 4: Puerum iubet Taurus oleum in aulam indere (sic recte superiores; corruptum nuper codicum auxilio, ut esset videre). ... Guttum Samium ore tenus imprudens inanem, tanquam si inesset oleum, adfert. Quid sit guttus ore tenus plenus, scio; quid sit ore tenus inanis, prorsus nescio, et

ne coniungi quidem ore tenus cum inanem ordo verborum sinit. Gellius scripserat: Guttum Samium *protinus prudens* (et sciens) inanem, tanquam si inesset oleum, adfert. Ludebat enim verniliter festivissimarum argutiarum puer.

Ibd. 9, 8 (in descriptione scytalæ): unus (surculus) imperatori in bellum proficiscenti dabatur, alterum domi magistratus cum iure atque cum signo habebant. Nihil est cum iure. Scribendum cum *cura* atque cum signo (obsignatum) habebant. (§ 14 nemone: *a* capite ad finem?)

Ibd. 11, 6: potum autem partiretur inter stomachum et pulmonem et, quod ex eo admitti in pulmonem ... deberet, ... sensim ... tramitteret atque omnem reliquum in alteram stomachi fistulam derivaret. Scr. *omne* reliquum.

Ibd. 12, 1: et noster Favorinus oppido quam libens in eas materias deiiciebat. Sic codices et Hertzius (vulgo dicebat). Significatur: in eas materias *se* deiiciebat (et demergebat).

Ibd. 15, 2: tanta cura tantoque apparatu sui vir ingenio præstanti ad refellenda, quæ scripserat Zeno, aggressus. Necessario in hac epiphonematis forma scribendum aggressus *est*. Genus mendi notavi supra ad Cæs. B. C. III, 71. Eadem correctio facienda est VII, 10 in lemmate (solitus *est*); XIII, 8, 1 recte iam superiores opinatus est. Paulo post § 5 in his: esse autem periculum, ne inter causas morborum ... ea quoque ipsa, in quibus causa vivendi est, non potest deesse sint, quod excidit aut ante inter aut inter ipsa et in. (Superiores addebant exinanianiantur.) § 7 tollendum est ictæ, adscriptum declarandi causa ad exanimatæ.

(C. 21, 18 correxi vol. I p. 148.)

Lib. XVIII, 1, 5: quoniam et corporis integritas ... et honestus modus formæ et pecunia familiaris et bona existimatio ... necessaria viderentur perficiendæ vitæ beatæ. Est aliquid mendi. Nam *modus* (*μέτρον, μετριότης*) nihil ad formam pertinet, contra pecunia familiaris (quæ ipsa valde inusitate dicitur) non absolute appellanda erat, sed honestus eius modus. Forma, quæ requirebatur, integritate corporis continebatur. Fuitne: honestus modus *fortunæ* et *pecuniæ* familiaris? *Formæ* et *fortunæ* nomina permutata videor meminisse in Senecæ epistolis. (Pecuniæ *reique* familiaris?)[1])

Ibd. 7, 7 et 8 verbis aliquot sua sede motis prima ex tribus, quæ explicantur, significationibus contionis duo habet exempla, alterum prorsus absurdum, secunda autem significatio exemplo caret (nam tertiæ exemplum post demum § 9 ponitur). Locus sic restituendus est: contionem autem tria significare: locum suggestumque, unde verba fierent, sicut M. Tullius ... Escendi, inquit, in contionem; concursus est populi factus; item significare cœtum populi adsistentis, sicuti idem M. Tullius in oratore ait: Contiones sæpe exclamare vidi ... sententia; item orationem ipsam cet. Apparet, quam apte exemplum ex Ciceronis oratore alteri significationi conveniat nec alii accommodari queat.

Ibd. 8, 2 in Lucilii loco v. 3 perversus est; neque enim amicus Lucilium perire volebat, sed nunc visere volebat, cum ægrotum non visisset. Tum permire *ἄτεχνον* et Isocratium coniungi, cum Isocratis nomen vel

---

[1]) Et c. 3, 5 magisque 6 (quod ipsum pro qui id ipsum) et 4, 11 et 6, 8 (omine mox adipiscendi) incredibilia leguntur. Tertium locum emendarat Rutgersius (quas requisitas ego et repertas).

maxime τὰ τεχνικὰ animo obiiciat, intellexit Francken in coniectaneis crit. ad C. Lucilii librorum decadem primam (Amstelodami 1869) p. 25, recteque anisocratium st scripsit. Deleto altero infinitivo (visere), qui interpretandi causa additus est, et sublata, in qua frustra leporem quærunt, vocis nolueris inter duos versus divisione locus sic scribendus est:

Quando in eo numero mansti, quo in maxima nunc est
pars hominum, ut *visisse* velis, quem nolueris, cum
debueris. Hoc „nolueris" et „debueris" te
si minu' delectat, quod ἄτεχνον anisocratium est,
Ὀχληρόνque simul totum ac συμμειρακιῶδες,
non operam perdo.

Ibd. 10, 5: Hanc loquendi imperitiam ... cum in eo docti homines ... tanquam in minime utili medico offendissent cet. Nihil huc pertinet medici utilitas (quam utilis medicus sit), nec „tanquam" in medico homines imperitiam offenderant. Nimirum Gellius scripsit: tanquam minime *utilem* medico offendissent, nove *offendere imperitiam* ponens. [In om. cod. Guelf.]

Ibd. 12, 10 quod Hertzius e codicibus reposuit adverbium fermemodum (nam superiores tantum ferme habebant), non solum inauditum est, sed incredibili forma fictum (nam propemodum quid sit, apparet). Aut Gellius scripsit: in omnibus *admodum* veterum scriptis, interpretandique causa ad admodum adscriptum est ferme, aut coniunxit ferme *admodum.*

Lib. XIX, 5, 5 non intelligo, quid sit aqua solidius latiusque concreta, putoque scribendum *artiusque.*[1])

---

[1]) C. 7, 10 varietatis annotatio vetat typothetæ tribuere manciolis ... tene illis pro tenellis.

Ibd. 8, 12: Eandemque rationem habendam, sed in specie dispari. Sic codices. Arenæ nomen, de quo agitur, abesse non posse omnes intellexerunt. Sed præterea gerundivum et infinita orationis forma ferri nequit. Fuerat: Eandemque rationem *habet arena*, sed in sp. d. Paulo post quod scribitur: indocte ... arenæ dici videntur, tanquam id vocabulum indigeat numeri amplitudine. cum ei singulariter dici ingenita sit naturalis sui multitudo, infinitivus dici nulla ratione ad orationis structuram accommodari potest debetque scribi: cum ei singulariter *dicto* ingenita sit ... multitudo.

Ibd. 10, 13: Petimus igitur, dicas, quoniam de Enniano iam verbo quæritur, quid sit motus huiusce versus sensus. Sic codd. (vulgo qui sit notus). Scribendum: *quis* sit *totius* h. v. sensus. Cum *t* semel scriptum esset (sitotius), male suppletæ litteræ sunt. Cfr. XX, 1, 19. (Quid dicam de revocato in § 12: præterpropter vitam vivitur pro vita?)

Ibd. 12, 3 in his: atque, si posset etiam obniti, ut totis careret, non ex re id melius, non addendum erat fore, sed EXRE, quod nihil omnino h. l. significat, convertendum ipsum in FORE (non *fore* id melius). Quod autem sequitur in codicibus: quoniam langueret animus ... adfectionum quarundam adminiculis ut necessario plurimum peri et privatus, opinor subesse: adf. qu. adminiculis *et necessaria plurium temperie* privatus. Ibd. § 8, ubi legitur: Ut ager, inquit, mundus purusque fiat, eius arbor atque vitis fecundior. Scr. fiat, *et ut* arbor cet.[1])

[1]) § 7 edebatur fundum mercatus est oleo atque vino consitum; nunc scribitur constitutum. Neque ager, qui

Lib. XX, 1, 16: Quonam igitur modo imprudentem poterit imitari, qui in exsequenda talione non licentiæ ius habet, sed imprudentiæ? Imprudentiæ neque per se neque in hac re, ubi agitur de modo et mensura caute servandis, contraria ponitur licentia. Gellius posuerat *diligentiæ*. Eadem permutatione XV, 3, 7 librarius Ciceronem effecerat virum acerrimæ in studio litterarum licentiæ, quod Acidalius correxit; in scholiis Ciceronianis idem mendum ego correxi (app. crit. disput. de Asconio p. 29), in fragmento Varronis apud Nonium p. 429 Niebuhrius (magna diligentia suscipiebant pro licentia). Sequitur § 19: Quid enim videri potest efferatius ..., quam quod membra inopis debitoris brevissimo laniatu distrahebantur ...? Quid ad rem brevitas laniatus pertinet? An Favorinus diuturniorem esse debuisse censebat? Scripserat Gellius *sævissimo* (sevissimo) laniatu. Semel scripto *s* (debitorisevissimo) cum natum esset evissimo, prave suppletum est initium vocabuli, ut XIX, 10, 13. (Salmasius ferissimo.) In § 31, ubi Sext. Cæcilius laudata et defensa humanitate alius XII tabularum legis transit ad eam, quam maxime Favorinus reprehenderat: Sed enim ipsum vide; iniurias factas quinque et viginti assibus sanxerunt, certum est corrupta esse prima verba; nam neque ipsum quid sit quove referatur, intelligitur, et vide ab hac forma orationis et sententiæ totum alienum est; sublatis his ipsum vide constaret sententia: Sed enim iniurias ... sanxerunt (nam sed enim pro at enim

---

vino colendo destinatur, ei rei *constituitur*, neque is homo, de quo agitur, agrum ei rei destinatum, sed iam cultum et ornatum emit. *Vinum conserere, serere* de vitibus dixerunt Cato, Varro, Plinius.

Gellius ponit), nisi quod reprehensionis significatio deesset (v. c. sed enim prave ... sanxerunt). In vide subest manifesto videlicet nota perfrequentis usus scriptum, quo vocabulo elevatur iam, quod obiicitur: in ipsum videtur latere adverbii superlativus: Sed enim *iniquissume videlicet* iniurias factas XXV assibus sanxerunt. Primæ adverbii litteræ post enim interceptæ esse videntur, nisi fuit: *Sed iniquissume videlicet.* De § 34 primis verbis dixi vol I p. 33 sq. Sed paulo post, ut oratio cohæreat et sententia efficiatur, sic scribendum est: neque eius ... tantam esse habendam rationem arbitrati sunt, ut, prudens *imprudensne* rupisset, spectandum putarent *talionemve* vel ad amussim æquiperarent vel in librili perpenderent. (Vulgo: ut, an prudens imprudensue rupisset, et: talionem in eo vel ad am.) § 37 in eo, quod in codicibus scribitur: Quod edictum autem prætorium de æstimandis iniuriis probabilius esse exis (vel exti), nolo cet., videtur littera *e* geminatione orta esse efficiendumque *dixti.* Postremo § 40 pro eo, quod editur: quam si cui probaretur clientem divisui habuisse, scribendum, ne subiectum desit: quam si *qui* (quis) probaretur.[1]) [Sic Steph.]

Ibd. 5, 7: cum ... rex Alexander ... ea tempestate armis exercitam omnem prope Asiam teneret. Scrib. armis *et exercitu.* (Hertzius exercitum errore, ut videtur. Si ita in codicibus esset, manifestior esset correctio.) [Edd. vett. armis exercituque.]

Ibd. 6, 8 (in fragmento L. Sullæ rerum gestarum libri secundi): Quo si (scr. *Quod si*) fieri potest, ut

---

[1]) Incredibile illud in § 7: nocturnum autem furem iure incidendi tribuit ortum videtur ex hoc: ius *ei* occidendi. (Edd. superiores ius occid.)

;iam nunc nostri vobis in mentem veniat, nos-
ue magis dignos creditis (credatis?), quibus
vibus quam hostibus utamini, quique pro
)bis potius quam contra vos pugnemus, neque
ostro neque maiorum nostrorum merito nobis
l continget. Quæ hæc perversitas est, ut socii apud
)pulum aut senatum Rom. (initio belli socialis) verba
cientes, si quid sibi concessum sit civitasque data, ipsi
)c suo maiorumque merito eventurum negent, ipsi se
ıneficio indignos dicant? (Humilis culpæ suæ maiorum-
ıe confessio a sociis illius temporis alienissima est.)
imirum Sulla scripsit: neque nostro neque maio-
ım nostrorum *immerito*, antique, ut Plautus in
sinaria *immerito meo* dixit. Inter um et *m* extritum
;t im. Eodem capite extremo (14) ita scribitur: Ex
uo in plures libros mendæ istius indoles
anavit. Quæ sit mendæ indoles, nemo dixerit, multo
inus, quomodo mendæ indoles manet. Gellius scripserat:
endæ istius *suboles* (et propago) manavit. Inde
ctum istius uboles, tum id male suppletum; cfr. XX,
19. (Mirabuntur multi, si dixero, quod omnibus notum
ıse debebat, nunquam indolem apud Latinos dici de inge-
.o rei et qualitate, sed semper de natura aliquam spem
ınte et alicuius virtutis vitiive capaci, ut sit: die Anlage,
)n: die Beschaffenheit. Nunc libelli inscribuntur, ut hoc
;ar, de indole codicis huius vel illius similiaque.)

Gellio communi senescentium et intermorientium
;terarum nota adiungitur **M. Fronto**, sed, dum in ingenii
eloquentiæ specie sibi placet, inanior et ineptior. Cuius
istes reliquias cum percurrerem, quæ pauca prætermissa
) aliis aut minus recte tractata emendare mihi visus
ım, hic brevissime subiungam; nam in tali materia et
ırbis et chartis parcere æquum est. Usus sum Naberi

exemplo, cuius ordinem numerosque sequor, Hauptiique quas etiam Naberus annotavit, coniecturis.[1])

Epp. ad M. Cæsarem lib. I, 3 p. 7: Amorem ... intelligo ... impetu potius quam ratione conceptum, qui non officiis, uti ignis, sed sponte ortis vaporibus caleat. Scrib. officiis, *ut lignis*, sed cet. Comparantur materiæ et alimenta.

Ibd. ep. 6 p. 17: Puto, totum descripsi. Quid ergo facerent quod totum ac mireiam totum amarem hominem bonum? Verba sic sanabuntur: Quid ergo *facerem*, *quin* totum *ammirarer*, totum amarem hominem bonum?

Lib. III, 12 p. 49: altera vero (epistola) tuere studium meum laudent te Baius. In una voce adiuvanda est certa et egregia Hauptii emendatio: altera vero *acuere* studium meum laude nitebaris. (Hpt. tueri.) (Ep. 12 p. 48 sic verba interpungenda: At enim cum labore (perficies). Laboriosum quidem negotium concupisti, sed cet.)

Ibd. 13 p. 51: Hæc oratio amantibus decuit et melior et salubrior fuit, non ... sectari voluptatis usuram brevem. Scr. Hæc oratio *amanti plus* decuit cet. De una Fronto loquitur puella.

Lib. IV, 6 p. 69: Quid me censes prandisse? panis tantulum, cum conchim, cæpas et mænas bene prægnates alios vorantes viderem. Fuit: panis tantulum cum *conchi*, *cum* cæpas cet.

Ibd. 12 p. 74: cum interim nunquam tua

---

[1]) Klussmanni emendationum Frontonianarum p. I, Goettingæ 1871 editam, non vidi. Si quid igitur ab eo præceptum posuero, eius ita esto laus, ut consensu coniectura confirmetur.

ıago tam dissimilis ad oculos meos in itinere cidit, ut non ex ore meo excusserit rictum culei et somnum. Scrib. excusserit *nictum* ·*uli* et somnum.

Lib. V, 40 (55) p. 88: Ita focillatus sum, totus m. Imo: *lotus* sum.

Ibd. 57 (72) p. 92: Nunc ... quod ad fauces tinet, brevi temperantia appelletur. Scrib. ·*lletur*.

Epp. ad Anton. I, 5 p. 102: Ama me, ut amas, quis. Sententia postulat: Ama me, ut *amasti*, quis.

Ibd. paulo infra p. 103: in eam multam duplitum amorem tuum desero. Imo *defero* (ad m solvendam).

Ibd. II, 2 p. 130: Illis officium officio re-·nsabam, tibi amorem pro amore debeam.)n successit emendatio Heindorfio; geminatis litteris rum efficitur: amorem pro amore *reddebam*.

De feriis Alsiensibus ep. 3 p. 225: Oculi coniuo durant, qui uno obnixi obtutu interissent. r. *conivendo* durant.

Ep. Græc. p. 240: *ὅτι δὴ ἐπ' εὐθὺ φέροι ·ν ναῦν ἀλλὰ μὴ εἰς τὰ πλάγια ἀπονεύειν ἐᾷ*. ·dex: *ἀπονεύει νέω*. Scr. *ἀπονεύειν ἐῷ*.

Ibd. p. 245: *ἀργύριον αὐτὸ πολιτῶν τε καὶ ξένων*. ·r. *αὐτοπολιτῶν τε καὶ ξένων*.

Ibd. p. 258: *τὰ μὲν αὐτῶν πάνυ καὶ πάντῃ ·ῖα ... ὑμνεῖν μὲν καὶ θαυμάζειν πεφύκαμεν, ἂν δ' οὔ, καλῶν δέ τινων φαυλοτέρων ... τούτων ·ῃ φθόνος καὶ ἔρως ... ἅπτεται*. Scr. *ἐρᾶν δ' οὐκ, λλων δέ τινων φαυλοτέρων κ. τ. λ.*

[illegible] Cod. [illegible]

CAP. II.

Iustinus. Scriptores Historiae Augustae.

In Iustini historiarum Pompeii Trogi epitoma, cuius textum [illegible] est ex vetere consuetudine in excerpendo conservata et ex novitia nullis modis discrepante cum in verbis iuncturisque, tum in syntaxi (a vero enim aberrat Gronovii iudicium, probatum a Ruhnkenio ad Vell. Pat. II, 102), sed simpliciter et recto sententiarum cursu incedit, nuper (a. 1859) Iustus Ieepius strenuam doctamque operam posuit. Sed idem uni codici A. Bongarsiano sive Petaviano, qui nunc in Bibliotheca Parisiensi 4950 est) fidem habet ad eumque omnia revocare conatur, saepe menda manifesta et origines aperte et pervagatae contra sermonis usum sententiaeque perspicuum tenorem et ipsam rerum naturam contorte, nonnunquam incredibiliter, enarratio dissimilique comparatio defendit, interdum coniecturas protulit improbabiles, aliquot quidem valde perversas.[1] Perspicuum est eum codicem, ex quo deteriores

---

[1]) Exempla mendorum prave defensorum non invenire difficile est, sed eligere molestum: itaque unum et alterum sine delectu ponam: VI, 3, 6 (alieni proelii viribus dimicet pro imperii, ubi docemur proelium esse fere idem ac bellum, proelii vires esse belli vires, alieni belli vires esse, quas alius ad bellum gerendum habeat!) ibd. 9 (vid. infra), VII, 3, 3 (in convivium suum filiis et uxoribus pro: in convivium suis ac filii uxoribus, ubi unum pronomen suum ad mendum coarguendum sufficeret, etiamsi non rem ex Herodoto tene-

et interpolati derivati sunt, non solum aliquotiens servasse, quæ in illo errore omissa sint, sed etiam non ita raro

remus nec filiæ ante uxores prave nominarentur), ibd. 6 (opponit pro supponit ex *s* semel scripto, iuvenesupponit, ortum), VIII, 4, 9 (Græciæ imperantis æmulos, quod sic enarratur, quasi æmuli Philippi sint, qui æmulentur, utri ei gratiores sint, pro: gratiæ imperantis æmulos), XII, 4, 4 (ex labore militiæ molliorem fore dulcedinem uxorum, quasi mollior sit gratior, et quasi Alexander dulcedini uxorum, non eius ope patientiæ militiæ prospexerit, pro: et laborem militiæ molliorem fore dulcedine ux.), XIII, 4, 24 (memoria pro materia, quasi memoria simpliciter pro admonitione et incitamento dicatur, et quasi h. l. de incitamento tantum agatur), XXXII, 2, 2 (insularium, quod mire enarratur, quasi templum insula sit, pro incolarum, addita tamen magis incredibili opinione de rege concursu infularum interfecto), XXXVIII, 4, 14, cet. Alia non minus prava sine defensione reposita sunt, ut I, 10, 12 (cessisse eos, quod pro eo, quod). Quam non caute aut acute comparentur, quæ similia putantur esse, exemplo esse potest XXXI, 1, 1, ubi loci adscripti perspicue demonstrant dici esse prædæ alicui (militibus), esse prædam alicuius, itaque scribendum esse, ut antea scribebatur, prædæ etiam domesticis erat, non præda, aut quod in ipsa statim præfatione § 5 ad defendendum non tam magis . . . quam adscribuntur loci, in quibus est aut non magis . . . quam aut non tam . . . quam. Coniecturarum specimen capi potest ex XXXVIII, 9, 3 (Cui Arsacides parem in Hyrcania non cultum tantum regium præstitit, sed et filiam in matrimonium dedit, quod intelligi debet: in Hyrcania, quæ ipsa loci significatio mire sic interponitur. non cultum tantum regium parem præstitit, ubi, quid sit cultus regius par, iure quæras) vel ex XIV, 1, 3 (ut, an circa se animati essent, cognosceret, quod exponitur: an se duce bonum animum haberent; nesciebam sic dici circa se et animatum esse dici pro eo, quod est bene animatum esse, et hoc pro eo, quod est bonum animum habere).

bonas et veras scripturas habuisse in illo obscuratas (prorsus ut in Cæsaris belli Gallici codicibus accidisse vidimus supra p. 254), quæ scripturæ nunc maxime in codice E (Dresdensi I) perlucent, minus, quam sunt ceteri, licenter interpolato, sed tamen interdum etiam in tota familia retentæ sunt, ut statim I, 3, 3 (tractantique lanam ferrum et arma habentes parere, pro quo in A scribitur editurque a Ieepio: tractantesque ferrum et arma habentes parere, ridicule separatis ferri et armorum nominibus). Nec in A præter scribendi errores sua quoque quædam simplicioris interpolationis vestigia desunt, velut perspicuum in III, 7, 12, ubi post rectum: Nec cessatum superadditur necessitatum; interpretamentum manifestissimum, cum initio supra scriptum fuisset, in verborum ordinem receptum obiicitur iam I, 4, 6 (conscio ad participi). Sed in quibus locis aut codicum scripturas aut superiorum emendationes revocandas iudico, quorum permagnus est numerus, ii hic non sunt persequendi; nova coniectura, qua, si superiorum bonis recte utaris. non ita multum opus est, tamen, cum paucos dies continuos Iustino impenderem, locos pro mensura libri non valde paucos attigi, de quibus ut in tali scriptore dicam brevissime.

Præf. 1: prorsus rem magni et animi et corporis adgressus. Vitiatum hoc esse Gronovius intellexit. Nam neque, qui amplam materiam scribendo suscipit, magni corporis rem aggredi tolerabiliter dicitur (longe enim aliud est excerpendo minus corpus aut corpusculum efficere, libri nimirum, quod § 4 dicitur), et magis etiam mire et ridicule magni et animi et corporis, ut animus scriptoris intelligatur, materiæ corpus; necessario enim utrumque ad scriptorem refertur, qui et animum magnum et corpus habere debeat. Scribendum igitur: magni et animi (ad suscipiendum) et *roboris* (ad perficiendum). Gronovius operis proposuerat. Sed animus (scriptoris)

›t opus non recte ex æquo coniunguntur. Librario osci-tanti animi nomen corporis etiam suggessit.

Lib. I c. 9, 12: Igitur magi ad favorem po-›uli conciliandum tributa et militiæ vacatio-ıem in triennium permittunt. Scrib. tributi (sic am alii) et militiæ vacationem in triennium ›romittunt. Quo exempla a Ieepio adscripta pertineant, ›mnino non intelligo; ad declarandum, qui favorem :aptet, tributa permittere dici aut omnino hoc La-inum esse, nihil pertinent, nec ad ostendendum recte ex equo coniungi tributa et militiæ vacationem, quo-'um illud onus grave, hoc bonum et levamentum est, illud 'emittitur, hoc donatur.

Lib. II, 1, 20: Ægyptum autem, quæ tot regum, æculorum cura impensaque munita sit et ad-'ersum vim incurrentium aquarum tantis structa nolibus, tot fossis concisa, ut, cum his arce-.ntur, illis recipiantur aquæ, nihilo minus coli ıisi excluso Nilo non potuerit nec possit, vi-leri hominum vetustate ultima, quæ aggera-ionibus regum sive Nili trahentis limum ter-arum recentissima videatur. Pravissima effectus 't consecutionis significatio est in ut, quasi operibus et ossis difficilior Ægyptus ad colendum facta sit. Perspi-:ue ex magnis operibus concluditur, antequam ea effecta int, coli Ægyptum non potuisse; itaque etiam hominum 'etustate ultimam (novissimam) esse, quum ipsa terra re-:entissima sit. Nihilominus, quod omnem sententiæ peciem evertit (neque enim alia est Nili exclusio, nisi quæ upra significata est), natum est ex Nili et coli nisi; taque in A coli, quod in illo latet, non reperitur. (Nisi mitti non adnotatur.) Scribendum igitur est: Ægyptum... uæ ... munita sit et ... tantis structa (ex-tructa?) molibus, tot fossis concisa, *et*, cum is arceantur, illis recipiantur aquæ *Nili*, coli

nisi excluso Nilo non potuerit nec possit, videri hominum vetustate ultimam (sic codd. quidam et edd. vulgo), quæ ... terrarum recentissima videatur.

Ibd. 2, 6: Nullum scelus apud eos furto gravius: quippe sine tecti munimento pecora et armenta habentibus quid inter silvas superesset, si furari liceret? Ineptum et a re alienum inter silvas, quasi in patentibus campis tutiores res futuræ fuerint: nec silvarum in tota hac Scytharum descriptione ulla mentio aut est aut esse debuit, quoniam nullæ ibi erant. Videtur scribendum: quid inter *se salvi* superesset. Nocuit geminatum *s* (salvis). Et salvum scriptum habet D, sed deleto inter. Tum § 10, ubi est: Hæc continentia illis morum quoque iustitiam edidit, pro inepto verbo restituendum est *indidit*. Præpositione post *m* hausta substitutum est *e*.[1])

Ibd. 12, 5 (in Themistoclis ad Ionas admonitione): An ideo mœnia vestra condidimus, ut essent, qui nostra delerent? Quid si non hæc Dareo prius et nunc Xerxi belli causa nobiscum foret, quod vos rebellantes non destituimus? Nullus est adscensus orationis. Scrib.: *Quasi* non hæc Dareo ... belli caussa ... foret cet. Et sic iam Schefferum correxisse video.

Lib. IV, 1, 9: Nec mirum, si fabulosa est loci huius (circa Rhegium et fretum Siculum) antiqui-

[1]) Ibd. 9 ridicule nos a Ieepio iuberi in huiusmodi oratione: quamquam continuis frigoribus urantur, pellibus tamen ferinis ... utuntur audire tantum eamque particulam e cod. D et superioribus editionibus revocandam esse, sublato pervagato mendo, exempli causa dictum esto.

tas, in quem res tot coiere miræ. Primum quod nusquam alias torrens fretum, nec solum citato impetu, verum etiam sævo. Sic codices. Scribendum: Primum, *quam* nusquam alias, torrens fretum cet. Latitudo torrentis, quam Ieepius intulit (primum quod nusquam latius torrens fretum), nihil ad rem pertinet. Sententiæ conveniebat, a libris discedebat. quod antea edebatur: primum quod nusquam alias tam torrens, nisi quod abundabat quod.

(De V, I, 1 dictum est vol. I p. 63.)

Lib. VI, 2, 13: a cuius (regis Persarum) aspectu et colloquio (Conon) prohibitus est, quod eum more Persarum adorare nolit. Sic Ieepius ex A et aliis, et modo verbi valde et tempore incredibiliter pravo; alii nollet. Subest in illo *noluit.*

Ibd. 3, 3: Summa igitur non ducum tantum in eo prœlio quam vulgi æmulatio fuit. Omnia recta erunt sublatis duobus vocabulis quam vulgi, quæ addita sunt, ut explicaretur illud non ducum tantum. Eodem capite in eadem descriptione prœlii navalis ad Cnidum § 9 hæc leguntur: Eadem et omnium regum cura erat, quos maior sollicitudo cruciabat, non tam ne ipsi quæsitas opes amitterent, quam ne pristinas Athenienses reciperent. Reges Ieepius incredibiliter intelligi vult eos, qui „regno adsueti et liberam Atheniensium remp. aversantes cum Spartanis senserint". Et adscribit, Macedones quoque, cum infesta Romanis arma inferrent, omnium regum auxiliis adiutos narrari (XXXIII, 1, 1), quasi non ibi veri reges (et reguli) significentur. Talia hominem doctum deblaterare, ut scribarum errorem defendat! Videtur subesse: omnium *Græcorum* (grec.). Remigum infeliciter coniectatum est; nam quid remiges sentirent, exigui momenti erat. Sed emendatio incerta sit; mendi defensio stulta est. Tum § 11 pro barbaro capesserunt repo-

nendum *capessunt*, sequentibus tribus præsentis temporis verbis. [Ita edd. vett.]

Ibd. 6, 1: Artaxerxes rex Persarum legatos in Græciam mittit, per quos iubet omnes ab armis discedere; qui aliter fecisset, eum se pro hoste habiturum; civitatibus libertatem suaque omnia restituit; quod non Græciæ laboribus ... consulens fecit, sed cet. Fuisse *restitui* et res et orationis forma clamat.

Lib. VII, 1, 11: Pulso deinde Mida ... aliisque regibus pulsis in locum omnium solus successit. Recte in D L omittitur pulsis, etiamsi id coniectura factum sit, ut in L factum est [Ita Scheff.] Cap. 2, 1 oratio sic distinguenda est: et mortis postrema, veluti ex oraculo, præcepta memorabilia fuere.

(Lib. VII, 6, 7 emendavi vol. I p. 74.)

Lib. IX, 1, 5: Igitur Philippus longa obsidionis mora exhaustus pecuniæ commercium de piratica mutuatur. Commercium pecuniæ (apud antiquos) nihil est, ortum hic, ut opinor, e mercium in proximo versu. Credo scriptum fuisse: pecuniæ *compendium* (facilem viam et quæstum).

Lib. XI, 9, 10: Ex Macedonibus cecidere pedestres CXXX, equites CL. Scrib. *pedites*. Sic semper Iustinus (hoc capite § 1, hoc libro c. 6, 2 et 12, c. 12, 5, cet.), nunquam altero modo. Sed hoc quoque video esse in „edd. quibusdam". Cfr. ad Tac. Hist. II, 11 p. 561.

Ibd. 10, 13: Augebat enim Tyriis animos Didonis exemplum, quæ Carthagine condita tertiam partem orbis quæsisset, turpe ducentes, si feminis suis plus animi fuisset in imperio quærendo quam sibi in tuenda libertate. Scripseram turpe *ducentibus* (Tyriis), sed longe ante, ut par erat, Gronovius. Contra XXX, 3, 2 scribendum, etiam Siesbyeo monente: Huc accedebat, quod, Pœnis et Hanni-

bale superatis, nullius magis arma metuebant, *reputantes* (v. reputantibus), quantum motum Pyrrhus parva Macedonum manu in Italia fecisset.[1])

Lib. XIII, 1, 9 et 10: Erant enim in thesauris L milia talentum et in annuo vectigali tributo tricena milia. Sed amici Alexandri frustra regnum spectabant. Nam eius virtutis ac venerationis erant, ut singulos reges putares, cet. Primum scribendum in annuo vectigali *et* tributo; nam *vectigal tributum* nihil est; utrumque nominari debet. Deinde, ut effectus causæ (nam eius cet.) conveniret, superiores edebant: sed nec amici Alexandri cet., quibus frustra nescio quid obtusi acuminis Ieepius opposuit. Sed scribendum erat: milia. *Nec* amici cet. Etiam XXXVIII, 4, 14 recte librarii codicum E F, tum editores fecerant: nec (pro et) gravius vicino Italiæ bello quam domesticis principum factionibus urbem premi, quod ipsum Ieepius, dum alterum se enarrare putat, enarrat („et Marsico civile bellum periculosius fuisse").

Ibd. 2, 3: nemine tantum ceteros excedente, ut ei aliquis se summitteret. Parum erat, unum aliquem se summittere. A et alii codices aliqui, C (Guelferb.) summitterent. Iustinus scripserat: ut ei *reliqui* se summitterent.

Ibd. 4, 5: His ita compositis Macedoniæ et Græciæ Antipater præponitur; regiæ pecuniæ

---

[1]) Sed Ieepius ad XVI, 5, 15 (ubi potest in divisione subiecti fingi anacoluthon) defendit XII, 6, 17: Callisthenis . . . accitus et XI, 7, 6: percontatus eam . . . illa . . . respondit (scr. percontatur . . . consuleret; illa). (XII, 6, 5 quis non videt considerans pertinere ad æstimatio?)

custodia Cratero traditur; castrorum et exercitus et rerum cura Meleagro et Perdiccæ adsignatur, cet. Perverse et ridicule omnibus superadditur infinitum illud rerum. Scribendum *regum* (Aridæi et Roxanæ filiique, qui ex ea exspectabatur). Declarat hoc, quod infra (c. 6, 10) legitur: Perdicca ... Aridæum et Alexandri magni filium..., quorum cura illi mandata fuerat. Diodorus Sic. XVIII, 23 Perdiccam scribit *τὴν τῶν βασιλέων προστασίαν παραλαβεῖν*, etsi homo negligens nusquam commemorat nisi Aridæum; cfr. 29 init. Post Perdiccæ mortem alii *ἐπιμεληταὶ τῶν βασιλέων* creantur, ibd. 36; cfr. 39 init., 47, 48, 49, 50. Ut hic rerum pro regum, ita II, 1, 12 pro regionum in codicibus scribitur (et apud Ieepium, ut decebat); contra regum, pro rerum apud Ciceronem de finib. V, 49. Sed non minus corruptus alter ille locus c. 6, 10, latiusque ibi ulcus serpsit et occultatum est. Nam quod ita scribitur: Perdicca alienatis rebus Aridæum et Alexandri magni filium in Cappadocia, quorum cura illi mandata fuerat, de summa belli in consilium adhibet, quæ sit illa alienatio rerum, intelligi nequit prorsusque gratuito sumitur, quod Grævius ponit, significari alia negotia et curas sepositas et omissas; alienantur res, quæ nostræ nostrique arbitrii esse desinunt. Neque Perdiccas Aridæum, debilis animi hominem, et infantem nuper natum in consilium advocavit, sed duces et amicos (*τούς τε φίλους καὶ τοὺς ἡγεμόνας*, Diodor. Sic. XVIII, 25). Mendum coarguit ipsum illud in Cappodocia ineptissimo loco interpositum separatumque a verbis in concilium adhibet. Scripserat Iustinus: *ablegatis regibus*, *Aridæo* et Alexandri magni *filio*, in *Cappadociam*, qu. c. i. m. f., de summa belli in consilium adhibet. Corruptis primis verbis Aridæum et filium scriptum est, ne adhibet accusativo careret. Sed Iustinus absolute dixit in consilium adhibet,

ut Livius in senatum, ad contionem vocare, ipsum ad consilium XLIV, 37 ext.

Ibd. 4, 21: Parapomison (codd. Parapamenos) finem Caucasi montis Oxyartes accepit. Nihil agunt, qui de Parapomiso Caucasi fine narrant; sed, quod effeceram lineola detracta, video esse in optimo omnium codice: Parapomisios (sic iam alii) *fine* Caucasi, id est, usque ad Caucasum; vid. Scheller. p. 3870 (add. Lucret. IV, 625). Eodem modo XXX, 4, 6 revocandum: et omnem Asiam Orientis fine a Macedonibus perdomitam, ubi editur finem.[1])

(De XV, 2, 8 dixi vol. I p. 35.)

Lib. XV, 4, 1 scribendum: ex Asia maiore *degressus* (pro digr.), ut 21 legitur descendit.[2])

Lib. XXII, 2, 6: Qua spe impletus Hamilcar societatem cum eo (Agathocle) metu eius potentiæ iungit. Ineptissime post veram causam (spem officiorum ab Agathocle promissorum) commemoratur metus potentiæ Agathoclis, qui exsul ipse Hamilcaris opem imploraverat. Perspicua correctio est: societatem cum eo *mutuæ* potentiæ iungit; et hoc voluit librarius codicis Lips., e quo profertur mutu e pot., videoque ipsum in cod. aliquo Mediceo a Magliabechio repertum et probatum. Coniectura hæc hominis docti est, sed certissima.

[1]) Gemmulis, quas vol. I p. 69 posui, ex errore in littera *m* finali ortis addi plures possunt, ut II, 6, 5 glandem vescentibus, III, I, 1 bello in Græciam infeliciter gesto, XXIV, 6, 8 admirationem stupentibus.

[2]) Lib. XVIII, 4, 3 mira patientia ferunt editores, quod Bongarsius non tulerat, rex Tyro decedit, cum mortuus significetur. Atque is Tyri scribi volebat. Recte alii nomen regis, Pygmalionis et Didus patris, non potuisse omitti iudicaverunt idque addiderunt. Sed eo addito tolli Tyro debet, sub quo latet: rex Mutto decedit.

Lib. XXIV, 6, 6: Templum autem Apollinis Delphis positum est in monte Parnasso in rupe undique impendente. Cui rupes impendebat et undique impendebat? Debebat esse undique prærupta et abscisa (etsi id reapse verum non est). Scriptum fuerat: in m. Parnasso, rupe undique impendente (ita ut rupes undique impendeat templo). Paulo post § 9 quod Ieepius e codicum meliorum scriptura (vi quadam velamento) effecit: spiritus (e foramine subterraneo) vi quadam velut amento in sublime expulsus, prorsus absurda in hac re amenti (lori) imago est. Aut vera est deteriorum scriptura velut vento, aut potius subest velut *tormento* (velutormento).

Ibd. 8, 3: In hoc partium certamine repente universorum templorum antistites, simul et ipse vates sparsis crinibus cum insignibus atque infulis pavidi vecordesque ... procurrunt. Frustra ex Herodoti VIII, 37 advocatur ὁ προφήτης, qui inferiore ætate nusquam commemoratur neque supra apud Iustinum significatus est. Scribendum: antistites, simul et *ipsæ* vates ... infulis, pavidi vecordesque. Easdem significat Iustinus, quas c. 6, 9 (mentes vatum), duas Pythias, ut Plutarchus de def. orac. 9, aut plures. [Sic Modius e codd. Fuldensibus.]

(De XXVIII, 3, 11 dictum est vol. I p. 64.)

Lib. XXX, 1, 8: atque ita (Ptolemæus) omni magnitudine nominis ac maiestatis oblitus noctes in stupris, dies in conviviis consumit. Hoc ne Ieepius quidem sine mendi nota transmisit. Subest: atque ita *animi mollitudine* nominis ac maiestatis oblitus. (Initium mendi fuit itanimi.)[1]

---

[1]) XXXI, 6, 8 coniectura scripseram *adsentantium* adulationibus, inscius id et Bongarsio et aliis placuisse.

Lib. XXXIV, 2, 7: Dum hæc aguntur, rex Syriæ Antiochus Ptolemæo, maioris sororis suæ filio, regi Ægypti, bellum infert. Scrib. litteræ geminatione sublata: *maiori* sororis suæ filio. Vid. § 8, ubi minor huius frater (minor sororis filius) nominatur. (Sed hoc quoque in aliquot codicibus et editionibus esse video.)

Lib. XXXV, 1, 6: Itaque (Antiochenses) adiuvantibus et Ptolemæo, rege Ægypti, et Attalo, rege Asiæ, et Ariarathe, Cappadociæ, bello a Demetrio lacessiti subornant Balam (hoc aperte subest in propalam) quendam, sortis extremæ iuvenem, cet. Antiochenses non bello lacessiti erant a Demetrio, sed cum ipsi ab eo defecissent, auxilium acceperunt ab iis regibus, quos ille bello lacessierat. Et est *lacessitis* (geminata littera) in E et duobus aliis fuitque in una et altera editione.

Lib. XXXVI, 1, 10: Iudæos quoque, qui in Macedonico imperio sub Demetrio patre armis se in libertatem vindicaverant, subegit. Scrib. qui *a* Macedonico imperio, nisi ausus est Iustinus præpositionem prorsus omittere.[1]) [Sic iam Bongars.]

Ibd. 3, 5: Sed non minor loci eius apricitatis quam ubertatis admiratio est. At silva tectus erat locus, et laudatur statim tanquam causa huius apricitatis naturalis quædam ac perpetua opacitas. Itaque fuerunt, qui hic quoque opacitatis cum mira tautologia scriberent; nec cum ubertate recte aut opacitas aut apricitas per se comparatur. Fuit: loci eius *salu-*

[1]) Subegit in memoriam revocat repositum a Ieepio XII, 4, 2 barbare subiecerat (ut absolute de subigendo et aliquid suæ dicionis faciendo dicatur) idemque tentatum contra A VII, 3, 1. Etiam XLIII, 3, 2 restituendum subactis.

britatis quam ubertatis. Semel scripto *s* (alubritatis) longius serpsit mendum interpolatione accedente.

Lib. XXXVII, 2, 3: et cum (cometes) oreretur occumberetque, IV horarum spatium consumebat. Scrib. *dum* (ad ortum occasumque conficiendum).

Lib. XXXVIII, 4, 9 (in Mithridatis oratione oblique reddita): Gallorum autem nomen ... in partem virium suarum ipse numeret. Ferri hoc pro eo, quod est se numerare (h. e. numero), nullo modo posse sensit iam Gronovius. Scrib. *ipsi numerent* (hoc est: ipsi numerate; cfr. c, 7, 9). [Sic Wopkens.] Tum in *parte*.

Ibd. 5, 5 (in eadem oratione): Cum inter hanc decretorum (Romanorum) amaritudinem parendo non tamen eos mitigaret, quin acerbius in dies gerant, non obtinuisse. Nil sane mirum, cum non mitigaret parendo, non obtinuisse, quin acerbius (se) gererent. (In Ieepii enarratione nihil reprehendi potest, nisi quod *effecisse* scribit pro *non effecisse.* Apodosin protasi assimilatam scribit, hoc est, sic dixisse Iustinum: cum non mitigarim, non mitigavi.) Simpliciter tollendum prius non. Paruisse se tamen Mithridates dicit, sed etsi parendo mitigare conatus sit, nil obtinuisse. Necessario cohærent parendo tamen nec divelli negatione possunt. Præterea revocandum, ut iam significavi: in dies *se* gerant. (Paulo ante, § 3, recte Grævius lati ... auxilii pro dati.) Quod c. 7, 4 propositurus eram: multoque se timidius ... bella Pontica ingressum, cum ipse ... tiro esset, Scythia ... locorum quoque solitudinibus vel frigoribus instructa, nunc video a Scheffero occupatum.

Ibd. 7, 8 (in eadem oratione): tantumque se avida exspectat Asia, ut etiam vocibus vocet. Hoc quoque incredibiliter pravum pro eo, quod est: *avidam exspectare Asiam*; nec *tantum avida* pro *tam avida* Iustinus dixit. Longe aliter scriptum olim fuerat ad hanc

formam: tantumque [*abesse, ut*] se *pavida* exspectet Asia, ut etiam vocibus vocet, nisi quod præterea pro insipido hoc vocibus vocet aut *vicibus* vocet (cfr. Suet. Calig. 22) aut simile aliquid restituendum puto. (Paulo infra revocandum, quod edebatur e cod. E et aliis: Nam iustitiæ atque liberalitatis suæ nec ipsos milites, qui experiantur (eas virtutes et de iis existimare possint), testes refugere etc. *Testes experiri* de adhibendis non dicitur, nec militibus, apud quos loquitur Mithridates, milites testes experiendi erant. Cap. 9, 3 aperte lacunosus est codex A et qui ab eo pendent.)

Lib. XLI, 2, 8: nec pugnare diu possunt; ceterum intolerandi forent, si, quantus iis est impetus vis, tanta et perseverantia esset. Requiri quanta præter correctorem codicis E etiam alii intellexerunt, sed, dum non vident, unde mendum ortum sit, plura prave mutant; scribendum est: si, quanta iis est impetus vis, tanta et perseverantia esset. Contrariæ vis impetus et perseverantia eius ponuntur; cum impetus pro nominativo haberetur, ei accommodatum est quantus. Hæc enim probabilior correctio videtur quam ut sublato vis, quod ex ultima syllaba nominis impetus ortum putari debet, fiat: si, quantus iis est impetus, tanta cet.

(Lib. XLIII, 3, 9 restitueram: quam more gentis electo inter epulas genero nuptum tradere illico parabat pro illic, collata emendatione, quam in Senecæ epist. 70, 5 feci; verum hoc quoque Schefferus præcepit, qui non raro ceteris prudentior fuit.)

Lib. XLIV, 5, 6: Et maior utroque Hannibal imperator, Hamilcaris filius, succedit. Scrib. *Ei* maior utroque Hannibal imperator .... succedit. [Sic Bongars.]

Historiæ Augustæ scriptores, qui appellantur, cum olim particulatim legissem, ante aliquot annos, codicum antiquorum (Bambergensis, B, et Palatini, P) scripturis plenius accuratiusque ab Iordano et Eyssenhardtio vulgatis (nam Peteri editionem tum non adhibui), in manus resumpsi et nescio quomodo partim tristium temporum imaginis contemplatione animum varie afficiente, partim emendandi quodam studio allectus totos, sed festinanter, legi. Miratus in his quoque editoribus sum superstitionem quandam et iudicii inconstantiam infirmitatemque, dum alia etiam multo incertiore ratione corrigerent, alia prætereuntibus aut retrahentibus, quæ et manifestas mendorum notas et perspicuas errorum causas præferrent et certissime ab antiquis editoribus aut postea emendata essent et in vulgatis editionibus recte scriberentur.[1]) Postea comparata Peteri opera, præter plura in scriptura codicum accuratius indicata (nec tamen ita, ut omnis ubique dubitatio tollatur) non paulo ab eo melius rem administratam esse intellexi nec solum rectas superiorum scripturas permultas, quas illi iacere sivissent aut expulissent, restitutas, sed etiam non ita pauca, quæ ipse invenissem, ab eo aliisve nuper præcepta.[2]) His sublatis quæ remanserunt, hic

[1]) Exemplo uno contentus ero. Cui non mirabile ac prope incredibile videatur, in trig. tyr. 26 (Trebelliano), cum pridem editum esset recta et simplici oratione: Pudet iam persequi, quod in codice B conflatis litteris (pudetiam) et ad speciem Latinæ vocis efficiendam addito n scribitur pudentiam persequi, deinde autem in P natum est pudentia est persequi, hoc edi, illius emendationis ne mentione quidem facta? Recte eam tenuit Peter.

[2]) Ex his duo exempli et confirmationis causa ponam. Sept. Sev. 2 scripseram omisso tribunatu militari, Prob. 2 infitias ire. Illud Hirschfeldius occupavit (Herm. III p. 230), hoc Peter.

perbreviter subiiciam. (Imperatorum nomina pono, omissis scriptorum, quæ non ubique certa sunt.)

Hadr. 4: Corrupisse eum Traiani libertos, curasse delicatos eosdemque sepelisse per ea tempora, quibus in aula familiariorum fuit, opinio multa firmavit. Sic codices. Quod substituitur sæpe levisse aut livisse, pro levïgasse prorsus fingitur. Scribendum opinor eosdemque *depilasse* (pilos vellisse, humillimo ministerio et obsceno). [Sic Lipsius.]

Ibd. 10: Post hæc profectus in Gallias omnes casuariis liberalitatibus sublevavit. Subest: omnes *casus variis* lib. subl. Et variis iam Mommsenius.

Æl. Ver. 2: quasi quidam principum fili (B 1; P filii) uiri et designati Augustæ maiestatis heredes. Sic codices, ex quo fit: principum *liberi* (liueri) *et* designati ... heredes. Nimis longe discedit Bernhardyi correctio.

Ibd. 4: Quodsi non recte constellatio eius collecta est, quem credimus esse victurum? Scrib. Quid, si non r. const. eius collecta est? *Quin* credimus esse victurum?

Anton. Phil. 4: Fuit autem vitæ indulgentia, ut cogeretur nonnunquam vel in venationes pergere vel in theatrum descendere vel spectaculis interesse. Prave dicitur fuit vitæ indulgentia, ut, sive nominativum, sive ablativum putamus. Sed neque indulgentia vitæ quæ sit, neque quid omnino indulgentia hic agat, intelligitur. Primum geminato *m* et lineola altius producta, fit *multæ*, deinde: Fuit autem *multæ diligentiæ*, ut cogeretur cet. [Et diligentiæ iam Lipsius.]

Ibd. 5: Tunc primum pro Annio Aurelius cœpit vocari, quod in Aureliam, hoc est Antonini, adoptionis iure transisset. Desideratur substantivum et ad Aureliam et ad Antonini. Post Aureliam

excidit *familiam* ob quattuor extremas litteras (liam) eandem. Cfr. Ver. 2: patre ab Hadriano adoptato in familiam Æliam devenit. (Æl. 2: in Æliorum familiam.) Antiquiores gentem dixissent.

Ibd. 13: Tunc autem Antonini leges sepeliendi sepulchrorumque asperrimas sanxerunt; quando quidem caverunt, ne quis velle abfabricaretur sepulchrum, quod hodieque servatur. Infeliciter corrigunt. Scriptum fuisse opinor: ne quis *villæ applicaret* sepulchrum; nisi quis adfabricaretur retinere audet.

Ibd. 17: Contra Germanos res feliciter gessit. Speciale ipse bellum Marcomannicum sed quantum (sic recte Peter ex Eutropio pro quanto) nulla unquam memoria fuit, cum virtute, tum etiam felicitate transegit. Scrib. *Speciali* ipse bellum Marc. ... cum virtute, tum etiam felicitate transegit. [Sic Casaub.]

Ibd. 18: Unde etiam templum ei constitutum, dati sacerdotes Antoniniani et sodales et flamines et omnia, quæ de sacrata (B; P sacratas) decrevit antiquitas. Sic codices; edunt de sacratis; sed tum omittendum erat de, nam consecratis hæc decernebantur. E cod. B efficitur perspicue: et omnia, quæ *æde* sacrata decrevit antiquitas. Semel scriptum est *æ*, cum bis deberet.

Ibd. 25: Simul petit, ne qui senator tempore principatus sui occideretur, ne eius pollueretur imperium. Ferri nequit eius pro suum, præsertim post sui (ne sui .. ne eius). Videntur litteræ tres, una adiecta, geminandæ: ne *nece* eius (senatoris) poll. imp.

Avid. Cass. 8: dicens meruisse Neronem, debuisse Caligulam, Othonem et Vitellium nec imperare voluisse. Etiam de Pertinace et Galba paria sentiebat, cum diceret in imperatore ava-

ritiam esse acerbissimum malum. Pertinacem, qui aliquanto post Antonini mortem imperator fuit, hic nominari non potuisse apparet. Sed simpliciter delere Pertinace et non licet. Scribendum: Etiam de *pernicie* (*de pernicie ac cæde?*) *Galbæ* paria sentiebat. Superiora sana videntur, semicolo post Caligulam posito. Neronem meruisse, Caligulam debuisse occidi Antoninus dicebat; Othonem et Vitellium ipsos imperium retinere ac defendere noluisse.

Ibd. 9: Antiochensis, qui Avidio Cassio consenserant sed et his et aliis civitatibus, quæ illum iuverant, ignovit. Iordanus lacunæ notam posuit post consenserant; Peter Antiochensibus scripsit et voces sed et his delevit. Scribendum est: *Antiochenses quoque* Avidio C. consenserant; sed et his et aliis civ. ... ignovit. (Paulo post mire Mommsenius et Iordanus hic damnant amitæ, in Anton. Phil. 26 nihil offensi. Nimirum suæ (amitæ suæ marito) refertur non ad subiectum sed ad obiectum, significaturque maritus amitæ Drunciani et Alexandriæ.)

Commod. 5: trecentisque aliis puberibus exoletis, quos æque ex plebe ac nobilitate nieptusque (sic B; P nuptiisque) forma disceptatrice collegerat. Neque aliæ emendationes quicquam profecerunt neque, quam Peter sequitur, Turnebi vultusque; nam et que abundat, et forma multo rectius per se dicitur quam vultus forma (hoc est, oris). Neque Overdickio (Zeitschr. f. d. œsterreich. Gymnasien, 1865, p. 740) res successit. Lenissime adiuvandi litterarum in B ductus sunt: *vi pretiisque*, forma disceptatrice, collegerat. (Cfr. Pertin. 7: exceptis his, qui per vim Palatio videbantur inserti.)

Ibd. 11 oratio, una littera in codicum scriptura mutata, sic interpungenda est: quem (præfectum præt.) saltare etiam nudum...iussit,...deformato vultu

genere (pro genera) leguminum coctorum. Ad convivium ... raro vocavit. Genere illo leguminum ut fæce perfrictus vultus erat. Quæ a Salmasio excogitata eduntur, et sententia et oratione prava sunt (*vacare genere leguminum ad convivium*).

Septim. Sev. 1: Severus, ... cui ... pater Geta, maiores equites Romani ..., mater Fulvia Pia, patrui magna per et Severus consulares, avus maternus Macer, paternus Fulvius Pius fuere. Berolinenses editores mendi notam apponunt. Peter patrui Marcus Aper, male posito in uno homine prænomine. Una vocali amissa voces conflatæ sunt: patrui *magni Aper* et Severus. Qui sint patrui magni, dicendum non puto.

Ibd. 6: Eodem tempore etiam de Clodio Albino sibi substituendo cogitavit, cui Cæsarianum decretum aut Commodianum videbatur imperium. Quæ res significetur, ex mendosis verbis tamen fere pellucet et intelligitur e Clod. Alb. c. 3 et 6 et 13. Scribendum videtur propius ad vestigia codicum, quam Mommsenius scripsit: cui Cæsarianum decretum *aput Commodum* (*iam*?) videbatur imperium. Cæsarianum imperium pro loco ac dignitate Cæsaris etiam in vita Cari c. 7 dicitur.

Ibd. 17: cum quidam ex hostibus eidem se suppliciter obtulissetque dixisset ille quod facturus est, non est mollitus tam prudente dicto interfici eum iussit. A corrigendi probabilitate aberrant, qui que transponunt. Scribendum videtur: se suppliciter obtulisset, quæ dixisset (Severus), *illico* facturus, non est mollitus tam prudente dicto et (hoc addidit Peter) interfici eum iussit (aut: non mollitus t. p. dicto interfici e. i.).

Ibd. 18: ac populo R. diurnum oleum gratuitum et facundissimum in æternum donavit. Oleum diurnum in æternum donari nequit, manifestoque contraria ponuntur oleum diurnum et aliud quiddam, quamvis cum oleo fortasse coniunctum, in æternum donatum. Nec oleum fecundissimum aut iucundissimum (sic enim corrigitur) aut datum omnino tolerabiliter dicitur aut in æternum. (Oleum fecundum nullum est.) Subesse opinor: oleum diurnum gr. et *lacum profundissimum* (oleo servando) in æternum donavit.

Ibd. 21: Sallustii orationem, qua Micipsa filios ad pacem hortatur, ingravatus morbo misisse filio dicitur maiori, idque frustra et hominem tantum valetudine. Iordanus mendi notam posuit, Peter lacunæ post frustra, quæ sententia sic exire potuerit: et hominem tantum valetudine, divinandum relinquens. Scribendum: et *omine* tantum *valituram*. Omine tantum, quid Caracallus Iugurthæ exemplo facturus esset, valuit oratio missa, nihil præterea profuit. Homines pro omine scribitur in codicibus c. 22.

Ibd. 22: Post murum apud vallum missum in Britannia cum ad proximam mansionem rediret. cet. Quid sit murum mittere et murum apud vallum mittere, ignoro et ignorant, ut opinor, mecum ceteri. Codices mire maurum. Suspicor fuisse: Post *taurum* (Postaurum) apud vallum missum, ut significetur taurorum certamen ibi habitum. Mittitur taurus e cavea in arenam; hinc locutio nata de eo, qui eiusmodi ludos faceret committeretque.

Clod. Albin. 1 (de Septimio Severo et Clodio): Sed cum alter alterum indignaretur imperare, nec Galli ferre possent aut Germaniciani exercitus, quod et ipsi suum specialem principem haberent, undique cuncta turbata sunt. Scrib. necessario: *quin* et ipsi. Volebant et ipsi non minus quam

ceteri suum specialem principem habere. Multis locis ita quin corruptum est. (Cfr. ad Cic. fin. p. 661 sq.)

Ibd. 10: Est et alia epistola, qua idem Marcus ... de hoc eodem scripsit, cuius exemplum hoc est. Scrib. *quam* idem.

Ibd. 11: Nam et quingentas ficus passarias, quas Græci callistruthias vocant, ieiunum comedisse dicit. A passere appellatas apparet, unde fingi passarius nequit (quod est a participio *passus*), sed *passerarias*.

Ibd. 12: Exstat epistola Severi, quæ ostendit animum suum, missa ad senatum. Scrib. *qua* ostendit. Ab hac quidem vita et eiusdem formæ ceteris prorsus abhorret suus simpliciter pro eius positum. [Sic Casaub.]

Caracall. 8: Est etiam hæc fabella, quod dictare noluerit orationem, qua invehendum erat in fratrem, ..., illum autem negantem respondisse, illud esse parricidium aliud accusare innocentem occisum. Manifestum est in illum negantem transiri ad aliam personam (Papinianum), prius igitur verbum ad Caracallum pertinere. Itaque (quod etiam ex negantem perspicue apparet) scribendum: *voluerit*.

Opilius Macr. 6: dicantes et duas statuas equestres, pedestres duas. Scrib. dicantes *ei* duas cet.

Ibd. 11 duo postremi versus sic scribendi videntur proxime ad codices, cum insolita apud veteres elisione primæ syllabæ:

Nam pius et felix poterat dici atque videri;
qui imperio infelix est, erit ille sibi.

Codd. dicique viderique imperium infelix est et erit cet. Tum scribendum: Hos versus nescio qui *de Latinis* (hominibus sive poetis; codd. delatis) iuxta eos cet. [Et sic est in edd. vett.]

Ibd. 13: in annonis tribuendis largissimus fuit, in auro parcissimus, in verandis vel aulicis tam impius, tam pertinax, tam asper, ut servi illum sui non Macrinum dicerent, sed Macellinum, quod macelli specie domus eius cruentaretur sanguine vernularum. Pro verandis scribunt vernaclis e Salmasii coniectura, sed subest in hoc manifesto: in *verberandis*; potest aliquis suspicari vernaculis subesse sub illis vel aulicis; sed *vernaculi* pro *vernis* nusquam dicuntur. Credo fuisse in *verberandis servis* aulicis aut *vernis* aul.

Anton. Diadum. 8: Nam cum...audisset auctores quidem defectionis occisos, tamen quorum dux Armeniæ erat et item legatus Asiæ ..., ob antiquam familiaritatem dimissos, his litteris convenisse patrem dicitur, cet. Pro quorum Salmasius et recentiores qui eorum, neque oratione neque sententia recta (dimissus enim dicitur, qui fuerit ex occisis). Scriptum fuerat ad hanc formam: auctores quidem defectionis occisos, [*alios*] tamen, quorum dux Armeniæ erat ..., .. dimissos, cet.

Heliogab. 20: Voluit et per singulas urbes lenones præfectos urbi facere, ut essent in urbe quattuordecim, et fecisset, si vixisset, promoturus omnes turpissimos et ultimæ professionis homines. Additur e Casauboni coniectura regiones (urbis regiones lenones). Id latet sub ipso altero nomine: per singulas urbis *regiones* præfectos urbi facere, ut essent ... XIV, cet. Primum de numero dicitur, post (promoturus cet.), quales homines Heliogabalus præfectos facturus fuerit; nec tantum lenones erat promoturus.

Ibd. 32: vel lanam cepit et appendit atque ad eius æstimationem ponderis pisces amicis exhibuit. Mirum *lanam capere*, miri pisces ad

æstimationem ponderis lanæ exhibiti. Scr. *Balænam* cepit et appendit atque ad eius æstimat. pond. pisces amicis exhibuit (pisces tot, ut balænæ pondus æquarent).

Alexand. Sev. 14: hos accepisse dicitur versus...et primum quidem sortibus. Videtur vox excidisse: et primum quidem *Græcis* sortibus; sequitur enim et hæc quidem de Græcis versibus, tum transitur ad Latinos; sortibus omnia hæc agebantur.

Ibd. 15: Fures iudicare iussit in civitatibus ullis nunquam videri et, si essent visi, deportari per rectores provinciarum. Sine sensu est iudicare videri (videntur intelligere, quasi sit indicio vetare videri); nec vetari poterant in ulla civitate videri. Omitto ullis nunquam. Quod certum et indubitatum est (videri.., si essent visi), mutant editores scribuntque iussit. Scripserat Lampridius: Fures *iudicatos* iussit in civitatibus *suis* nunquam videri, et, si essent visi, deportari cet. Interdixit, ne in suis civitatibus unquam conspicerentur (conspici auderent).

Ibd. 22: ius conferre rationes, quod impurus ille sustulerat, hic omnibus reddidit. Neque *ius conferre* ne hi quidem scriptores dixerunt pro eo, quod est *conferendi*, neque, quod sit hoc ius rationes conferendi, quisquam dixerit, et, si quid ea verba significare fingimus (velut: das Recht Rechnungen unter sich abzumachen), eiusmodi est, ut ne insano quidem in mentem venire potuerit id tollere aut postea reddito opus fuerit. Subest perspicue significatio rei, cuius ad hanc ætatem propagatæ aliud testimonium nullum habemus: Ius *confarreationis* ... reddidit. Id poterat tolli et reddi, et dignum Heliogabalo erat sanctissimam nuptiarum cærimoniam tollere.

Ibd. 33: Corpora omnium constituit vinariorum, lupinariorum, caligariorum et omnino

omnium artium cet. Tollendum prius omnium, ex altero præceptum.

Ibd. 41: aut perdices inter se pugnarent aut gacplæ parvolæ sursum et deorsum volitarent. Nihil aliud subesse videtur nisi: aut *aviculæ* parvolæ.

Ibd. 48: commendatumque militibus, a quibus Alexander unice amabatur, tutum ad villas suas ire præcepit, in quibus diu vixit; sed post iussu imperatoris occisus est, quod et ille militaris esset et a militibus occisus esset. Verba quædam (occisus est ... occisus esset) male bis scripta esse multi intellexerunt. Sed is error ex altero ortus est. Nam sic scriptum olim erat: militibus, a quibus Alexander unice amabatur, quod et ille militaris esset, tutum ad villas suas ire præcepit, in quibus diu vixit; sed post iniussu (sic recte Salmasius) imperatoris a militibus occisus est. Omissa primum verba quod et ille mil. esset, cum in margine suppleta essent, in malum locum immigrarunt effeceruntque, ut bis ea, quorum seriem interruperant, scriberentur.

Ibd. 49: Ego non patior (recte edd. patiar) mercatores potestatum et eos, quos, si pariant, damnare non possim. Scr. et eos, quos, si *rapiant*, damnare non possim. Quibus ipse imperator honorem vendiderat venundarive passus erat, eos, si rapinis pretium recuperare conabantur, damnare vix poterat.

Ibd. 64: Reprehensa sunt in Alexandro hæc: ... quod curas privatis agebat, quæ omnia in rep. instituerat. Scribendum opinor: quod *curis* privatis agebat, quæ *omittere* in rep. instituerat. Saltem hæc extrema (quæ ... instituerat), quæ vulgo seiungunt, superioribus continuanda sunt, et sub omnia infinitivus latet.

Ibd. 65: cum ille (Traianus) diceret Domitianum pessimum fuisse, amicos autem bonos habuisse, atque ideo illum magis odio fuisse quæ remp. temporis uitæ ille quia melius est unum malum pati quam multos. In corruptis litteris subest: atque ideo illum magis odio fuisse *quam* remp. temporis *sui læsisse*, quia cet. Gravius odium fuit quam reip. reapse damnum. (Salmasius aberravit. Ex temporissui ortum temporis ui, tum ex ui læ factum uitæ, ex sisse autem ille.)

Ibd. 67: Scio, imperator, quod periculo (recte vulgo et Berolinensis ed. quo periculo) ista dicantur apud imperatorem, qui talibus serviit, sed salva rep., posteaquam intellexisti cet. Scr.: serviit; sed *salvast resp.*, posteaquam cet.

Maxim. duo 2: Et in prima quidem pueritia fuit pastor, nonnumquam etiam procerte, qui latronibus insidiaretur et suos ab incursionibus vindicaret. Mire Eyssenhardtius: etiam latro certe, sive nomen sive adverbium consideres. Scribendum videtur: nonnunquam etiam *in procinctu* (hoc est, in armis et expeditione; cfr. vit. Valer. 1: nam ille in procinctu cum Decio tunc agebat).

Ibd. 6: Quinta quaque die iubebat milites decurrere, in se simulacra bellorum agere, cet. Fuisse opinor: decurrere, *inter* se simulacra bellorum agere, cet.

Ibd. 9: qui ei sæpe misericordiæ paupertatis causa pleraque donaverant. Scr. *misericordia*. [Salmas.]

Ibd. 12: circumventus esset (sic recte vulgo pro est) a Germanis, nisi cum suo equo inhærentem liberassent. Germanine liberarunt? Bene tamen, quod non alieno equo inhærentem. Scr. nisi *eum sui* equo inhærentem lib. Ex eum factum cum, tum suo.

[Bæhrensius in annal. philolog. a. 1871 p. 656: nisi eum sui cum equo, non recte retenta præpositione.]

Ibd. 13: Sarmatis inferre bellum parans atque animo concupiens. Non barbaro verbo (pro concupiscere), sed Latino *concipiens* scriptum fuisse etiam animo ostendit. Apud Senecam quoque rhet. p. 284 Bip. Bursianus, cum in codicibus pro figuras compingebat repperisset fig. concupiebat, scribere debuit concipiebat (ut nunc Kiesslingius fecit). Apud Ennium (Cic. de div. I, 107) ferri fortasse aliquo modo pro adiectivo positum posset concupientes regni; sed codices habent:

curantes magna cum cura, *tum* cupientes Regni.

Ibd. 19: omnes Gordiani metu partium in Africa interemit. Neque omnes Gordiani neque metu partium ferri potest. Verum non quattuor voces, quarum additarum causa indicari nequit, sed una tollenda est: omnes Gordiani partium in Afr. interemit, hoc est, qui Gordiani partium erant. [Casaub.] Genetivo non intellecto additum est metu. (Cap. 17 tenendum, quod codices habent: amicis, qui eum videre non poterant, sed tacebant, hoc est, qui conspectum eius æquo animo ferre non poterant; vid. quæ de hoc loquendi genere exposui, etiam Siesbyei copiis usus, ad Cic. Fin. II, 67 p. 257, ubi hic locus addendus est.)

Gordian. 18: Maximini seu eiusdem Alexandri temporibus ad proconsulatum patris missus legatus est obsecutus atque illic ea, quæ superius dicta sunt, contigerunt. Mire notatur obsecutum esse, qui legatus patri mitteretur. Scrib. missus legatus est *ab senatu*. Vid. c. 7: filio ... sibi legato a senatu dato.

Ibd. 32: Cogitaverat præterea cum Misitheo, ut post basilicam thermas æstivas sui nominis faceret, ita ut hiemales in principio por-

ticuum poneret sine usu essent vel viridaria vel porticus. Addunt ne post poneret (ne sine usu essent), nulla sententia; cur enim, si thermæ hiemales alio loco essent, sine usu futuræ vel porticus vel viridaria erant? et cur vel-vel, non et ponitur? Scribendum: ita ut hiemales in principio porticuum poneret, *intus* essent vel viridaria vel porticus.

Ibd. 33: Nam omnes, quicunque illum gladio adpetiverunt, qui novem fuisse dicuntur, postea interemptis a Philippis sua manu suisque gladiis et isdem, quibus illum percusserant, interemisse dicuntur. Editiones habent interemptis Philippis, deinde se addunt aut post Philippis aut post interemisse. Sed quid ad rem pertinet id interemptis Philippis accidisse? Scribendum: postea *interempti sunt* a Philippis [*aut se*] sua manu ... interemisse dicuntur.

Maxim. et Balbin. 5: Quare veluti senatus ei homini, quod non licebat novæ familiæ, imperium tamen detulit, confessis omnibus, eo tempore in senatu aptiorem non esse cet. In veluti opinor subesse dativum participii orationisque formam huiusmodi fuisse: Quare *vitanti* senatus ei *omne*, quod non licebat novæ familiæ, imperium tamen detulit cet. Ipse modeste verebatur in communibus rebus et honoribus suæ familiæ modum excedere; senatus ei non honorem aliquem veteri familiæ convenientem, sed imperium detulit. In imperio deferendo non quærebatur, quid liceret et quid familiæ liceret; itaque hoc necessario alio pertinet.

Ibd. 9: Nam et in publicum processit, manus singulis quibusque tenuit et pæne ictum lapidis passus est. Scrib.: Nam et in publicum *cum* processit, cet. Opinor etiam fuisse: manus ...

tetendit. Nam *manus hominibus tenere* (pro eo, quod est *hominum)* neque dici videtur neque rem huic loco aptam significare.

Ibd. 13: adclamationes primum publicæ fuerunt, quæ milites contingerent. Scribendum publicæ fuerunt (et communes, ut *publicus* hac ætate dicitur), quæ milites *non tangerent.* Postea, ut statim narratur, in senatu dicta sunt, quæ milites irritarent, cum imperatores a militibus eligi non debere significaretur.

Valerian. c. 6 (2): Tu censibus modum pones, tu vectigalia firmabis, divides statu respublicas recensebis. Vocabulum statu ex superiore versu (statum) repetitum videtur; quo sublato scribendum fortasse est: tu vectigalia firmabis, *debita* (deuita) *reipublicæ* recensebis. (Resp. non recensenda erat.)

Gallien. 12: Fuit præterea idem ingeniosissimus, cuius ostendentia cum in his scilicet pauca libet ponere. Dubitari omnino nequit, quin litteris recte coniunctis et separatis sublatoque levissimo errore scribi debeat: cuius *ostendendi acuminis.* Ad hæc reliqua facile accommodantur: cuius ostendendi acuminis scilicet *causa* pauca ponere libet. Excidit causa ante pauca[1]).

Ibd. 13: Ipsa (Zenobia) suscepit imperium diuque rexit non muliebriter neque more femineo, sed non solum Gallieno quoque virgo melius imperare potuisset, verum etiam multis imperatoribus fortius atque sollertius. Primum prorsus vitiose quoque ponitur, deinde omnino non dicitur, quomodo

---

[1]) Cap. 3 rectum est specie decoris. Decus volebat videri Gallienus, quod pater virtutis studio deceptus esset.

Zenobia vere imperium gesserit, sed ineptissime, quid facere potuisset; perverse etiam ipsa virginis nomine significatur, Odenati vidua et ex eo sæpius mater. (Praviora hæc fecit Salmasius verique indicia sustulit, fortibus atque sollertibus scribens.) Accidit hic, quod in Alexand. Sev. 48 accidisse vidimus, ut verba quædam primum errore omissa post alieno loco interponerentur. Nam quæ ad hanc de Zenobia sententiam absolvendam pertinent, quattuor post versibus leguntur contra scriptoris mentem de Gallieno dicta: sollertis principis rem gerebat, prava etiam oratione pro sollerter. Iis retractis (nisi quod sollertis ex sollertius ortum est), adhibita leni mendi in quoque manifesti correctione, nascitur optima et certa loci forma: sed non solum Gallieno, [*quo una*] *quæque* virgo melius imperare potuisset, verum etiam multis imperatoribus fortius atque sollertius *principis rem gerebat.* Gallienus sane, ubi ei nuntiatum (est?) Odenatum interemptum, bellum Persis ad seram nimis vindictam patris paravit collectis (vulgo collectisque, addito que post transpositionem) per Heraclianum ducem militibus, qui tamen Heraclianus cet. (Cap. 17 contrario errore duo verba cum syllaba tertii [nec defuit An] ex inferiore loco præcepta sunt, quem errorem Salmasius correxit.)

Triginta tyr. 4: a patre appellatus Cæsar ac deinceps in eius honore Augustus. Scribendum esse in eius *honorem* (eius honorandi causa, ut Galli loquuntur: en egard de lüi) satis constat ex iis, quæ dixi opusc. I p. 168 med. (add. Val. Max. IV, 8, 2, V, 2, 1, VI, 5 E 3, Senec. ep. 65, 22, ad Polyb. 3, 1, de benef. IV, 30 init., V, 19, 8, Plin. min. ep. VII, 24). Quod ibd. p. 169 posui tribus exemplis firmatum in odium alicuius, eius tria alia addam ex his scriptoribus, in Maxim. duob. 13 et 14, trig. tyr. 22. Infra hoc ipso libro (trig.

tyr.) c. 11 recte Peter cum vulgatis editionibus tenuit in contemptum Gallieni nec varietatem scripturæ notavit; Eyssenhardtius in codicibus tradit esse in contemptu et male secutus est. *In contemptum Spartanorum* Iustinus dixit III, 5, 5; *in cuius pertinaciæ pœnitentiam* eodem modo pro eo, quod est *pœnitentia*, Suetonius Aug. 27. Apud Tacitum ann. XIV, 15 contra Acidalii admonitionem retinetur in spe potentiæ ab iisdem, qui XIV, 63, Hist. III, 47, IV, 42 recte edunt, etiam ab Halmio, Nipperdeio, Rittero. [In honorem etiam Bæhrensius.]

Ibd. 10 extr.: Et utinam vel illi, qui arripuerant imperia, regnare potuissent, vel eius filius in imperio diutius non fuisset, ut libet se in suo statu resp. nostra tenuisset. Neque hoc (ut libet) ferri potest, neque quicquam nos iuvat aut libere, quod vulgo editur, aut utique, quod Peter coniecit. Verum perspicue et tota orationis forma et ipsæ illæ litteræ monstrant: Et utinam vel illi ... vel ... diutius non fuisset; *utralibet* (utrolibet modo) se cet.

Ibd. 14: Idem quoque adulescens dignissimus Romano imperio fuit, ut vere Macriani filius, Macriani etiam frater, qui duo afflictis rebus potuerunt remp. gerere, videretur. Non mihi prætereundum videtur de Macrianorum familia cet. Sic interpuncta oratione apparet nullam litteram in codicis B scriptura mutandam esse, a qua P tantum eo aberrat, quod (si Eyssenhardtio credimus) pro videretur habet videtur. Cum vulgo mire interpungeretur post gerere, Salmasius et recentissimi editores lapsi sunt.[1])

Claud. 3: cuius vita, probitas et omnia, quæ in rep. gessit, tantam posteris famam dedere, ut cet. Scrib.: cuius *vitæ* probitas cet. (Contra c. 5 scr.

[1]) Ibd. c. 22 init. scripseram velut furiosi. Præcepit Bæhrensius.

dignum exitum *vita* ac moribus suis habuit pro vitæ. Dignus cum dativo nunquam positum est. Novi Plauti atque etiam Ovidii, si dis placet, testimonia.) Eodem capite (3) quod legitur: ut etiamnunc videtur expressa thorace vultus eius, ne si expresso quidem cum Salmasio scribas, ullam habet sententiam; vulgo addebatur contra codices imago post eius. Sed nullo thorace exprimi imago vultus potuit. Scribendum videtur: *et* etiamnunc videtur *expressus a*-thorace vultus eius. Significatur προτομή, imago vultus a thorace et humeris incipiens, sive malis, in ea desinens.[1])

Ibd. 9: quantum esset additum reipublicæ; si quidem nunc verba naufragii publici colligit nostra diligentia ad Romanæ reipublicæ. Neque verba naufragii publici quicquam significant, neque ea colliguntur, neque tenuis scriptoris opera in hac comparatione, quid fieri potuerit, quantaque damna facta sint, ullum habet locum. Scribendum: si quidem nunc *reliquias* naufragii publici colligit *vestra* (Augustorum, ad quos scribitur) diligentia. [Sic fere Cas.] Si quid propius quam reliquias in eandem sententiam reperiri poterit, accipiam. Deinde recte opinor a Petero orationem interpunctam post diligentia et lacunam notatam.

Aurelian. 6: Refert Theoclius Cæsareanorum temporum scriptor. Nulla sunt tempora Cæsariana, nisi omnia inde a Iulio Cæsare comprehendas. Scrib. Theoclius *Cæsarianus*, *eorum* temporum scriptor. (Cap. 5 mirabar neminem scripsisse, quod cuivis in mentem venire necesse esset: Fuerunt et postea multa omina iam *militanti* (Aureliano) futuri ... imperii; deinde vidi sic apud Bipontinos et in veteribus edd. scribi.)

---

[1]) Cap. 6 scripseram, ut Oberdickius, admirabilem pro amabilem.

Ibd. 9: Quare sinceritas tua, mi parens carissime, supra dicto viro adficiet, quamdiu Romæ fuerit, panes militares mundos sedecim, cet. Videat mihi aliquis, quemadmodum exiguo litterulæ inflexu novæ significationes et constructiones verborum oriantur (*adficere alicui panes*, quamquam non multo melius erit *adficere aliquem panibus*). Scriptum erat olim: supra dicto viro *adiiciet* (præter ea, quæ habet) panes cet. [Præceperat Grut.]

Ibd. 11: Si esset, Aureliane iucundissime, qui Ulpii Criniti vicem posset implere, tecum de eius virtute ac sedulitate conferrem, nunc tecum requirere potuissem. Salmasius hunc tecum requirere. Sed, ne alia commemorem (hunc post eius), ineptum est de viro reperto requirere. Scrib.: tecum de eius virtutę ... *conferre nec te* requirere potuissem. (Nunc te requiro. Ita omnis lacunæ suspicio tollitur.) Eodem capite infra hæc leguntur: Tuum est ..., quærere præterea, ubi carrago sit hostium, et vere scire, quanti qualesque sint, ut non in vinum aut annona consumatur aut tela (P tala) iaciantur, in quibus res bellica constituta est. In codice B corrector post in addidit cassum (incassum) recte, quid sententia postularet, intelligens, idque secutus Peter est; mirationem tamen habet vini ab annona separati priore loco mentio. Non addendæ sex litteræ, sed una mutanda erat: ut non *in vanum* aut annona consumatur aut tela iaciantur. Ad utrumque verbum pertinere in vanum sanissimumque esse tela iaciantur vix opus est addi. *In vanum* (unde Galli *en vain*) pro adverbio *frustra* cœptum est dici hac ætate, quemadmodum olim *incassum (in totum*, *in tantum*, *in commune*, *in reliquum*, cett.), apud Senecam *in supervacuum* (tribus Senecæ locis, qui in lexicis ponuntur, addi potest quartus de otio

3, 3), similiter atque *ex vano* ceteraque eius generis. Atque ipsum in vanum prope eodem modo positum reperitur apud eundem Senecam de tranqu. an. 9, 3 (ut tela in vanum cadant) et epist. 31, 4 (in vanum operosos).

Ibd. 22: Transactis igitur, quæ ad septiones atque urbis statum et civilia pertinebant, contra Palmyrenos ... iter flexit. Mendum hic subesse multa in uno vocabulo arguunt, septionis nomen absolute (sine genetivo) de munitione et muro positum, deinde plurali numero positum, quasi plures urbes sæpiusve sæptæ muro sint, tum non de urbe primum munimentis cingenda, sed de mœnibus urbis dilatandis, ut superiore capite dictum est, postremo hoc totum de urbe munita, quod in superiore narratione extremum est, primo loco commemoratum et ab urbis statu separatum, omissa autem omnis ceterarum rerum prioribus capitibus expositarum mentio, quibus demum perfectis ad Orientem animum convertere Aureliano licuit. Breve faciam. Scripserat Vopiscus: quæ ad *septentriones* atque urbis statum et civilia pertinebant. Res contra Suevos, Sarmatas, Marcomannos gestæ et Gallia Germaniaque et Pannonia a barbaris defensæ significantur. Nocuit scribendi compendium.

Tacit. 2: et speciatim in monumentis publicis inseranda eadem posteros humani generis stupenda moderatio. Sic codices. Editur inserenda, nec deterret insolentia dicendi (pro eo, quod est *inserere monumentis* aut *in monumenta*); tum posteris fit, hæretur tamen (aut hæreri debebat) in eadem. Scribendum videtur: et in mon. publicis *servanda ad* posteros humani generis stup. mod.

Prob. 13: contra urbes Romanas castra in solo barbarico posuit. Tollendum castra, additum, cum contra pro præpositione haberetur, quod rem superiori

[redacted]

contrariam notat. (Castra ad defendendas urbes posita nullo modo contra urbes posita dici possunt.)

Ibd. 21: ingentem parans fossam, qua deiectis in saltum naribus loca Sirmiensibus profutura siccaret. Quod ante omnia faciendum erat, ut in Savum scriberetur, cum ipse annotassem, occupatum vidi a Clossio. Sed restant nares illæ, quas si quis foramina et spiramenta intelliget, primum eluvies et humores eiusmodi non per foramina tenuia, sed plenis fossarum alveis egeruntur, deinde nares et foramina non in flumen deiiciuntur. Scribendum sine dubio est geminatis duabus litteris: deiectis in Savum umoribus.

Firm. 3: Sed eosdem dentes postea Carinus mulieri cuidam dono dedit, quæ lectum ex iis fecisse narratur, quia et nunc scitur et sciri apud posteros nihil proderit, taceo. Recte Eyssenhardtius pronomen relativum ad orationem et explendam et vinciendam necessarium ante quia excidisse putavit; sed excidit non quod (nam rem scriptor non tacet), sed *quæ;* nam feminæ nomen premit. (Ex quæ auditur eam.) Paulo ante miror a Petero receptum, quod Eyssenhardtius coniecit adductus, quod eo loco, quo ponitur, ad Aurelianum referri nequit, de Iove absurdum est; et ipsum cognomen, quod subiicitur, Iovis Consulentis coniunctum perspicue est cum sortibus ad eius templum et sedem traductis.

Car. 4: In ephemeride quadam legisse memini, Carum Mediolanensem fuisse, sed lavo (B1; B2P avo) iuria Aquileiensis civitatis insertum. Edunt fere: sed ab avo (Casaub.) iuri Aquil. civitatis insertum. Cur non a patre? Et inserimur civitati, non iuri civitatis. E B efficitur perspicue: sed *albo curiæ* Aquileiensis civitatis insertum (albo decurionum). (Ex albo factum est alvo, tum lavo.)

Ibd. 8: Coruscationum deinde ac tonitruum in modum fulgurum igniti sideris continuata vibratio omnibus nobis veritatis scientiam sustulit. Delendum fulgurum, quod ad priores genetivos adscriptum est. (Vibratio coruscationum in modum igniti sideris.)

Ibd. 9: Sarmatas adeo ... feroces, ut invasuros se non solum Illyricum, sed Thracias quoque Italiamque minarenter, ita sic inter bella pariendi contudit, ut cet. Optime Peter ex sic inter fecit scienter, sed violentius bellum gerendo. Videtur fuisse: ita scienter bella *partiendo* contudit.

Numerian. 11: Nemesiano, qui *ἁλιευτικά, κυνηγετικά* et *ναυτικά* scripsit quinque omnibus colonis illustratus emicuit. Peter: inque omnibus. Sed cur in coloniis tantum, non in municipiis quoque atque Romæ? Scribendum: quique (sic iam P2) omnibus *coronis* illustratus emicuit. Certaminum victoriæ significantur. [Sic Casaub.]

Ibd. 13 (de Diocletiano): virum ... amantem reip., amantem suorum et ad omnia, quæ tempus quæsiverat, temperatum, consilii semper alti, nonnunquam tamen frontis sed prudentiæ nimia pervicacia motus inquieti pectoris comprimentis. Sic codices. Edunt: ad omnia, quæ tempus quæsiverat, paratum, Peter statim paratum. Putem potius fuisse: ad omnia ... *attemperatum* (et se accommodantem). Deinde miro consensu nova apud Latinos voce Diocletiano, qui a scriptore tantopere laudatur, effrons consilium tribuunt, quod quale sit, nescio. Scribendum est: nonnunquam tamen frontis *et* prudentiæ nimia pervicacia motus inq. pectoris comprimentis. Modica reprehensio laudibus additur,

[redacted]

quod frons, quæ consilia tegit, et prudentia interdum nimis pervicaciter pectoris motus celaverit.

Carin. 19: Nam et neurobaten, qui velut in ventis cothurnatus ferretur, exhibuit, et tichobaten, qui per parietem urso eluso cucurrit. Agitur (ut e tichobate intelligitur) non de inani specie oculos decipiente (et quomodo efficeretur species in ventis currentis?) sed de vera arte periculosissima. Scribendum: qui *neruis intentis* cothurnatus ferretur. Et nervos subesse Turnebus senserat, sed loco non recto quæsiverat.

Cap. III.

Fragmenta veterum scriptorum apud Nonium posita.

Etsi neque grammaticorum Latinorum inferioris ætatis libros per se, nisi quantum aliorum studiorum ratio postulabat, tractavi neque in fragmentis unius pluriumve veterum scriptorum, qui interciderunt, colligendis, in ordinem redigendis emendandisve unquam propriam perpetuamque operam posui. tamen prope casu accidit, ut in amplissimam diversissimamque huiusmodi reliquiarum copiam, quam Nonius Marcellus neque satis perite neque satis diligenter collegit vel ab aliis collectam composuit, paulo plus operæ studiique conferrem. Nam cum ad Nonium primum Ciceronis locorum causa, qui apud eum plurimi excitantur, ante multos annos delatus necessario universam libri formam condicionemque considerassem, illectus et mendorum multitudine et varietate et multorum, si quis errandi genera notasset tenuiaque sententiarum indicia arripere sciret, emendandorum facilitate subinde paucis horis subsecivis exercitationis et pæne lusus causa paginas aliquot percurrebam uno

Mercerii exemplo utens (nondum enim, cum hoc facere incepi, Gerlachii et Rothii prodierat) nec, quid alii post Mercerium iam effecissent, anquirens, et quæ in mentem venerant, in marginibus annotabam, eaque ratione sensim totum librum pertractavi. Deinde paulatim cum Gerlachii Rothiique, nuperrime autem etiam Quicheratii (Par. 1872) editionem compararem et eorum libros, qui scriptorum fragmenta nuper collegerunt, non sane huius unius rei causa inspicerem,[1]) maiorem partem eorum, quæ annotaveram, delevi, pleraque, quod præcepta aut pridem aut nuper erant, quædam, quod meliora ab aliis inventa videbam. Supersunt emendationes neque valde multæ et quædam minus gravium vulnerum, quas tamen hoc extremo loco excludendas non puto. Sed antequam eas profero, corrigendum mihi non sine pudore est, quod vol. I p. 152, cum Turpilii fragmentum apud Nonium p. 281 positum alioquin recte emendarem, gravi negligentia peccatum est. Nam dum festinans et de solis verbis sententiaque cogitans locum describo, oblitus sum, quod faciendum simul cum ipsa verborum emendatione annotaveram, versuum rectam formam restituere. Quæ enim in tres senarios vitiosissimos distribuuntur, duobus versibus octonariis cum parte tertii constant:

Forte eo die
Meretrices ad me de vicinitate aliquæ convenerant
condixerantque cænam apud me, Thais atque Erotium,
Antiphila, Pythias.[2])

---

[1]) Comparavi scenicorum poetarum fragmenta a Ribbeckio collecta (tragicorum editionem alteram), Ennii a Vahlenio, in Lucilio Franckenium et Luc. Muellerum, in Varrone Vahlenium, Riesium, in historicorum fragmentis Peterum.

[2]) In vulgari versuum descriptione primus, ut omittam quarti pedis vitium propter mendum lenitate, aut syllaba deficitur aut immanem hiatum habet, alter extremum pedem apud me, in tertio Thais priorem habet brevem, Antiphila penultimam longam.

[redacted]

Pergo ad cetera, quæ brevissime proferam. Nam menda fere manifestissima et consensu damnata sunt; emendationem vestigia perspicua codicum et errorum causæ apertæ sententiæque restitutæ simplex veritas commendare debent. Ea, in quibus omnibus licenter versis mutatisque tamen nihil efficitur nisi species quædam correctionis omni probabilitate carens, equidem relinquere malo quam ludendo emendationis et hariolationis terminos permiscere. Ponam paginas Mercerianas vocesque, quibus exempla a Nonio subiecta sunt, fragmentaque, quæ attingo, ut in codicibus (qui ex uno fonte orti simillimi sunt inter se) scripta sunt, nisi si quod pusillum mendum pridem sublatum referre prorsus supervacaneum est; in emendata eorum forma typorum genere significabo, quid a me ipso proprie emendatum sit; cetera igitur, quæ a codicibus discedunt, iam ab aliis reperta esse intelligendum est; neque enim semper auctores singulatim adscribere in hac brevitate opus videtur. Aliorum conatus a meis discrepantes rarissime commemorabo. (Ciceronianorum quorundam et Sallustianorum fragmentorum emendationes supra posui; Sallustii unum superest, tum non animadversum.)

P. 2 (senium) Afranius Vopisco:

Hæc sunt venena formosarum mulierum;
Mala ætas nulla delenimenta invenit.

Pro nulla scribendum aut multa, quod etiam Quicheratio in mentem venisse video, aut potius *alia*. (Personæ novæ aperta eiusdem sententiæ continuatio tribui nequit.)

P. 6 (exercitus) Afranius Suspecta:

Ita ut huic hero adolescenti,
Cui suspicium tradidit, qui me est animi exercitus.

Extrema verba, quæ initium versus faciunt, sic scribenda sunt:

Quid me est animi *exercitius?*

(Prioris versus exitus videtur fuisse: *supplicium* tradidit.)

P. 7 (frigere) Varro *ὄνος λύρας*: Sæpe totius theatri tibiis crebro flectendo commutare mentes, frigi animos eorum. Versuum, si versus sunt, de quo valde dubito, forma incerta est. Recte Scaliger commutari, Buechelerus erigi, in quod ipse incideram, ut Nonius prava scriptura deceptus sit. Restat ut scribatur: erigi animos *miserorum*. (Fortasse fuit: *tibicinio* flectendo. Nam tibicinium non solum Gellius et Apuleius, qui in lexicis citantur, dixerunt, sed Cicero nat. deor. II, 22 et, ut opinor, etiam orat. 198.)

P. 11 (toralium) Varro de vita P. R. libro I: Quod frontem lecticæ struebant, ex ea herba torta torum appellatum. Quicheratius frondem. Scribendum: Quod *fronde lecticas* struebant, cet.[1])

P. 16 (extispices) Varro Serrano, *περὶ ἀρχαιρεσιῶν*: Ait consulem mihi pilum cedere; subsilio et hostias et extispices disputantes relinquo. Varro scripserat: mihi pilum *credere* (hoc est, primum pilum mihi committere). Consul neque pilum ducit neque eo cedit, nedum eum.

P. 18 (rutrum) Varro Marcopoli, *περὶ ἀρχῆς*: Cui celer *δι' ἑνὸς λήμματος λόγος* Antipatri Stoici filius rutro caput displanat. Scribendum: Cui celer (aut cum Rœpero celere) *δι' ἑνὸς λήμματος*, *ut λόγος* Antipatri Stoici, filius rutro c. disp. Filius patris caput rutro celeriter displanans comparatur cum syllogismo Antipatri *δι' ἑνὸς λήμματος* adversarium prosternente.

P. 26 (rabulæ) Varro Papiapapæ, *περὶ ἐγκωμίων*: Ille ales gallus, qui suscitabat Atticarum Musarum scriptores, an hic quia gregem rabularum.

[1]) P. 13 (haustra) Nonium non rotarum cadi, sed *radii* scripsisse puto.

Scribendum opinor: *at* hic *inquietat* gregem rabularum.

P. 36 (collare) Lucilius lib. XXIX:
Cum manicis, catulo collarique ut fugitivum deportem. Scr.
Cum manicis *catulum* collarique ut fugitivum deportem.
(hoc est, ut catulum fugitivum.[1])

P. 56 (infans) Varro *ὄνος λύρας*: Voces Amphionem tragœdum; iubeas Amphionis agere partes; infantiorem quam meus est mulio. Scrib. Voces *Ambivium;* iubeas Amphionis agere partes; infantior *erit*, quam meus est mulio. Ambivius Turpio comœdus ad tragœdiam agendam traductus infans reperietur. Tragœdum aut a prave explicanti adiectum est aut pro comœdum simili errore substitutum, cum appareret de tragœdia agi. (Cfr. p. 87 cognominis.)

P. 61 (porcæ) Attius Parergorum lib. 1: Bene proscissas cossigerare ordine porcas, bidenti ferro rectas diribere. Nihil subesse puto nisi *consignare* (et notare).

P. 67 (proletarii) Cassius Hemina annali lib. II (scrib. annali II): Tunc Marcus præco primus proletarios armavit. Scrib. Tum C. Marcius *pretio* (prætio) primus proletarios armavit. Nisi tempus Cassii Heminæ obstaret, scribendum erat cum Freinshemio C. Marius; videndum, ne exciderint nonnulla et hæc verba alius, non Cassii Heminæ sint.

P. 70 (aurigatur) Varro Modio: Asse vinum, asse pulmentarium, secundas quo natura aurigatur, non necessitudo. Scr. secunda quum (sic

[1]) P. 46 (syrus) Nonius scripsit: Has nos scrobes (non scopas), rustici Græco (non eo) nomine sirus appellant.

Riesius; potest fuisse *quoi*) *fortuna* aurigatur, non necessitudo.

P. 71 (autumnitas) et 193 (autumnus) Varro Serrano, περὶ ἀρχαιρεσιῶν: Retinet viatorem meridie prætereuntem fontem, quod autumnitas in anni tetrachordo mensem (p. 193 mensum codd.) præterierat. Riesius fons, recte fortasse, nisi fuit *forte*. Sed scribendum: in anni tetrachordo *μέσην* præterierat. A chorda media imago sumitur.

P. 87 (compluries) Cato suasione in legem Popili (sic recte Iordanus pro populi): Quod compluries usu venit, omni tempore anteventum esse rempublicam reddimus. Scr. omni tempore *eventurum (item eventurum?)* esse in republica *credimus*.

Ibd. (cognomen) Afranius Divortio: Letium genus cognominationis morborum cognominis. Scribendum:

Leti unum genus
cognovi, *nationes* morborum.

Cognominis adscriptum est ad cognominationis. Longe aberrarunt Bothius et Hermannus.

P. 92 (cis) Varro rerum human. lib. XX: Eo die cis Tiberim redeundum est, quod de cælo auspicari ius nemini sit præter magistratum. Scr. nemini st.

P. 97 (degulasse) Afranius Brundisinis:

Imo iamdudum hoccubuisse, degulasse oportuit.

Pro hoccubuisse restituendum *accubuisse*.

P. 99 (dolitum) et p. 436 (cælare) Varro Agathone:

Numnam cælatus in manu dextra scyphus
Cælo dolitus artem ostentat Mentoris?

Vix dubito, quin Nonius (ut p. 7 in frigere, p. 273 certissimo exemplo in constitutiones et institutiones,

alibi non raro) scripturæ mendo deceptus sit, cum Varro *politus* posuisset. Ipsum dolandi verbum ab hoc artis opere eleganti alienissimum est.

P. 99 (descobinatis) Varro Meleagris: Sin autem delectationis causa venamini, quanto satius est salvis cruribus in circo exspectare (al. spectare) quam his descobinatis in silva currere. Fuit: in circo *spatiari.*

P. 111 (fluctuatim) Afranius Pompa:

... Tene tu, in medio nemo est, magnifice volo
fluctuatim ire ad illum; accipite hoc tege tu et sustine.

Scribendum videtur:

fluctuatim adire ad illum; *accipe tu hanc tegetem* et sustine.[1])

P. 133 (literosus) Cassius Hemina annalium libro III: Homo mere literosus. Scrib. *mire* lit.

Ibd. (lusus vel lusio) et p. 214 (nundinæ): Varro Marcipore: Utri magis (p. 214 Maiores, om. utri) sunt pueri, hi pusilli nigri (cod. Harl. hi pusillini), qui spectant nundinas, ut magister dimittat lusum. Scr. Utri magis sunt pueri, hi *pusilline*, *ægre* qui exspectant nundinas cet.

P. 144 (nitidant) Attius Thebaide: Quin id Circæo fonte adveniunt mundulæ nitidantur vulgo quadripedantur sonipedum. Adhibitis aliorum emendationibus propius ad codices, quam illi fecerunt, accedi potest:

Qui de Dircæo fonte adveniunt *mundi*, *ubi*
nitidatur *fulgor* quadripedantum sonipedum.

---

[1]) In fragmento Varronis Eumenidum, quod p. 119 (gallare) ponitur, in his litteris essenahoranam allatam video subesse *coronam* allatam, præcedente adiectivo (... eam), quod materiam significet; sed cetera non expedio; retineo tamen: imponeret ædilis signo (deæ, *eam* gallantes vario recinebant studio?)

Ibd. (nixurire) Nigidius commento (recte Quicher. commentario) grammatico XXV: Nixurit, qui niti vult et in conatu sæpius aliqua re perpellitur. Scr. *repellitur*.

P. 172 (somnurnas) Varro Prometheo libero:

Levis mens nunquam somnurnas imagines
Adfatur, non umbratur somno pupulæ.

Scribendum opinor: *Cuius* mens.

P. 174 (satu) Attius Pelopidis:

Nam me ut credam ex tuo esse conceptum satu,
ut argumenta redigunt animum et commovent.

Necessario restituendum: *tua* argumenta.

P. 176 (saperdæ): quasi sapientes vel elegantes. Varro Modio: Omnes videmur nobis esse belli, festivi, saperdæ, quum simus *σαπροί*. Nonius aut is, quem sequitur, Varronis verba male interpunxit et intellexit. Varro enim sic coniungi voluerat: belli, festivi, saperdæ quum simus *σαπροί*, ut saperdæ *σαπροί* insipidi et nullius pretii intelligantur. Apud Festum p. 325 stultum, non sapientem suppleri debet. Timocles comicus Græcus aperte cum contemptu dixit: *σύνεστι σαπέρδαις δυοῖν*, duobus homuncionibus ineptis (Athen. VIII, 339 E).

P. 177 (sportas) Varro de vita pop. R. lib. I: Neque enim obsonium in tota cæna coemptum ex variis rebus quum coniectum in unam sportam perspicitur. Tollendum quum, ortum ex con. [Edd. ante Iunium.] Nam in totam cænam iam Quicheratius.

P. 181 (tetrica) Varro *τοῦ πατρὸς τὸ παιδίον, περὶ παιδοποιΐας*: An, etiamsi audisset, reddere potuisset mulieri tetricæ horrentis ducat ad Appiam moribus bonis. Recte iam alii horrentis tollendum iudicarunt, ex proximo Vergilii exemplo huc retractum. Sed scribendum: mulieri *tetrice eductæ* ad *aviam*, moribus bonis. (Quicheratius educatæ.)

P. 197 (castitas): Varro rerum divinarum libr. I: Nostro ritu sunt facienda quam his civilibus, Græco castu. Scr. Nostro ritu sunt facienda, *animis* civilibus, Græco castu.

P. 200 (collus masculini) Attius Epigonis:

Quid cesso ire ad eam? em, præsto est camo collum gravem.

Frustra camo defenditur. Puto fuisse:

Quid cesso ire ad eam? em, præsto est; *iam cerno* collum gravem.

Ibd. (copulæ) Attius Phinidis:

Obtorque proram ac suppa tortas copulas.

Videtur fuisse: ac *suffla* t. c.

P. 205 (fretum): Lucilius:

Serena cæli lumina et salis fretus.

Codices serena (aut serana) cæcili. Videtur fuisse:

Serenat cæli lumen et salis fretus.

P. 208 (horrea) Claudius oratione in Quintium Gallum (probabiliter Meyerus: Calidius ... in Q. Gallium): Quarum (quorum) iaceni murena (muræna, munera) ulla horrea curiaque et tabulariæ publicæ. Scrib. Quarum (urbium) iacent muri, *navalia*, horreæ (?) curiæque et *tabularia publica*.

P. 211 (liba) Nigidius de diis: Deinde surgat, faciat libos quattuor, et infra: libos duos ad dextram et duos devexos. Scr.: et duos *lævorsus*.

P. 214 (nundinæ) Idem (Varro) rerum humanarum lib. XX: Decemviri quum fuissent, arbitrari vinos nundinum divisum habuisse. Scrib. *arbitrari* (se dicit) binos nundinum divisum habuisse. Sic codices, non arbitrati.

P. 221 (propago) Pacuvius Antiopa:

Salvete, gemini, mea propages sanguinis.

Scrib. Salvete, gemini, *mei* propages sanguinis.

P. 229 (tarditas) Varro Bimarco: Ne me pedatus versuum tardor neprenet arte cum prytinon (pritymon) certum. Scrib.

Ne me pedatus versuum tardor refrenet,
arte cum *Pythia concertem.*

P. 230 (vulgus) Attius in Eurysace: Diffidam antem ne cidere turbat vulgum ambigua accius euitat, mœros dissicit. Proxime litterarum vestigia sequentibus emerget verum:

Diffidens autem, ne *fide*
returbet vulgum ambigua *ac ius ebitat,* mœros dissicit.

Nihil violentius magisve temerarium vidi Ribbeckii in hoc loco coniecturis.

P.233 (anima) et 334 (liquidum) Varro Eumenidibus:

Phrygios per ossa cornus liquida canit anima.

Nescio, quomodo accusativus Phrygios cornus cum ceteris coniungatur; quod autem Riesius cornui' posuit genetivo casu, non intelligo, quid adiectivo Phrygios fecerit. Scribendum opinor:

Phrygios *perosa* cornus liquida canit anima.

Ibd. (in eadem voce) Idem (Attius) Epinausimache:

Ut nunc quum animatus iero, satis armatus sum.

(Ribbeckius: Ut nunc, cum an.) Scrib.

Ut nunc *sum* animatus, *si* iero, satis armatus sum.

P. 237 (aditus) Attius Medea:

Tunc Diomedes, cuius aditum exspectans pervixi usque adhuc.

Scribendum:

Tune *illa* Medea es, cuius cet.

P. 251 (cedere) Lucilius lib. XXVIII:

Vel si alio opus sit. fore si hinc aliquo cesseris.

Rectum erit:

Vel si alio opus *est, foras* hinc aliquo cesseris.

P. 262 (consternare, vel potius. confirmare, ut Bothius vidit) Pacuvius in Peribœa:

[redacted]

Consternare animæ ex pectore hac et volvere
Consilium subit omnes quod denata est modo,
Qui pacto inimicis mortem et huic vitam afferas.
Scribendum:
Confirmare, anime, ex pectore audė evolvere
consilium *subitum*, *res quod* enata est modo,
qui pacto inimicis mortem et huic vitam afferas.

P. 270 (concedere) Lucilius lib. XXVII: In concedere unum atque in eo dare quo superatus manus. Scrib.

Id concedere
Unum atque in eo dare *queo* superatus manus.

P. 276 (damnare) Lucilius satir. lib. XI:
Cassiu' Gaius hic operariu', quem Cephalonem
dicimu' sectorem, Furiumque hunc Tullius quem
Index heredem facit et damnati alii omnes.

Adhibitis aliorum coniecturis effici debet:
Cassiu' Gaius hic operariu', quem *Cephalenum*
dicimu' sectorem furemque; hunc Tullius, inquam,
Index heredem facit, at *damnant* alii omnes.

Quamquam fortasse rectius erit:
furemque, *hic*, Tullius, inquam,
Quem Index heredem facit, at damnant alii omnes.

Cephaleniæ (Cephalleniæ) incolas vexaverat Cassius sive publicanus sive fenerator sive præfectus legatusve.

P. 294 (evadere) Sisenna historiarum lib. IV: Cohors una passim concitata, qua murus erat interruptus, evadit. Scriptum fuerat *passu concitato*, etsi passus pro gradu magis apud poetas in usu est; Ennius celeri passu dixit.

P. 304 (factio) Cæcilius filium in alta eorum famam occultabat factio. Ex litteris filium in a eruto, quod pridem Mercerius invenerat, fabulæ nomine Philumena, ex lta eorum reliquisque efficiendum est:
Facinorum famam occultabat factio.

Nec hic versus confundendus est cum illo, quem ex Cæcilii Plocio Gellius II, 23 profert.

P. 307 (facessere) Afranius Liberto:

Nolo hic te videat, dominus est; puer, facesse hinc.

Scribendum:

Nolo hic te videat dominus; *st!* puer, facesse hinc.

P. 321 (invitare) Turpilius Thrasyleone:

Coronam, mensam, talos, vinum, hæc huiusmodi,
quibu' rebus vita amantum invitari solet.

Sic edunt Lipsium sequentes; codices vinus in hæc, tum: vitam amattum invitari solem. Scribendum:

Coronam, mensam, talos, vinum, *quæque* huiusmodi,
quibu' rebus *vitia* amantum invitari *solent.*

Ibd. (in ead. voce) Lucilius lib. XXX:

Cibo (*al.* cito) bene enim longinquum mortalibu' morbum
in vino esse, ubi qui invitavit dapsilius se.

Scribendum:

Scis bene enim, *non* longinquum mortalibu' morbum
in vino esse, cet.

Ex hoc morbo celeriter convalescunt homines, cum crapulam edormierunt.

P. 322 (insolens) Turpilius Demetrio:

Timere occepi et interdum oscitarier.

Scribendum perspicue, geminato m:

et interdum *mussitarier.*

P. 330 (interficere) Lucilius lib. XXIX:

Prius non tollas
quam Tulli animum ex homine atque hominem ipsum
interfeceris.

Scribendum (notato errore in numero libri, quoniam liber XXIX senariis constabat):

Non priu' tollas,
quam *tu sustuleris* animum ex homine atque hominem
ipsum
interfeceris. [Non prius Muellerus.]

[redacted]

P. 331 (insigne) Lucilius libro XXVII:

Cocus non curat caudam insignem esse illam, dum pinguis siet;
sic amici animum quærunt, rem parasiti ac divitias aut.

Locus sic restituendus est:

Cocus
non curat caudam insignem esse *suillam*, dum pinguis siet;
sic amici animum, rem parasiti *atque* divitias *amant.*

Corrupto extremo verbo (pro quo alii avent scripserunt), additum est quærunt.

P. 336 (limen) et 529 (vile) Varro virgula divina: Ad quos (p. 529 atabos, attabos) quum volucris (volucres) venit apud illos usque ad limen nitida bilis (vilis). Versuum nulla certa indicia sunt. Scribendum puto: At *pavos* cum volueris, venit apud illos usque ad limen Indica *avis* vilis.

P. 341 (mactare) Attius Antenoridis:

quia ut illorum copias
fundam in campo aut navis uram aut castra mactabo
in mare.

Audeo suspicari, hic quoque Nonium errore librarii deceptum, ab Attio scriptum fuisse:

quin aut [sic Bergkius] illorum copias
fundam in campo aut navis uram aut castra *iactabo*
in mare.

P. 344 (merum) Varro *τοῦ πατρὸς τὸ παιδίον, περὶ παιδοποιΐας*: Ac liberos parare cui necesse sit, non est merum; nec tu edepol quid simulas tuis. Scribendum: nec tu edepol, *quod* simulas, *vis*. Versusne hi sint, prorsus incertum est. Mire Riesius. (Non est merum et simplex, ut affirmari universe negarive possit.)

P. 349 (maturum) Varro Eumenidibus: Discumbimus mussati dominus maturo ovo ad cænam committit. Sublata geminatione restat sati

dominus. Suspicor fuisse: Discumbimus; *facit* dominus maturo ovo ac coenam committit.

P. 352 (nobile) Lucilius lib. XXIX:

Tum illud epiphoni quod etiam tum nobile est.

Scribendum:

Tum illud ἐπεφώνει, quod etiam *nunc* nobile est.

P. 369 (putare) Titinius Fullonibus:

Da pensam lanam; qui non reddet tempori,
putatam recte, facite, ut multetur malo.

Scribendum:

Adpensam lanam qui non reddet tempori,
putatam cet.

(Alioquin debebat scribi date, ut Iunius Lipsiusque animadverterunt.)

P. 370 (passum) Nævius Iphigenia:

Passo vel hoc vicinum Aquilone hortum fer foras.

Nonnulla alii emendarunt. Scribendum:

Passo velo *vicinus* Aquilo *me e* portu *feret* foras.

Vicinus Aquilo est regioni Tauricæ.

P. 390 (severum) Varro Eumenidibus:

Tertia Pœnarum
Infamia stans nexa in vulgi
pectore fluctuanti, intonsa coma,
sordida vestitu, ore severo.

Recte Rœperus Infamiæ substituit Insaniam; sed nihilo melius illa stabit nexa aut in vulgi pectore fluctuanti (vel potius fluitanti; nam eo necessario participum pertinet, æqualiter distributis substantivis adiectivisque). Scribendum:

Tertia Pœnarum
Insania, stans *nixa* in *fusti*,
Pectore fluitanti, intonsa coma,
sordida vestitu, ore severo.

P. 407 (tenacia) Ennius Hectoris Lytris:

Ducet quadrupedum

[redacted]

iugo invitam doma infrena et iuge valida,
quorum tenacia infrenari minis.

scribendum puto:

Ducet quadrupedum
iugum invitum *domans* freno et *fune* valido,
quorum tenacia *infringi* minis (nequit).

P. 410 (triste) Varro Triodite Tripylio, *περὶ ρετῆς κτήσεως*:

Illud vero quondam meæ,
ut ego non metuam fulmen, non aruspicem
tristem, simul ac dici non quæro.

rimi versus sententia dubia non est, verba reperiri certo equeunt; cetera sic scribenda sunt:

ut ego non metuam fulmen, non aruspicem
tristem, simul ac *Glycerion* quæro.

ato quodam et perpetua animi proprietate fit, ut, quoties iellam amatam quærat, nihil metuat.

P. 425 (fors) Idem (Lucilius) in eodem (XIII):

Aut forte omnino ac fortuna vincere bello:
Si forte ac temere omnino, quid cursum ad honorem?

crib. quid *fors ad* honorem?

P. 427 (priores) Lucilius satirarum lib. XX:

Calpurni sævam legem Pisoni' reprendi
Eduxique animam in primoribus naris.

cr. Eduxique animam *vix* (?) in primoribu' *labris*.

P. 433 (morata) Afranius Vopisco:

Dum morigeram, dum morosam præbeo,
Deinde aliquid dedita opera controversiæ
concinno, lædo interdum contumeliis.

cribendum:

Tum morigeram, *tum me morosam* præbeo.
Deinde cet.

P. 452 (torrere) Varro Eumenidibus:

Capite aperto esse iubet, ante lucem suscitat,
frigore torret, venatum eicit ieiunio vellicem.

Substituunt pro extrema voce villicum, neque aptæ personæ nomen neque cum ablativo ieiunio congruens. Scribendum:

Capite
aperto esse iubet, ante lucem suscitat,
frigore torret, venatum eicit ieiunio
velocem.

Velocitatis augendæ causa hominem cibo fraudat.

P. 458 (sumen) Lucilius satirarum libr. IV:

Quod si nulla potest mulier tam corpore duro
esse, tamen tenero maneatque sucussa lacerto
et manus uberi lactanti in sumine sidat.

Scribi oportet:

Quod si nulla potest mulier tam corpore duro
esse, tamen tenero *manet quin* sucu' lacerto
et manus *ubertim* lactanti in sumine sidat

(profundeque imprimatur). Quin similiter (pro quam) restituturus eram in Cæcilii fragmento e Fallacia p. 512 sed præceperunt alii, quibus obeditum oportuit. [Ubertim etiam Muellerus.]

P. 480 (miras) Varro Eumenidibus: Hospes, quid miras animo curare Serapim? Quid quasi non curat tantidem Aristoteles. Idem eisdem: aut ambos mira aut noli mirare de eodem. Verba idem eisdem recte subditicia Ribbeckius et Riesius iudicarunt, unumque esse fragmentum. Sed quod post Scaligerum curet scribitur, tolli simul debebat quid, quod temere fieret. Versuum nulla indicia certa sunt. Scribendum: Hospes, quid miras *nimio* (alii nummo) curare Serapim? Quid, *quæso*, non curat tantidem Aristoteles? Aut ambos mira aut noli mirare *de deo*. Vulgare mendum est in quasi.

P. 494 (ædis) Varro de vita populi Romani lib. I: Hæc ædis, quo nunc est, multis annis post facta sit inque omnia regiis temporibus

templa parva facta. Scrib. Hæc ædis, quæ nunc est, m. a. post fact*ast*, denique (?) omnia cet.

P. 495 (accusativus cet.) Attius Epinausimache:

Ab classe ad urbem tendunt, nec quisquam potest
fulgentium armum armatus ardorem obtui.

Scr.: fulgentium armum *advorsus* ardorem obtui.

P. 496 (genetivus casus) Titinius Psaltria:

Dicis tu quæso quo te avortisti? mei
fastidis, meæ deliciæ?

Scrib. Dic, istuc, quæso, *quor* te avortisti? Mei
fastidis, meæ deliciæ?

P. 508 (soluerit): Cælius annali lib. VII (scr. annali VII): Duos et septuaginta lictores domum deportavisse fascis, qui ductoribus hostium ante soluerint ferri. Scr. *victores*.

P. 513 (dapsile) Pomponius Rustico:

Quid nunc vis fieri? Verrem sume dapsile ac dilucide.

Scribendum: *verre*, sume dapsile ac dilucide.

P. 514 (pugnitus) Cæcilius Fallacia:

Nisi quidem qui se malit pugnitus pessumdari.

Scr. Nisi *quis est*, qui se malit p. p.

Ibd. (immortalitus) Turpilius Hetæra:

Satine ut meum cor voluptatibus dat?
Immortalitus se obtulit mihi hæc facultas.

Scribendum:

Satin', ut meum
cor se voluptatibu' *det*, immortalitus
sese obtulit mi hæc facultas?

P. 524 (turbam) Attius Athamante:

An dubito ha quid agis? cave ne in turbam te implices.

Scrib. *Tam subito*, ha, quid agis? cave cet.

P. 529 (fetiales) Idem (Varro de vita populi Rom.) lib. III: Si cuius legati violati essent, qui id fecissent, quamvis nobiles essent, uti dederentur civitati, statuerunt, cet. Scr. *Sicubi* legati cet.

P. 534 (faselus) Varro Desultorio, περὶ τοῦ γράφειν: Alius domini delicias faselon actua tonsillitore movilem flictam solvit. Scrib. Alius domini delicias, phaselon aptam *tonsillis* in litore mobilem *vinctam* solvit. (Aptum tonsillæ Rœperus, non recto numero neque casu.)

P. 536 (tunica) Titinius: Quin togis cum candidis, tunicis sordidis sint et dicis. In quin subesse fabulæ nomen, recte ab aliis iudicatum est. Reliqua sic scribenda:

Togis *cur* candidis, tunicis *ut* sordidis
sint, *edicis?*

P. 537 (stola): Ennius Telepho:

Cedo et caveo cum vestitus squalida sæptus stola.

Scribendum:

Cedo et *abeo hoc* cum vestitu, squalida sæptus stola.

P. 538 (sagum): Sisenna Hist. lib. III: Senatus auctoritate sagaria nunc. Scr. S. a. *sagati sumus*.

Ibd. (paludamentum) Sallustius Hist. lib. III: Et eodem tempore Lentulus duplici acie locum editum multo sanguine suorum defensus (recte alii defensans), postquam ex sarcinis paludamenta hostari et delectæ cohortes intelligi cœpere. Sallustius scripserat sine dubio: postquam ex *arenis* paludamenta *nostratia* et delectæ cohortes intelligi cœpere. (Postquam Lentulo paludamenta Romana ex arenis, quæ ea hactenus occultaverant, pellucere cœperunt.)

P. 543 (aula) Varro Gerontodidascalo: Sed simul manibus trahere lanam nec non simul oculis observare ollam pultis, ne aduratur. Scrib. Sed simul manibus trahere lanam *nequeo*, simul oculis observare ollam pultis, n. ad. Utrumque se simul facere posse ancilla negat.

Ibd. (in eadem voce) Idem Bimarco: Vulcanum nec quum novæ lagenæ ollarum figura ter pre-

ntur. Fuit: Vulcanum *æquum* (æcum) novæ
;enæ, ollarum *figuræ* precantur. Figuli vasa in
aino coquentes Vulcanum iis æquum et propitium precantur.

P. 553 (antesignanorum): Varro *ἄμμον μετρεῖς,*
ρὶ φιλαργυρίας:

Quem sequuntur cum rotundis velites parmis leves,
ıntesignani quadratis multis insignibus tecti.

ibendum:

antesignani quadratis *scutis segnius* tecti.

tesignani parmas non habebant.

Ibd. (tragula) et p. 555 (sparum) Varro Meleagris:

aut ille, cervum qui volabile currens
sparo secutus tragulave traicit.

ibendum:

aut ille, cervum qui *volabilem*
sparo secutus tragulave traicit.

orsus absurde hæc: cervum currens ... secutus
nponuntur.

(De Varronis fragmento p. 248, de Lucilii p. 296 et
2 dixi vol. I p. 36, 18, 73.)

Licet, opinor, fatigato desinere.

I. Index scriptorum et locorum, qui emendantur aut de quorum scriptura disputatur [1]).

---

[1]) Ad eandem formam confectus atque in vol. I.

II. Index Rerum Verborumque[1]).

1) Cogitaveram huic indici inserere notabilia mendorum exempla certis generum nominibus subiecta. Sed deterruit me et infinita copia et eligendi magisque etiam digerendi difficultas, quod sæpe duæ pluresque erroris species ad scripturam depravandam concurrerunt. Neque eos, quorum hæc exempla comparare ad rei intellectum et superstitionem vincendam et ad rectæ rationi assuescendum interesset, hæc in indice quæsituros valde credibile erat. Iuniores tamen admonitos velim, ut, quæ sparsim singulisque locis iacta interdum non magnam persuadendi vim habere videantur, ea in uno alterove scriptore, velut Seneca, colligant generatimque disponant. Hic unum et alterum fortasse ex illa cogitatione remansit, etiam vocum quarundam notabilius restitutarum notatio, cum alioquin nihil de iis explicatum sit.

[redacted]

Madvig, Johan Nikolai

IO. NIC. MADVIGII,
PROFESSORIS NUPER HAUNIENSIS,

VERSARIORUM CRITICORUM

AD SCRIPTORES GRÆCOS ET LATINOS

VOLUMEN TERTIUM,

VAS EMENDATIONES GRÆCAS ET LATINAS CONTINENS.

HAUNIÆ MDCCCLXXXIV.
SUMPTIBUS LIBRARIÆ GYLDENDALIANÆ (F. HEGEL & FILII).
TYPIS I. H. SCHULTZII.

Madvig, Johan Nikolai

Io. Nic. Madvigii,

PROFESSORIS NUPER HAUNIENSIS,

VERSARIORUM CRITICORUM

AD SCRIPTORES GRÆCOS ET LATINOS

VOLUMEN TERTIUM,

VAS EMENDATIONES GRÆCAS ET LATINAS CONTINENS.



HAUNIÆ MDCCCLXXXIV.

SUMPTIBUS LIBRARIÆ GYLDENDALIANÆ (F. HEGEL & FILII).

TYPIS I. H. SCHULTZII.

m editis a. 1871 et 1873 Adversariorum Criticorum bus voluminibus materiam criticam ad scriptorum Græum et Latinorum libros emendandos multis annis collec exprompsissem exhausissemque, non putaram fore, ut dquam posthac eiusdem generis ederem, quoniam neque titutorum rei publicæ Romanæ enarratio, cui proximos los destinaram, similem expurgandorum mendorum copiam essitatemque habitura videbatur, et illa opera absoluta alia potius studia animum traducturus eram a litteris æcis Latinisque remota. Sed tamen et scholarum, as per aliquot annos continuavi, opportunitas animique ædam inclinatio aut vetera et olim tractata libenter etens aut prætermissa explere cupiens paulo latius, m opinatus eram, me per Græcos scriptores traxit, et a illa antiquitatis Romanæ explicatio in operibus iquis, quæ eam proxime attingebant, assidue versandis pauca obiiciebat, quæ, etiamsi ad summam rem non tinerent, tamen, quia lectionem impedirent sententiamque ptorum obscurarent, mendis in transcursu liberare conarer, eri præsertim consuetudini obsequens, maximeque cum m amicissimorum hominum Ussingii et Siesbyei causa, in Ciceronis orationibus et epistolis cum philologiæ diosis pertractandis interdum symbolas a me petebant non respuebant, in hæc scripta accurate recolenda me cissem, quæ olim studiose tractata aliquamdiu, dum in

Livio et aliis operam navo, iacere siveram, iisque paulatim rhetorica adiunxissem, renovatus iuvenilis amor, ut multa, quæ antea non expediveram, altius et intentius rimarer excuteremque, impulit adiuvanteque etiam multiplici, quam in Livii aliorumque scriptorum operibus auxeram, errorum causas et vias perspiciendi exercitatione non exiguam novarum ac certarum emendationum copiam peperit. Hanc materiam aliquamdiu collectam constipatamque in scriniis continui; (nam his proximis annis et a perpetua veterum scriptorum lectione animus ad alia traductus me sensim avocavit, et, quæ ex antiquis litteris etiam nunc attingo, in iis, quoniam alienis, non meis, oculis uti cogor, scripturæ varietatem codicumque vestigia persequi nec possum nec placet;) nunc, quoniam iis, qui in scriptoribus antiquis legendis et enarrandis occupantur, aliquid ea utilitatis afferre posse videtur, ad eandem formam, quam in superioribus illis voluminibus secutus sum, edere delectu ipse facto decrevi, brevitati etiam paulo magis hactenus studens, quod quæstiones grammaticas longius, quam ipsa locorum, de quibus agebatur, tractatio requirebat, rarissime persecutus sum. Cum in scriptoribus legendis præter codicum scripturas ab editoribus annotatas instrumentum amplum nec ad manum haberem nec studiose pervolutarem, quædam etiam exempla nuper ab hominibus, de quorum ingenio ac facultate non magnam habebam opinionem, edita negligerem, fieri facile potuit, ut et nonnulla nuper bene inventa me fugerent et sæpius in emendationes a superioribus philologis occupatas incurrerem; in hoc genere ne nimis sæpe aliena meis immiscerem, cavit in Herodoto maxime et Cicerone Siesbyei mei benevolentia; ut omnis error culpaque vitaretur, ne illum quidem efficere potuisse sperare audeo, celeriter, quæ scripseram, cum aliorum libris, qui præsto erant, comparantem; nonnullis in locis, maxime quidem in Ciceronis libris, ipso etiam Siesbyeo rogante correctiones a Manutio, Lambino aliisve iam factas, quas

rum ignarus ipse posueram, saltem in margine commeoravi, ut et veritas consensu firmaretur, interdum argumentis explicaretur, et intelligeretur, quam multa bene ab perioribus illis administrata recentiores neglexissent ac significassent quidem. De ipsa arte, quæ totum hoc nus criticæ complectitur, de mendis certa ratione ita nvincendis, ut nihil attrectetur, quod scriptor ipse posuerit, iamsi reprehensione non careat, de vestigiis oblitteratis uendis et aperiendis, de ipsius veræ scripturæ exquisitione l omnes sententiæ et orationis notas dirigenda, nihil est, iod nunc iis addam, quæ in Adversariorum Criticorum imo libro exposui, nec lubet hic conqueri de eorum imodestia, qui neque sermonis antiqui scientia ac facultate ulta attente legendo comparata neque iudicio exercitatione ibacto non minus leviter sana et recta coniectando pervernt quam vitiosa defendunt; tantum, ut mihi interdum empli causa huiusmodi quædam aperte notanti ac pæne birascenti ignoscatur, precor, quæ venia fortasse facilius ihi dabitur, si addidero ridiculum me interdum mihi sum videri, qui prope octogenarius has mendorum et niecturarum minutias curem.

Liber I.

Emendationes Græcæ.

Cap. I.

Homeri Ilias. Sophoclis Aiax. Euripidis Ion.

Audax facinus aggredior. In duobus enim Iliadis locis, ios constat aliquot ante Christum natum sæculis, alterum iam Herodoti ætate, eodem modo scriptos fuisse, quo inc in codicibus et editionibus scribuntur, poetæ mentem ntentiamque antiquissimo errore obscuratam esse monrare conabor. Minus tamen, ut opinor, temeritatis res ibere videbitur, si quis prudenter consideraverit, quem-

admodum sensim constitutam Homericorum poematum formam antiqui tenuerint, cumque ea constitutione eas, quas promam, suspiciones comparaverit. Quamquam enim utrumque poetam, quem Iliadem et Odysseam composuisse ita statuo, ut neque ex prioribus carminibus materiæ summam et partes non exiguas desumptas et translatas negem neque quædam postea ad universam formam aptius contexendam absolvendamque addita, scribendi arte atque auxilio usum esse persuasum habeo, tamen non minus certum esse credo, in utroque poemate antiquissimis temporibus inter homines pervulgando et ad posteros tradendo magnas frequentis in hominum cœtibus recitationis et tenacis memoriæ partes fuisse, ita ut paulo inferiore ætate, cum libri scripti in hominum manibus versari et circumferri cœpti essent, Ilias et Odyssea magnam partem a diversis hominibus pluribus locis litteris consignarentur non sine aliqua varietate, cuius etiam nunc in veterum grammaticorum reliquiis memoria superest. Fieri itaque potuisse confitendum est, ut in hac communis et recepti textus expolitione uno et altero loco error aliquis vocabulum antiquum aut grammaticam orationis formam leni declinatione obscuraret nullo relicto veri vestigio. Quod si quis obiecerit huiusmodi errorem, si sententiæ officeret, necessario sentiri debuisse ab ipsis antiquis lectoribus, aliter iudicabit, qui in nostris aliorumque populorum recentiorum carminibus cantilenisque antiquioribus intellexerit interdum fieri posse, ut in carmine aliquo, quod universum recte intelligatur frequenterque cum delectatione recitetur, decantetur, audiatur, error aliquis veram orationis sententiæque formam obscurans audientes tamen fallat et paulatim assuetudine comprobetur.

In Iliadis libro III, 39 sqq. Hector Paridem Menelao timide cessisse indignans malleque se dicens, eum numquam natum fuisse aut uxorem duxisse, ad extremum sic exclamat:

καί κε τὸ βουλοίμην, καί κεν πολὺ κέρδιον ἦεν
ἢ οὕτω λώβην τ' ἔμεναι καὶ ὑπόψιον ἄλλων.

Adiectivum ὑπόψιος mire et insolenter e futuri temporis verbo (ὄψομαι) ductum neque simili exemplo confirmatum quid cum genetivo (ἄλλων) coniunctum significaret, ipsi antiqui ignorabant, quæque in scholiis et apud Eustathium proponuntur interpretationes (enarrant enim aut aliis invisum aut, quem aliorum cum timore pudeat), non solum ratione carent formæque ipsi vocabuli repugnant, sed etiam a sententiæ et orationis nexu prorsus alienæ sunt. Aristophanes Byzantius et Herodianus coniecturam, ut apparet, secuti ἐπόψιον scribebant intelligique volebant eum, qui in aliorum conspectu (ἐν ὄψει ἄλλων) turpiter se gereret, in qua scriptura et enarratione, præterquam quod prava vocabuli forma manet, perquam incommode, ne dicam ridicule, accidit, ut ipsius turpitudinis atque dedecoris nulla omnino in vocabulo significatio insit, sed tantummodo hominis in aliorum conspectu positi. Ad eam difficultatem, quam adiectivi significatio et cum genetivo coniunctio habet, duæ aliæ accedunt a veteribus grammaticis non animadversæ aut saltem non commemoratæ, quod cum substantivo λώβην necessario alterum substantivum copulandum erat, non adiectivum, et quod hoc ipsum substantivum eiusmodi esse debet, ut genetivus ἄλλων simul ei ipsi atque alteri τῆς λώβης nomini adiungi possit. Neque enim absolute λώβη homo dici potest, sed λώβη ἄλλων, qui aliis opprobrio atque dedecori sit. Substantivum, quod certum est hic a poëta positum fuisse, quale ipso sono litterisque fuerit, definire non ausim; significatione idem fuit, quod apud Aristophanem posterioresque ὑπώπιον sonat, hoc est, sugillatio, quæ pro gravissima contumelia dicitur. Paris Hectoris iudicio opprobrium atque sugillatio ceterorum, maxime ipsius Hectoris, erat.

In Iliadis libro VI, 286 sqq. Hecuba Hectoris mater filii admonitu donum præclarum prompsisse narratur, velum (πέπλον) splendidissimum et quod inter alia pretiosa carissimum esset atque in arca ima repositum, ut id comitan-

tibus urbis matronis Minervæ in arce atque templo offerret. Postquam igitur Hecuba in cubiculum (*θάλαμον*) odoratum descendisse dicta est, hæc leguntur (v. 289 sqq.):

ἔνθ' ἔσαν οἱ πέπλοι, παμποίκιλα ἔργα γυναικῶν
Σιδονίων, τὰς αὐτὸς Ἀλέξανδρος θεοειδὴς
ἤγαγε Σιδονίηθεν, ἐπιπλὼς εὐρέα πόντον,
τὴν ὁδὸν ἣν Ἑλένην περ ἀνήγαγεν εὐπατέρειαν.

Sic hunc locum scriptum habuerunt non solum grammatici, scholiorum, quæ ad nos pervenerunt, auctores, sed, ut videtur, etiam Strabo (lib. I p. 41 Cas., ubi tamen ὥς legitur) et eo longe antiquior Herodotus, qui hos versus II, 116 profert, quamquam neque apud Herodotum neque apud Strabonem ea vox vel potius ea littera, de qua sola controversiam movebimus, quidquam ad testimonii Homerici vim et sententiam pertinet. Itaque, ut verba nunc habent, Paris narratur Sidone non vestem pretiosam Troiam advexisse, sed mulieres Phœnissas, quæ Troiæ huiusmodi vestem conficerent. Neque ignoro nuper ex hac narratione longius etiam coniecturam ductam esse, ut in aliis quoque generibus itidem ars opificiumque Phœnicum Troiam traducta crederentur. Mihi tamen manifestum videtur, totum hoc commentum a poeticæ narrationis simplicitate et ab ea rerum forma, quam antiquissimi poetæ menti obversatam fuisse veri simile est, longe abhorrere. Neque enim poetæ est hominem miris per ultimas oras erroribus iactatum inducere artium opificiorumque aliunde ad suos cives transferendorum consilia persequentem, sed ex peregrinis, in quas deductus sit, terris res caras et pretiosas suisque ignotas in patriam referentem, quemadmodum etiam in Odysseæ libro IV, 618 et XV, 118 de Menelao narratur itidem Sidonem advecto. Ne antiquos quidem fefellit mirationis et offensionis aliquid hanc narrationem habere; itaque ad eam offensionem tollendam in scholiis annotatur ad Paridis studium et curam (*περιεργίαν*) declarandam pertinere, quod non solum vestes, sed etiam mulieres, quæ

eas conficerent, comparaverit. Sed longe molestius est, quod narratio, qualis nunc traditur, perspicue poetæ consilio propositoque repugnat. Hecuba deæ, quod pretiosissimum studiosissimeque reconditum habet ornamentum, donum offert. Hæc autem muneris præstantia summumque pretium in eo ponitur, quod ipsum cum ceteris vestibus reconditis singulari casu ex longinqua terra allatum sit, unde eiusdem generis alia non facile arcessi possint; imminuitur prorsusque tollitur doni pretium, si huiusmodi vestes in ipsa urbe Troiana a mulieribus eo advectis conficiantur. Pauca quædam huius singularis atque Troianis ignotæ artis opera Troiam allata esse oportet atque ab Hecuba ob ipsam raritatem, quodque nulla eorum comparandorum communis facultas sit, carissima haberi summaque cura servari. Itaque ab ipso poeta res aliter narrata erat, ita tamen, ut una tantum littera id, quod nunc scribitur, a prima forma deflexerit:

ἔνθ' ἔσαν οἱ πέπλοι, παμποίκιλα ἔργα γυναικῶν
Σιδονίων, τοὺς αὐτὸς Ἀλέξανδρος θεοειδὴς
ἤγαγε Σιδονίηθεν κ. τ. λ.

Quemadmodum minima facillimaque, ut Plautino vocabulo utar, incogitantia obrepente pronomen ab peplis ad propius *γυναικῶν* nomen transferri potuerit, nihil opus est explicare.

His duobus locis tertium adiuncturus eram, IV, 191, ubi facillimo aut pronuntiandi aut scribendi errore ortum est, quod nunc editur:

φάρμαχ' ἅ κεν παύσῃσι μελαινάων ὀδυνάων,

pro eo, quod antiquitus scriptum fuisse certum est:

φάρμαχ' ἅ κεν παύσῃ σε μελαινάων ὀδυνάων.

Neque enim pronomine carere oratio ullo modo potest; sed video ita etiam in codice uno et altero scriptum esse, ut coniectura nihil sit opus.

Postremo in libro XI, 649 saltem errorem aperiam, si plane ad verum pervenire non potero. Nam quod nunc Patroclus Nestori, ut aliquantisper apud se remaneat, roganti sic respondet:

Οὐχ ἕδος ἐστί, γεραιὲ Διοτρεφές, οὐδέ με πείσεις.
αἰδοῖος, νεμεσητός, ὅ με προέηκε πυθέσθαι,
ὅντινα τοῦτον ἄγεις βεβλημένον κ. τ. λ.,

certissimum est vocabulum, quod est *αἰδοῖος*, neque si Homeri neque si ceterorum usum sequamur, ullo modo ad superbum et imperiosum Achillis ingenium notandum accommodari posse, verecundiamque et metum Achillis offendendi solo adiectivo, quod est *νεμεσητός*, significari, quamquam hoc ipsum insolenter de homine dici iam veteres grammatici senserunt. Accedit, quod plane usui Homeri repugnant prædicata duo sic *ἀσυνδέτως* coniuncta: *αἰδοῖος, νεμεσητός*. Manifestum est *αἰδοῦς* mentionem ad venerabilem Nestoris personam pertinere, cui contrarius ponatur iræ Achillis metus. Ac fortasse nihil præter interpunctionem mutandum est, ut scribatur:

. . . *οὐδέ με πείσεις*
αἰδοῖος. νεμεσητός, ὅ με προέηκε πυθέσθαι.

Sed residet scrupulus in adiectivo sic breviter adiuncto pro eo, quod est *αἰδοῖός περ ἐών*.

Sophoclis Aiacem

a. 1875, cum philologiæ studiosorum exercitationes moderarer, diligenter pertractavi eosque locos, quos hic subiiciam, certa aut probabili emendatione adiuvare mihi visus sum præter eos, de quibus dixi in Adv. Crit. I p. 206 sqq.

68 sq. (Minerva Ulixi):

θαρσῶν δὲ μίμνε μηδὲ συμφορὰν δέχου
τὸν ἄνδρ'.

[redacted]

Δέχεσθαι συμφοράν nihil est nisi malum admittere et suscipere (quemadmodum Trach. 376 dicitur *εἰσδέχεσθαι πημονὴν ὑπόστεγον*); quod hoc loco necessario significatur, Ulixem nihil mali suspicari debere sibi ex Aiace oriturum, illo verbo significari nequit. Opinor scriptum fuisse:

. . . *μηδὲ συμφορὰν τίθου*
τὸν ἄνδρ'.

404 sqq. (in Aiacis querela):

ποῖ τις οὖν φύγῃ;
ποῖ μολὼν μενῶ;
εἰ τὰ μὲν φθίνει, φίλοι, τοῖσδ' ὁμοῦ πέλας,
μώραις δ' ἄγραις προσκείμεθα.

Versum 406 corruptum esse, et manifestum est et omnes fere consentiunt; neque tamen quisquam animadvertisse videtur primam mendi sedem in *φίλοι* esse, qui vocativus et per se in hac generali conquestione et miserrimi status descriptione ineptus est, et quod Aiax solam Tecmessam alloquitur. In altero membro (*τοῖσδ' κ. τ. λ.*) latere aliquid, quod superiori *εἰ τὰ μὲν φθίνει* contrarium sit, Dindorfius sensit, sed *τίσις,* quod pro *τοῖσ* substituit (*τίσις δ'*), et a litteris longius recedit et notionem habet minus huic loco aptam; illud Dindorfium quoque fugit aut non satis commovit, quod *τὰ μέν* nimis infinite dicitur (quædam interire). Itaque initium emendationis est, ut rectius separatis litteris scribatur: *εἰ τὰ μὲν φθίνει, φίλ'* (si quæ cara et amica sunt, pereunt); deinde coniunctis rectius litteris unaque deleta efficitur, quod etiam Dindorfius quærebat, alterius membri subiectum: *οἶτος δ'.* Totus igitur versus sic scribendus est:

εἰ τὰ μὲν φθίνει, φίλ', οἶτος δ' ὁμοῦ πέλας.

496 sqq. Tecmessa sic loquitur:

ᾗ γὰρ θάνῃς σὺ καὶ τελευτήσας ἀφῇς,
ταύτῃ νόμιζε κἀμὲ τῇ τόθ' ἡμέρᾳ

βίᾳ ξυναρπασθεῖσαν Ἀργείων ὕπο
ξὺν παιδὶ τῷ σῷ δουλίαν ἕξειν τροφήν.

Non videtur ferri posse *ἀφῇς* sine obiecto, ac ne illo quidem addito recte, opinor, diceretur *ἀφιέναι τινά* de deserendo eo, quem tueri debeas. Itaque suspicor scribendum:

. . . . καὶ τελευτήσας ἀ π ῇ ς.

789 sq. chorus:

τοῦδ' εἰσάκουε τἀνδρός, ὡς ἥκει φέρων
Αἴαντος ἡμῖν πρᾶξιν ἣν ἤλγησ' ἐγώ.

Hæreo in vocabulo *πρᾶξιν*, quoniam neque facinus aliquod Aiacis nuntius affert neque, ut video enarrari, fortunam; accedit, quod duobus post versibus recurrit idem vocabulum recte positum de fortuna Tecmessæ. Itaque opinor scriptum fuisse:

Αἴαντος ἡμῖν β ά ξ ι ν ἣν ἤλγησ' ἐγώ,

ut significetur narratio et oratio de Aiace custodiendo et intra tentorium tenendo. [Sic Reiskius.]

969 sq. (in Tecmessæ oratione):

τί δῆτα τοῦδ' ἐπεγγελῷεν ἂν κάτα;
θεοῖς τέθνηκεν οὗτος, οὐ κείνοισιν, οὔ.

Neque usu neque ratione defenditur *ἐπεγγελᾶν* cum *κατά* coniunctum. Scribendum videtur:

τί δῆτα τοῦδ' ἔ τ' ἐγγελῷεν ἂν κάτα;

983 sq.:

. . . φεῦ τάλας. τί γὰρ τέκνον
τὸ τοῦδε, ποῦ μοι γῆς κυρεῖ τῆς Τρῳάδος;

Non causam superioris querelæ et eiulationis affert Teucer, sed ab ipso Aiace cogitationem transfert ad filium; itaque scribendum *τί δ' ἄ ρ α τέκνον*.

1008 sqq.:

ἦ πού με Τελαμών, σὸς πατὴρ ἐμός τ' ἴσως,
δέξαιτ' ἂν εὐπρόσωπος ἵλεώς τ', ἰδὼν
χωροῦντ' ἄνευ σοῦ. πῶς γὰρ οὐχ; ὅτῳ πάρα
μηδ' εὐτυχοῦντι μηδὲν ἵλεων γελᾶν.

[redacted]

Negat Teucer Telamonem se cum nuntio mortis Aiacis redeuntem comiter et hilare excepturum esse, qui ne in bona quidem fortuna comis et hilarus esse soleat, sed severus et tristis. Verum neque Græce dicitur *ἵλεών ἐστί μοι γελᾶν*, non magis quam Latine: hilarum est mihi ridere, neque id in Telamone desiderabatur, quod non ridere soleret. (Quod *πάρα* pro *πάρεστι* a nonnullis accipitur, non agitur, quid Telamoni liceat.) Scribendum:

. . . ὅτῳ πάρα
μηδ' εὐτυχοῦντι μηδὲν ἵλεων γελᾶ,

„in quo ne in bona quidem fortuna hilare quidquam et come (in vultu) arridet".

1012 sq.:

οὗτος τί κρύψει; ποῖον οὐκ ἐρεῖ κακὸν
τὸν ἐκ δορὸς γεγῶτα πολεμίου νόθον;

Perinepte, qui ex captiva natus sit, ex hasta hostili natum dici (*ἐκ δορὸς πολεμίου*) manifestum est. Sed cur *πολεμίου* in suspicionem vocetur, nulla est causa; pro *δορός* quærendum est vocabulum rei aptum nec longe litteris distans. Utrique condicioni satisfacit hæc scriptura:

τὸν ἐκ σπόρου γεγῶτα πολεμίου νόθον,

ex seminatione hostili.

1111 sqq.:

οὐ γάρ τι τῆς σῆς εἵνεκ' ἐστρατεύσατο
γυναικός, ὥσπερ οἱ πόνου πολλοῦ πλέῳ,
ἀλλ' εἵνεχ' ὅρκων οἷσιν ἦν ἐνώμοτος.

Quomodo, qui mulieris (Helenæ) causa Troiam profecti sint, dici possint *πόνου πολλοῦ πλέῳ*, varie enarrant, nemo probabiliter aut sic, ut apte hoc contrarium ponatur Aiacis solam iuris iurandi fidem secuti ad bellum profectioni. Optimam sententiam habebimus, si una littera mutata scripserimus: . . . *πόθου πολλοῦ πλέῳ*. Significantur, quos Helenæ pulchritudo amore et desiderio ad bellum vocaverat.

1142 sqq.:

ἤδη ποτ' εἶδον ἄνδρ' ἐγὼ γλώσσῃ θρασὺν
ναύτας ἐφορμήσαντα χειμῶνος τὸ πλεῖν,
ᾧ φθέγμ' ἂν οὐκ ἂν ηὗρες, ἡνίκ' ἐν κακῷ
χειμῶνος εἴχετ'.

Græcum non est *φθέγμα εὑρίσκειν τινί*, ut sit facultatem loquendi et dicendi in aliquo reperire. Scribendum est:

ᾧ φθέγμ' ἂν οὐκ ἐνηῦρες. [Sic Hartungius.]

1280 sq.:

τίς ταῦτ' ἀπεῖρξεν; οὐχ ὅδ' ἦν ὁ δρῶν τάδε,
ὃν οὐδαμοῦ φῂς οὐδὲ συμβῆναι ποδί;

Neque *συμβῆναι ποδί* ullo modo significare potest, quod fingunt, congredi cum hoste (quoniam ne ipsum quidem *συμβαίνειν τινί* sic dici potest), neque Agamemno negaverat, quod nemini in mentem venire poterat negare, Aiacem umquam cum hoste congressum esse, sed dixerat (v. 1237) Aiacem nullum periculum adisse, quod non simul Agamemno ipse adisset, in nullum pugnandi locum progressum esse, quo non Agamemno progressus esset; suam laudem cum Aiacis æquipararat. Hanc ipsam sententiam Teucer hoc loco Agamemnoni tribuit; lenissima enim et certissima emendatione scribendum est:

ὃν οὐδαμοῦ φῄς, οὗ σὺ μή, βῆναι ποδί,

hoc est: quem tu negas ullo loco progressum esse, ubi non ipse progressus sis. Cum errore ex *σὺ μὴ βῆναι* factum esset *συμβῆναι*, ad versum explendum pro *οὗ* scriptum est *οὐδέ*.

1290:

δύστηνε, ποῖ βλέπων ποτ' αὐτὰ καὶ θροεῖς;

Pronomen *αὐτά* prorsus perverse ponitur de iis, quæ alter (Agamemno) dixerat („ea dicis" pro eo, quod est „ista ac talia"); poterat dici *ταῦτα*, sed id versus non recipit. Etiam *ποτέ* in hac interrogandi forma (*ποῖ βλέπων*) perversum est, quod rectum esset, si sic diceretur: *τί ποτε βλέπων*. Scribendum est:

δύστηνε, ποῖ βλέπων τοιαῦτα καὶ θροεῖς;

Fortasse mendum non solus oculorum error peperit, sed offensio in diphthongo ante vocalem correpta notissimo usu (ποῖῶ cet.).

1310 sqq.:

ἐπεὶ καλόν μοι τοὐδ' ὑπερπονουμένῳ
θανεῖν προδήλως μᾶλλον ἢ τῆς σῆς ὕπερ
γυναικὸς ἢ τοῦ σοῦ θ' ὁμαίμονος λέγω.

Primum in eo hæretur, quod Teucer bellum Troianum significare videtur de Agamemnonis uxore geri, quod ne irato quidem in mentem venire poterat dicere; deinde in tertio versu neque particula τέ expediri potest, et non minus prave Menelaus pro Helena substituitur. Apparet unam a Teucro significari Helenam belli causam, sed, quod ex verbo λέγω intelligitur, quo utuntur, qui verba sua ipsi quasi correctione aliqua explanant, singulari quodam modo, ut et cum Agamemnone et cum Menelao coniungatur. Scribendum est enim:

. . . ἢ τῆς σῆς ὕπερ
γυναικὸς ἢ τ ῆ ς σοῦ γ' ὁμαίμονος, λέγω.

Primum contemptim feminam, pro qua Agamemno pugnat pugnarique iubet, ipsius appellat, deinde se corrigens proprie fratris uxorem *(wegen deiner Frau oder, was ich sagen wollte, der deines Bruders).* Et τῆς σοῦ etiam iam Dindorfius scribendum coniecerat. *)

1357:

νικᾷ γὰρ ἁρετή με τῆς ἔχθρας πολύ.

Sententia apparet, inimicitias, quæ cum Aiace fuerint, longe superari virtutis eius memoria; sed ex verbis, quemadmodum nunc scribuntur, ea sententia nullis machinis effici potest neque ulla eorum structura reperiri. Frustra enim efficere conantur interpretes, ut verbo νικᾶν præter accusativum etiam genetivus adiungatur quasi comparationis alicuius

*) In adverbio προδήλως sine causa Schneidewinus hæsit; coniungendum id est cum καλὸν μᾶλλον.

index, quæ ipsa comparatio perversissima est; neque enim et virtus et inimicitiæ vincunt, sed illa vincit, hæ vincuntur; itaque etiam *πλέον* pro *πολύ* substitutum pravam efficiet sententiam. Videtur Sophocles scripsisse:

νικᾷ γὰρ ἀρετή με τῆς ἔχθρας πέλας,

„vincit me virtus inimicitiis e regione adiuncta et in comparatione posita".

Euripidis Ionis,

quam tragœdiam a. 1879 philologiæ studiosis tractandam proposui, tum ultimum professoris munere fungens, ipsum initium (quod in codicibus huiusmodi est:

Ἄτλας ὁ χαλκέοισι νώτοις οὐρανόν,
θεῶν παλαιὸν οἶκον, ἐκτρίβων, θεῶν
μιᾶς ἔφυσε Μαῖαν κ. τ. λ.)

nostra ætate philologos et vexavit vehementer et ab iis etiam inclementius vexatum est, meo quidem iudicio cum opprobrio quodam artis criticæ. Cum enim Porsonus primum tragœdiæ versum legi ei, quam de pausa versuum senariorum a tragicis servatam credebat, adversari ita animadvertisset, ut tamen a corrigendo abstineret, contentus perpaucos versus a tragicis hac forma scriptos dicere, deinde autem in altero versu manifestum teneretur vitium orationis et sententiæ in vocabulo *θεῶν* in ipso initio et fine sine ulla artificii alicuius excusatione sic posito, ut etiam perverse priore loco masculino genere acciperetur, posteriore feminino (*θεῶν μιᾶς*), recentissimi editores utraque reprehensione in unam conflata ad eam amovendam prorsus temerariis et perversis remediis usi sunt.*)

---

*) Dindorfius scripsit:

Ἄτλας, ὁ χαλκόνωτος οὐρανὸν θεῶν
ὀχῶν παλαιὸν οἶκον ἐκ τριῶν μιᾶς
θεῶν ἔφυσε Μαῖαν κ. τ. λ.

satis licenter verbis transpositis et mutatis; longe tamen audacius Herwerdenus:

Ac primum Porsoni observationi numquam tantum tribui, in ea ullam esse causam putarem versus contrarios, si iil aliud esset vitii, mutandi, cum præsertim ipse Porıus tres Sophoclis intactos reliquisset; nam neque quid rhythmi formam molesti haberet illa versus terminatio, am Porsonus studiose vitatam putat, ostendit, quidve ımmodi vitatio haberet, et ad observationem ad materiam r se non valde amplam pertinentem confirmandam excep- ınibus usus est satis artificiosis, maxime illa de *οὐδείς μηδείς* non in unam vocem conflandis, ut, si exemplum ıui vellem, uti possem scribendi artificio: *νώτοισ' οὐρανόν* gareque, quod plenum esset *νώτοισι*, spondeum voce dua- m syllabarum effici. Sed si quis omnino propter Porsoni ctoritatem infelix illud *νώτοις οὐρανόν* ferre non audet, hibenda ei est huius simplicis vitii simplex medicina, ıam facilem attulit Elmsleius, qui scripsit *νώτοις χαλκέοισιν* *ρανόν*, ne Badhami coniecturam commemorem: *νώτοισιν* *ιλον*. Prorsus temere hinc suspicio ad proximum versum

---

Ἄτλας, ὁ χαλκέοισι νώτοισι φέρων
θεῶν παλαιὸν οἶκον, ἐκ τριῶν μιᾶς
ἀλόχων ἔφυσε Μαῖαν κ. τ. λ.,

eo corrigendi genere, quo si utendum esset, olim dixi omnem emendandi conatum potius omittendum esse. In idem autem sententiæ vitium uterque incidit Mercurium sic loquentem inducens, tamquam Atlanti parum prolifico tribus uxoribus opus fuerit, ut ex una liberos gigneret; quid enim ad Maiam alterius et tertiæ uxoris significatio pertinet? Cumulus autem perversitatis in eo est, quod, cum in antiquis fabulis Atlantis tantum et filiorum mentio fieret, uxoris memoria obscura esset aut nulla, postea poetæ et grammatici, qui fabulas persequebantur, diversas Atlantis uxores finxerunt, alius Pleionam, alius Steropam, alius Æthram, nemo, quod sciam, aut duas aut tres simul; itaque ex iis, qui Euripidis tragœdiam primi spectaverunt, nemo intellecturus erat, quæ essent illæ *τρεῖς*, quas Dindorfius induxit; Herwerdenus saltem *ἀλόχους* appellavit.

propagatur, in quo præter extremam vocem omnia rectissima sunt; nam quod quidam verbum ἐκτρίβων calumniati sunt, aptissimum id est ad cælum durissimis Atlantis tergis ita impositum significandum, ut non minus globus cælestis teratur quam terga. Superest igitur unum certumque in fine versus mendum, quod lenissima emendatione tollitur, pro θεῶν substituto νέων. Cum sale quodam et lusu Mercurius Atlantem, qui senex fingitur et antiquam (παλαιάν) deorum sedem sustinet, unam ex iuvenculis et noviciis deabus uxorem duxisse dicit. Quam facile prima littera vocis νέων, eadem præcedentem vocem terminante, excidere potuerit, deinde ad vocabulum plenum efficiendum θ addi, nihil opus est persequi.

174 sqq.:

οὐ πείσει χωρῶν ἐν δίναις
ταῖς Ἀλφειοῦ παιδουργεῖ,
ἢ νάπος Ἴσθμιον;

Sic codices, nisi quod ἐν ante δίναις omittit codex Palatinus et fortasse Laurentianus. Recte pridem restitutum esse δίνας τὰς Ἀλφειοῦ ostendit et χωρῶν, quod alioqui prorsus abundat, et maxime quod subiicitur ἢ νάπος Ἴσθμιον. Sed in utroque versu syllaba longa deest, neque interrogatio illa οὐ πείσει recte absoluta ponitur, quoniam nulla præcessit adhortatio. Utrique incommodo subveniet hæc scriptura:

οὐ πείσει καὶ χωρῶν δίνας
τὰς Ἀλφειοῦ παιδουργήσει
ἢ νάπος Ἴσθμιον;

Recte et usitate interrogationi negativæ imperantis et minantis adiungitur per καί affirmativa ipsum id continens, quod fieri iubetur.

331. Postquam a Creusa interrogatus Ion, num matrem suam invenire conatus sit, respondit se nullum habere, quo utatur, indicium signumve (τεκμήριον), Creusa subiungit

iam quoque feminam eadem qua Ionis matrem usam esse lamitate filii amittendi. Hoc audito Ion ad quærendi ıdium et spem erigitur versumque proloquitur in codicibus ; scriptum:

τίς; εἶπον ἔμοι ξυλάβε (P; C: *εἶπον εἴ μοι ξυλ-βῃ*) *χαίροιμεν ἄν.*

Versum fractum, in quo offendit etiam imperativi ma *εἶπον*, cuius primus auctor Menander citatur, recen-simi editores coniecturam Yxemii secuti sic scripserunt:

τίς; εἰ πόνου μοι ξυλλάβοι, χαίροιμεν ἄν.

d ut alia omittam, et *ξυλάβε* improbabiliter in *ξυλλάβοι* ıtatur, nec intelligitur, quemadmodum Ion statim feminæ ius ignotæ auxilium sperare possit. Et ad vestigia co-ɔum multo propius accedemus et rectiorem sententiam iciemus, si sic scripserimus:

τίς; εἶπ' ἐμοὶ ξύλλαβέ τε, καὶ χαίροιμεν ἄν.

Creusa alteram illam feminam indicaverit et operam ım sponderit, voto se potiturum Ion sperat.

374 sqq.:

εἰς γὰρ τοσοῦτον ἀμαθίας ἔλθοιμεν ἄν,
εἰ τοὺς θεοὺς ἄκοντας ἐκπονήσομεν
φράζειν ἃ μὴ θέλουσιν κ. τ. λ.

hil habet in superioribus, quo referatur, *τοσοῦτον* (eo ıue); aut aperta et directa summæ stultitiæ significatio ıuiritur (quam Badhamus coniectura prorsus a vestigiis licum recedente efficere conatus est) aut interrogatio ım significans; ea interrogatio leniter satis efficitur:

εἰς γὰρ πόσον τοῦτ' ἀμαθίας ἔλθοιμεν ἄν,
εἰ —;

ɛrrogativo pronomini adiungitur demonstrativum noto ı: quanta hæc esset stultitia —? Synt. Græc. § 100 b.

554:

ΙΩ. τοῦτ' ἐκεῖν' ἵν' ἐσπάρημεν. ΞΟ. ὁ πότμος ἐξηῦρεν, τέκνον.

2

Versus sic interpungendus est:

ΙΩ. τοῦτ' ἐκεῖν'· ἵν' ἐσπάρημεν, — ΞΟ. ὁ πότμος ἐξηῦρεν, τέκνον.

Ion se iam rem tenere nota formula *τοῦτ' ἐκεῖνο* indicat, deinde cœptam eius orationem interrumpit et perficit Xuthus: „ubi natus sim, — fortuna, mi fili, repperit."

598 sqq.:

ὅσοι δὲ χρηστοὶ δυνάμενοί τ' εἶναι σοφοὶ
σιγῶσι κοὐ σπεύδουσιν ἐς τὰ πράγματα,
γέλωτ' ἐν αὐτοῖς μωρίαν τε λήψομαι κ. τ. λ.

Significantur nobiles et *καλοκἀγαθοί*, qui in re publica plebis dominatui parenti, qualem Atheniensem Ion esse dicit, invidiam vitantes otio se dedunt, sed et per se prave *δυνάμενοι εἶναι σοφοί* dicuntur, qui *σοφοί* simpliciter appellandi erant, et iis, qui v. 596 *ἀδύνατοι* appellantur, contrarii sunt non *οἱ σοφοί*, sed *οἱ δυνατοί, οἱ δυνάμενοι*. Itaque verba *εἶναι σοφοί* a participio *δυνάμενοι* separanda sunt coniungendaque cum verbo sequenti, proque *σιγῶσι* verbum scribendum est, quod voluntatis et propositi significationem habeat:

ὅσοι δὲ χρηστοὶ δυνάμενοί τ' εἶναι σοφοὶ
αἱροῦσι (θέλουσι) κοὐ σπεύδουσιν ἐς τὰ πράγματα,
κ. τ. λ.

602 sqq.:

τῶν δ' αὖ λογίων τε χρωμένων τε τῇ πόλει
εἰς ἀξίωμα βὰς πλέον φρουρήσομαι
ψήφοισιν.

Versum vitiat anapæstus secundo loco positus, nec *λόγιοι* recte appellatur tertium genus civium, quod hic significatur, homines auctoritate apud plebem valentes remque publicam gubernantes. Scribendum opinor:

τῶν δὲ λογίμων τε χρωμένων τε τῇ πόλει
κ. τ. λ.

γίμους Euripides Herodoti exemplo dixit, qui frequentius *.όγιμοι* dicuntur.

655 sq.:

. . . τῆς δ' Ἀθηναίων χθονὸς
ἄξω θεατὴν δῆθεν, ὡς οὐκ ὄντ' ἐμόν.

tius scribatur *θεατὴν δῆθεν, οὐχ ὡς ὄντ' ἐμόν*, ctatorem scilicet, non tamquam filium.

692 sq.:

ἔχει δόλον τύχαν θ' ὁ παῖς
ἄλλων τραφεὶς ἐξ αἱμάτων.

χαν parum recte cum *δόλον* coniungi sensit Nauckius, quod *δόμων τύχαν* scripsit, non agitur hoc loco de upata fortuna, sed de dolo pueri suppositi. Suspicor iptum fuisse *δόλον πλοκάν θ' ὁ παῖς.*

1099 sqq:

δείκνυσι γὰρ ὁ Διὸς ἐκ
παίδων ἀμνημοσύναν,
οὐ κοινὰν τεκέων τύχαν
οἴκοισι φυτεύσας
δεσποίνᾳ.

n memoria in Xutho desideratur, sed æquitas et iustitia; eor, ne scriptum fuerit *ἀγνωμοσύναν.*

1288 sq. Postquam Ion (v. 1286) Creusam obiurgavit, od se deo consecratum (*τὸν τοῦ θεοῦ*) occidere voluerit, ue Creusa respondit eum, cum veneno peteretur, iam ı Apollinis, sed patris fuisse, subiiciuntur hi duo versus:

ΙΩ. ἀλλ' ἐγενόμεσθα, πατρὸς δ' οὐσίαν λέγω.
. ΚΡ. οὐκοῦν τότ' ἦσθα. νῦν δ' ἐγώ, σὺ δ' οὐκέτ' εἶ.

iorem versum, in quo *δ'* Canterus recte sustulit, corrupn esse manifestum est, nec ei opis quidquam editorum iiecturæ attulerunt aut ipsum vulnus attigerunt. Primum paret desiderari verbi *ἐγενόμεσθα* complementum nec i, quid in Ionis persona acciderit, deinde formulam

corrigendi accuratiusque declarandi, quæ est in verbo λέγω, nihil omnino habere, quo referatur, nec ferri posse. Perspicuum autem est non idem repeti, quod iam Creusa refutavit, de Ione Apollini consecrato, sed aliquid novi ab Ione subiici, quod se inviolatum esse debuisse alio modo demonstret, quod deinde proximo versu a Creusa, quemadmodum superius illud, refutetur et redarguatur. Id huiusmodi fuisse prope certum est:

ΙΩ. ἀλλ' ἐγενόμεσθα, πατρὸς ἐν οὐσίᾳ, νεώ.
ΚΡ. οὐκοῦν τότ' ἦσθα. νῦν δ' ἐγώ, σὺ δ' οὐκέτ' εἶ.

Ion se, etiamsi in patris potestate atque re fuerit, tamen ad templum pertinuisse affirmat; respondet Creusa, id tam diu valuisse, quam reapse templi minister fuerit; nunc non illum templi esse, sed se (quoniam supra se ipsa deo consecravit, cf. v. 1275 et 1283 sqq.).

1426 sqq.:

ΙΩ. ἔστιν τι πρὸς τῷδ', ἢ μόνῳ τῷδ' εὐτυχεῖς;
ΚΡ. δράκοντε μαρμαίροντε παγχρύσῳ γένυι.
ΙΩ. δώρημ' Ἀθάνας, ἢ (codd. *ἣ*) *τέκν' ἐντρέφειν λέγει;*

Omitto refellere, quæ excogitata sunt aut ad structuram orationis expediendam aut ad rem declarandam de sancita a Minerva lege infantes huiusmodi serpentum imagunculis exornandi, quæ ipsa satis dure exprimitur verbis *ἐντρέφειν τέκνα*, omisso præsertim dativo (*ἐντρέφειν τέκνα δράκουσι*). Illud unum addo, Ioni Atheniensium institutorum ignaro huiusmodi legis in mentem venire non potuisse; contra iniecta mentione operis artificiose elaborati facile oboriebatur cogitatio deæ artium inventricis et præsidis. Itaque scribendum suspicor:

δώρημ' Ἀθάνας, ἢ τέχνην τρέφει, λέγεις;

1481:

λέγεις, λέγεις μοι δόλια κοὐ σαφῆ τάδε.

Nihil doli odoratur Ion plane iam matri conciliatus et

fidem habens, sed de obscuritate eorum, quæ mater dixit, ıeritur. Scribendum videtur:

λέγεις, λέγεις μοι σκολιὰ κοὐ σαφῆ τάδε.

1601 sqq.:

νῦν οὖν σιώπα, παῖς ὅδ' ὡς πέφυκε σός,
ἵν' ἡ δόκησις Ξοῦθον ἡδέως ἔχῃ,
σύ τ' αὖ τὰ σαυτῆς ἀγάθ' ἔχουσ' εἴης, γύναι.

:o optativo pravo *εἴης* nunc e Wakefieldii coniectura editur ς. Verum non agitur de Creusæ Delphis Athenas redeıtis animi statu, sed de perpetuo futuri temporis habitu; ›inde requiritur aliquid, quod contrarium sit nomini *δόκησις*. ;ribendum est una littera addita:

σύ τ' αὖ τὰ σαυτῆς ἀγάθ' ἔχουσ' εἰδῇς, γύναι.

uthi lætitiæ in falsa opinione nixæ contraria ponitur certa :eusæ suæ felicitatis scientia.

Cap. II.

Herodotus. *)

Herodoti opus, quod tum, cum Adversaria Critica lebam, multis annis continua opera non legeram, proximis ınis converso ad antiquiorem Græciæ historiam animo udiose pertractavi et tum ea, quæ hic subiiciam, annotavi. ıitium autem faciam ab eiusmodi loco (I, 27: *νησιώτας : τί δοκέεις εὔχεσθαι ἄλλο ἤ, ἐπεί τε τάχιστα ἐπύθοντό*

---

*) Cum in legendo Herodoto uterer utroque Steinii exemplo, non pauca emendavi, quæ postea vidi a Valckenaerio, Reiskio, Krügero, aliis occupata; alia mihi præripuerat civis meus Pingelius partim in libello scholastico, qui inscribitur: *Kritiske Anmærkninger til Herodots 7de, 8de og 9de Bog*, Hauniæ a. 1874 edito, quem philologis exteris commendo, partim in iis, quæ privatim cum Siesbyeo communicavit, velut de l. I, 66 (*ὀλίγῳ* pro *ὀλίγων*) et 105 (*καὶ ὁρᾶν πάρεστι τοῖς ἀπικνεομένοις*).

σε μέλλοντα ἐπὶ σφίσι ναυπηγέεσθαι νέας, λαβεῖν ἀρώμενοι Λυδοὺς ἐν θαλάσσῃ), in quo, quamquam ad eum certæ sententiæ aut saltem verisimilitudinis gradum, quem sequi soleo, pervenire non possum, tamen primas emendationis lineas ducendas eo magis putem, quod nuper imperite de necessitate loci emendandi dubitatum et contra disputatum est. Nam qui omnes difficultates grammaticas facile expediunt, quod, quid agatur, non sentiunt, qualem etiam Herodotus editorem et enarratorem hoc tempore habuit, narrant post interpositam sententiam temporalem non sane longam neque impeditam ad intellectum adiuvandum pro *εὔχεσθαι* additum esse aliud verbum; obliviscuntur necessario ponendum fuisse *ἀρᾶσθαι*, quod etiam interpolatoribus quibusdam codicum in mentem venit, deinde, ut toleretur, quod tolerari nullo modo potest, participium, saltem accusativum ponendum fuisse, nominativum ne umbram quidem defensionis habere. (Artificia hæc etiam Krügerus commemoravit, sed, ut hominem prudentem decebat, plane diffidens.) In emendatione tentanda duo tenenda sunt, primum nihil effici debere, quod non apte interponatur inter *λαβεῖν* et *Λυδοὺς ἐν θαλάσσῃ* et ad eiusdem rei notionem pertineat, deinde verbi, quod nunc *ἀρώμενοι* scribitur, postremas litteras nullo modo ex accusativi nota oriri potuisse. Multa mihi conanti maxime probabile visum est, separandas esse litteras in unum conflatas scribendumque esse: *λαβεῖν ἆ ρ', ὦ θ ε ο ί, Λυδοὺς ἐν θαλάσσῃ*. Perapte interponitur tamquam ex ipsa insulanorum Græcorum sententia et oratione exclamatio demonstrans, quam ridicule et contra rerum naturam in unum coniungantur Lydi et mare. (*Ἆρα*, i g i t u r, quoniam quidem Crœsus naves ædificet.)

Ibid. 74 (de Syennesi et Labyneto pacem inter Lydos et Medos componentibus et eam nuptiarum communione confirmantibus): *Ἀλυάττεα γὰρ ἔγνωσαν δοῦναι τὴν θυγατέρα Ἀρύηνιν Ἀστυάγεϊ τῷ Κυαξάρεω παιδί.* Non

tamquam iudices sententia interposita hoc fieri iusserunt, sed persuaserunt regibus Medorum et Lydorum, ut ita facerent, hoc est (usu loquendi Herodoteo et Hippocrateo), *ἀ ν έ γ ν ω σ α ν*. Litteræ *αν* exciderunt post *αρ*.

Ibid. 78: *αὐτίκα δὲ ἔπεμπε* (*Κροῖσος*) *θεοπρόπους ἐς τῶν ἐξηγητέων Τελμησσέων*. Non solum articulus prave omissus ante *Τελμησσέων* mendum arguit, sed ipse genetivus ferri nullo modo potest; longe enim aliter dicitur *ἐς διδασκάλων φοιτᾶν* et similia de iis, qui domum aliquam intrant. Excidit substantivum aut collegium publicum et ordinem vatum et interpretum aut congregandi locum significans. Fortasse scriptum fuerat: *ἐς τῶν ἐξηγητέων τ ὸ τ έ λ ο ς τ ῶ ν Τελμησσέων*.

Ibid. 86 (in Crœsi rogo impositi narratione de Solone): *ἔλεγε δὴ ὡς ἦλθε ἀρχὴν ὁ Σόλων ἐὼν Ἀθηναῖος, καὶ θεησάμενος πάντα τὸν ἑωυτοῦ ὄλβον ἀποφλαυρίσειε οἷα δὴ εἴπας, ὥς τε αὐτῷ πάντα ἀποβέβηκε οἱ τῇ περ ἐκεῖνος εἶπε κ. τ. λ.* Prorsus ineptum est *οἷα δή* participio præpositum („utpote qui dixisset, quasi dixisset“), neque melius *ἅ δή*. Scribendum: *ὡς . . . . πάντα τὸν ἑωυτοῦ ὄλβον ἀποφλαυρίσειε, οἷά τ ε εἴπας, ὥς τε κ. τ. λ.*, „quemadmodum contempsisset quaque oratione“.

Ibid. 132 (de ritu sacrificandi apud Persas): *διαθέντος δὲ αὐτοῦ* (*ὃς θύει*) *Μάγος ἀνὴρ παρεστεὼς ἐπαείδει θεογονίην, οἵην δὴ ἐκεῖνοι λέγουσι εἶναι τὴν ἐπαοιδήν*. Iure quis miretur, cur in singulis sacrificiis *θεογονία* decantetur, cum præsertim apud Persas nulla omnino fuerit, qualem Græci intelligebant et appellabant, *θεογονία*. Sed manifestius mendum coarguunt ea, quæ sequuntur inde ab *οἵην δή*, quæ verba apertissime significant sacris accini *ἐπῳδήν*, qualis quidem apud Persas in usu sit, ita ut nihil Herodotus de eius formula aut argumento affirmet; itaque Herodotus scripserat: *Μάγος ἀνὴρ παρεστεὼς ἐπαείδει θ ε ο ῖ ς, οἵην δὴ ἐκεῖνοι λέγουσι εἶναι τὴν ἐπαοιδήν*.

Ex *θεοῖς οἴην* geminata voce ortum est *θεογονίην*. Ceterum non intercesserim, si quis pro *λέγουσι* scribi iusserit *θέλουσι*. Non quæritur, qualem dicant *ἐπῳδήν* esse, sed significatur formulam incantandi præscriptam esse Persarum et Magorum lege.

Ibid. 195: *ἐσθῆτι δὲ τοιῆδε χρέονται, κιθῶνι ποδηνεκέϊ λινέῳ, καὶ ἐπὶ τοῦτον ἄλλον εἰρίνεον κιθῶνα ἐπενδύνει καὶ χλανίδιον λευκὸν περιβαλλόμενος*. Perverse copulantur *ἐπενδύνει καὶ* .. *περιβαλλόμενος* (nam si *χλανίδιον* et *κιθῶνα* coniungi dicas, ineptissime abundat *περιβαλλόμενος*). Prava particula sublata restituetur simul rectior verbi forma: *ἄλλον εἰρίνεον κιθῶνα ἐπενδύνεται, χλανίδιον λευκὸν περιβαλλόμενος*.

II, 7: *ἡ μὲν γὰρ ἐς Πῖσαν ἐξ Ἀθηνέων* (*ὁδὸς*) *καταδεῖ πεντεκαίδεκα σταδίων ὡς μὴ εἶναι πεντακοσίων καὶ χιλίων, ἡ δὲ ἐς Ἡλίου πόλιν ἀπὸ θαλάσσης πληροῖ ἐς τὸν ἀριθμὸν τοῦτον*. Scribendum sine dubio: *πληροῖ τὸν ἀριθμὸν τοῦτον*; hoc recte contrarium est illi *καταδεῖν σταδίων*. Expletur numerus, non explentur stadia ad numerum.

Ibid. 8: *τοῦτο μέν νυν τὸ οὖρος* (ad orientalem partem Ægypti) *τοιοῦτό ἐστι, τὸ δὲ πρὸς Λιβύης τῆς Αἰγύπτου οὖρος ἄλλο πέτρινον τείνει, ἐν τῷ αἱ πυραμίδες ἔνεισι, ψάμμῳ κατειλυμένον, τεταμένον τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ τοῦ Ἀραβίου τὰ πρὸς μεσαμβρίην φέροντα*. Mire inter ea, quæ ad naturam montis ipsius describendam pertinent (*πέτρινον—ψάμμῳ κατειλυμένον*), interponitur illa de pyramidibus admonitio; sed longe gravius est, quod neque Herodotus alibi neque quisquam umquam contra rerum fidem narravit pyramides in monte Libyco sitas esse, quas omnes novimus, Herodoto ipso primum teste, si teste in tali re opus est, in planitie ad Nilum insurgere. Itaque transpositione peccatum est, qua sublata sic locus sine ulla offensione decurrit: *τὸ δὲ πρὸς Λιβύης τῆς Αἰγύπτου,*

[redacted]

ἐν τῷ αἱ πυραμίδες ἔνεισι, οὖρος ἄλλο πέτρινον τείνει ψάμμῳ κατειλυμένον κ. τ. λ. Apte Herodotus ab orientali parte Ægypti ad occidentalem transiens admonet in hac parte pyramides sitas esse, quas statim legentium animis obiicit, præcipuum et in lectorum exspectatione et ipsius narratione locum tenentes.

Ibid. 25: *διεξιὼν τῆς Λιβύης τὰ ἄνω ὁ ἥλιος τάδε ποιέει· ἅτε διὰ παντὸς τοῦ χρόνου αἰθρίου τε ἐόντος τοῦ ἠέρος τοῦ κατὰ ταῦτα τὰ χωρία καὶ ἀλεεινῆς τῆς χώρης ἐούσης καὶ ἀνέμων ψυχρῶν, διεξιὼν ποιέει οἷόν περ καὶ τὸ θέρος ἐώθεε ποιέειν ἰὼν τὸ μέσον τοῦ οὐρανοῦ· ἕλκει γὰρ ἐπ' ἑωυτὸν τὸ ὕδωρ κ. τ. λ.* Hanc codicum scripturam Steinius nuper revocavit, et quasi omnia plana ac perspicua essent, in commentario Germanice scripto ne verbo quidem admonuit, quemadmodum intelligenda essent illa *καὶ ἀνέμων ψυχρῶν*, in quibus ne ipsa quidem orationis formà constat; neque enim illi *ἀλεεινῆς τῆς χώρης ἐούσης* recte adiungitur, ut audiatur *ἐόντων*, sine articulo hoc *καὶ ἀνέμων ψυχρῶν*. Sed hoc leve est, illud gravissimum et eiusmodi, ut occultandæ pravitatis nullum perfugium relinquatur, quod Herodotus primum in interiore Africa frigidos ventos spirare narrat, quam regionem calidissimam ipse ubique describit, deinde hos ipsos ventos vim solis adiuvare in attollenda aqua. Hæc cum rerum naturæ non minus quam Herodoti sententiæ repugnare ac prorsus contrarium dici debere superiores editores intellexissent, pro *καὶ ἀνέμων* scripserant, licenter sane orationem interpolantes: *οὐκ ἐόντων ἀνέμων ψυχρῶν*. Et tamen quantum hæc licentia stultæ religioni præstat, codicum scripturam non cum nota mendi retinenti, sed tamquam sanam tacite ponenti! Sed recta illa sententia, quam editores requisiverant, facillime et certissime efficitur, errorisque origo perspicue aperitur hac emendatione: *ἀλεεινῆς τῆς χώρης ἐούσης καὶ<ἄνευ>ἀνέμων ψυχρῶν*. Excidit præpositio ante vocabulum a tribus litteris iisdem incipiens,

quemadmodum in Plinii Panegyrico cap. 37 sine ante singulorum.*)

Ibid. 49: *οὐ γὰρ δὴ συμπεσεῖν γε φήσω τά τε ἐν Αἰγύπτῳ ποιεύμενα τῷ θεῷ καὶ τὰ ἐν τοῖσι Ἕλλησι· ὁμότροπα γὰρ ἂν ἦν τοῖσι Ἕλλησι καὶ οὐ νεωστὶ ἐσηγμένα.* Ritibus nuper aliunde illatis (*νεωστὶ ἐσηγμένοις*) contrarii sunt non similes ritus (*ὁμότροποι*), sed domi inventi et apud ipsum populum nati, neque Herodotus similem esse ritum Ægyptium et Græcum negat, quamquam levia quædam Melampodem mutasse dicit. Scripserat igitur Herodotus *ὁμότροφα*, simul et domi nata et orta. [Sic iam De la Barre coniecisse apud Krügerum sero video.]

Ibid. 93 (de granis ovorum, quæ pisces feminæ emittant, mares devorent): *εἰσὶ δὲ οἱ κέγχροι οὗτοι ἰχθύες.* Hæc conciliari cum illis, quæ sequuntur (*ἐκ δὲ τῶν περιγινομένων καὶ μὴ καταπινομένων κέγχρων οἱ τρεφόμενοι ἰχθύες γίνονται*) nullo pacto possunt; apertissime enim Herodotus a granis distinguit pisces, qui ex granis non devoratis oriantur. Scripserat Herodotus: *εἰσὶ δὲ οἱ κέγχροι οὔπω ἰχθύες, ἐκ δὲ τῶν περιγινομένων . . . κέγχρων . . ἰχθύες γίνονται.***)

---

*) Hanc emendationem cum in novis annalibus philologicis septentrionalibus vol. 3 p. 141 proposuissem, dixit quædam contra Steinius in Bursiani annalibus philologicis prorsus refutatione indigna. Tantum quod propter editionis suæ consilium interpolatæ illius scripturæ mentionem a se omissam scribit, non omissionem ipsam per se reprehenderam, sed quod ne illo quidem superiorum editorum consensu admonitus esset, ut de sententia et re aliquid cogitaret.

**) Ibid. 121, 5, ubi in sententiis prorsus ex æquo positis mire variatur: *ὅτε τοῦ ἀδελφεοῦ . . . ἀποτάμοι τὴν κεφαλὴν . . . ὅτι . . . καταλύσειε . . . τὸν νέκυν*, et propter hanc causam et propter regulam in syntaxi mea Græca § 132 a not. 1

Ibid. 142: *ἐν τοίνυν τούτῳ τῷ χρόνῳ τετράκις λεγον ἐξ ἠθέων τὸν ἥλιον ἀνατεῖλαι· ἔνθα τε νῦν αταδύεται, ἐνθεῦτεν δὶς ἐπανατεῖλαι, καὶ ἔνθεν νῦν νατέλλει, ἐνθαῦτα δὶς καταδῦναι.* Primo loco *ἀνατεῖλαι* rruptum esse manifestum est; neque enim solem narraant quater ex usitato loco ortum esse (id enim quotidie ebat), sed quater consuetum locum et situm mutasse, ita t contraria regione et oreretur et occideret. Herodotus ripsisse videtur: *ἐξ ἠθέων τὸν ἥλιον ἀ ν α σ τ ῆ ν α ι*, igrasse. (Sublato, quod Krügerus volebat, simpliciter *νατεῖλαι* nec oratio nec sententia constat.)

III, 14: *καὶ ταῦτα ὡς ἀπενειχθέντα ὑπὸ τούτου, ὖ δοκέειν σφι εἰρῆσθαι.* Quoniam neque *ὡς* additum esse librariis probabile est neque lacunæ ullum indicium senntia facit, scribendum videtur: *καὶ ταῦτα ὡς ἀ π ε ν ε ι χ-θ ῆ ν α ι ὑπὸ τούτου*, ut Herodotus, oratione in obliquam rmam ex recta subito traducta (*δοκέειν*), etiam temporalem ntentiam suo more infinita forma extulerit (synt. Græc. 169 b).

Ibid. 129 (de Dario cruris luxatione laboranti): *τῇ δὲ ἡ ὀγδόῃ ἡμέρῃ ἔχοντί οἱ φλαύρως, οἷα δὴ παρακούσας ις πρότερον ἔτι ἐν Σάρδισι τοῦ Κροτωνιήτεω Δημοκήεος τὴν τέχνην ἀγγέλλει τῷ Δαρείῳ.* Quod *παρακούειν* narrant obiter et minus diligenter audire, neque hæc significatio præpositione *παρά* effici potest, neque ulla est causa, ur hic minor diligentia significetur. Opinor Herodotum ripsisse *π ρ ο α κ ο ύ σ α ς τις πρότερον*, geminatione apud m minime infrequenti (*προακούσας — πρότερον*).

IV, 6: *σύμπασι δὲ εἶναι οὔνομα Σκολότους, τοῦ ασιλέος ἐπωνυμίην· Σκύθας δὲ Ἕλληνες ὠνόμασαν.*

---

indicatam utroque loco scribendum esse *ὅτι*, dixi in libello paucis noto, qui inscribitur: *Bemerkungen über einige Puncte der griechischen Wortfügungslehre* (1848) p. 16.

Necessario aut ipsum nomen regis ponendum erat, au finite dicendum *βασιλέος τινός*. Sed accusativus *ἐπων* nullo exemplo sic ponitur cum genetivo (*ὄνομά μοί ἐπωνυμίην τινός*, etsi recte *ἐπωνυμίην* additur c mento ipsi). Videtur Herodotus scripsisse: *εἶναι οἱ Σκολότους <κατὰ Σκολότου> βασιλέος ἐπων* librarii oculus in litteris geminatis aberrasse. Sic enim dicitur: *κατ' ἐπωνυμίην τινὸς ὀνομάζεσθαί τι.* aliter Krügerus.)

Ibid. 11 (de dissensu Cimmeriorum, utrum an contra Scythas defenderent necne): *τὴν μὲν γὰρ δ δήμου φέρειν γνώμην ὡς ἀπαλλάσσεσθαι πρῆγμ μηδὲ πρὸ πολλοῦ δεόμενα κινδυνεύειν, τὴν δ βασιλέων διαμάχεσθαι κ. τ. λ.* Sic codices fide dig quod in Angelicano pro *δεόμενα* prima manus *γινόμενα.* In vera scriptura exquirenda proficisci a *δεόμενα*, quam participii terminationem nemo hic positurus erat nisi a superioribus acceptam; ad id cipium apte accommodatur *πολλοῦ*; relinquitur prim una littera addita efficiatur præpositio ad *δεόμεν πρός*, deinde, quoniam post *πολλοῦ δεόμενα* sent non explet, reperiendum est substantivum, quod inter et *δεόμενα* interciderit; quærenti autem proximum s *πόνου*, ut efficiatur *πρὸς πολλοῦ πόνου δεόμεν δυνεύειν*, periclitari adversus res magnam molest difficultatem habentes. Non pro certa hanc emenda vendito, sed veram formam orationis me attigisse (*πρὸς πολλοῦ δέους γίμοντα?*) *)

---

*) In talibus locis et interdum tacere præstat et cor aberranti venia parata esse debet; sed eiusmodi mon cogitari, ut ex *πολλοῦ* fiat *σποδοῦ* et *πρὸ σποδοῦ κιν* accipiatur de soli patriæ defensione (quasi dicas p vere certare) et deinde his interponatur ex inte codicibus *δεόμενον*, neque structura neque senten reliquis ulla ex parte coniunctum, id vero non feren

Ibid. 28: *κεχώρισται δὲ οὗτος ὁ χειμὼν τοὺς τρό-*
ὑς πᾶσι τοῖσι ἐν ἄλλοισι χωρίοισι γινομένοισι χειμῶσι. tivus *πᾶσι τοῖσι . . . γινομένοισι χειμῶσι* expediri llo pacto potest; verbo *χωρίζεσθαι* necessario genetivus ungendus erat. Post *τοὺς τρόπους* excidit adiectivum similitudinem significans et dativum regens; id autem ectivum eius formæ fuit, ut facile post *τρόπους* propter erarum similitudinem omitteretur. Scriptum fuerat aut *ὺς τρόπους ἀντίτροπος (ἀλλότροπος)* nova ad-tivi compositione aut *τοὺς τρόπους οὐχ ὁμοιό-οπος.*

Ibid. 120 (de consilio Scytharum eos, qui belli socie-em abnuerant, ad bellum cogendi): *εἰ γὰρ μὴ ἑκόντες ὑπέδυσαν τὸν πόλεμον τὸν πρὸς Πέρσας, ἀλλ' ἀέκον-ς ἐκπολεμῶσαι.* Neque activum verbi genus ferri potest, oniam necessario, quemadmodum *ὑπέδυσαν*, ad eos Scythas, antea societatem belli declinaverant, refertur, neque istus infinitivi, scribendumque necessario *ἐκπολε-ισεσθαι.*

V, 31: *σὺ ἐς οἶκον τὸν βασιλέος ἐξηγητὴς γίνεαι ηγμάτων ἀγαθῶν, καὶ ταῦτα εὖ παραινέεις πάντα κ. τ. λ.* n agitur de interpretando enarrandove, sed de proponendis isiliis et in aulam (*ἐς οἶκον τὸν βασιλέος*) introducendis; que scribendum est: *ἐσηγητὴς γίνεαι πρηγμάτων αθῶν* (hoc est, *εἰσηγῇ πρήγματα ἀγαθά*).

Ibid. 117 (de oppidis ad Hellespontum a Daurise Persa itis): *ταύτας μὲν ἐπ' ἡμέρῃ ἑκάστῃ αἵρεε.* Scribendum e dubitatione: *ἐπ' ἡμέρῃ ἑκάστην αἵρεε.* In singulis oidis oppugnandis singulos dies consumptos Herodotus it; adiectivum ad præcedens nomen accommodatum a rario est. [Sic iam Nitzschium comm. in Od. I p. 108 ibi voluisse admoneor.]

VI, 128 (de Clisthenis erga procos filiæ benignitate): *ὸν γὰρ κατεῖχε χρόνον αὐτούς, τοῦτον πάντα ἐποίεε*

καὶ ἅμα ἐξείνιζε μεγαλοπρεπέως. Quid faciebat (ἐποίεε) Clisthenes? Ne quis putet obiectum verbi contineri vocabulo πάντα, primum hoc manifesto coniungitur cum τοῦτον (per hoc omne tempus), deinde hoc ipsum πάντα ἐποίεε nimis infinite dicitur nec ullam habet actionis proprie ad procos pertinentis significationem. Quoniam ipsius verbi probabilis correctio non succurrit (— nam etiamsi ἐκόσμεε scribas, nimis infinita significatio sit —), suspicor ante ἐποίεε excidisse vocabulum ab iisdem litteris incipiens, ipsius rei, qua de agitur, declarandæ proprium: τοῦτον πάντα <ἐπιστίους> ἐποίεε. Hospitio domi suæ excipiebat.

Ibid. 129 (de procis post cenam musica et disputando certantibus): προϊούσης δὲ τῆς πόσιος κατέχων πολλὸν τοὺς ἄλλους ὁ Ἱπποκλείδης ἐκέλευσέ οἱ τὸν αὐλητὴν αὐλῆσαι ἐμμελείην. Non video, quid hoc loco significare possit κατέχων, opinorque scribendum καθελών, longe ceteris certando superatis superior.

VII, 10, 1 (in oratione Artabani): ὦ βασιλεῦ, μὴ λεχθεισέων μὲν γνωμέων ἀντιέων ἀλλήλῃσι οὐκ ἔστι τὴν ἀμείνω αἱρεόμενον ἑλέσθαι, ἀλλὰ δεῖ τῇ εἰρημένῃ χρᾶσθαι, λεχθεισέων δὲ ἔστι κ. τ. λ. Prorsus mirifice idem verbum geminatur, αἱρεόμενον ἑλέσθαι, eligentem eligere Vix dubito, quin scriptum fuerit: τὴν ἀμείνω αἱρεόμενον ἔχεσθαι, meliorem eligere eamque firmiter tenere.

Ibid. 21: οἱ μὲν γὰρ νέας παρείχοντο, οἱ δὲ ἐς πεζὸν ἐτετάχατο, τοῖσι δὲ ἵππος προσετέτακτο, τοῖσι δὲ ἱππαγωγὰ πλοῖα στρατευομένοισι, τοῖσι δὲ ἐς τὰς γεφύρας μακρὰς νέας παρέχειν, τοῖσι δὲ σῖτά τε καὶ νέας. Quod in editionibus ante στρατευομένοισι additur ἅμα, codices meliores non habent. Si significaretur eos, qui πλοῖα ἱππαγωγὰ præberent, ipsos quoque milites præbuisse, scribendum erat ἅμα αὐτοῖσι στρατευομένοισι. Præterea duo separantur populorum civitatumque genera, prius eorum,

.i naves bellicas, pedites equitesve præbuerint, alterum, .i, ipsi pugnandi expertes, exercitui cum impedimentis ansportando necessaria. Itaque opinor scribendum esse: ᾶσι δὲ ἱππαγωγὰ πλοῖα <τοῖσι> στρατευομένοισι. Et terat τοῖσι non difficulter excidere post litteras οια. terum in extremo membro et postremo genere eorum, qui ercitui necessaria præbuerint, mire coniunguntur σῖτά τε αὶ νέες, res inter se distantes et diiunctæ, cum præsertim έες magis ad classem ipsam pugnantium pertineant (— in ntibus enim struendis propter singularem usum nominantur liecto μακραί —), hic potius πλοῖα exspectentur. Vereor, ab Herodoto aliud nomen positum fuerit rem cum ciba- is coniunctam significans, sed certi nihil reperio.

Ibid. 127: τῶν δὲ καταλεχθέντων τούτων ποταμῶν ἐκ ρηστωναίων ῥέων Ἐχείδωρος μοῦνος οὐκ ἀντέχρησε τῇ ρατιῇ πινόμενος, ἀλλ' ἐπέλιπε. Valde vereor, ne ver- ım ἀντιχρᾶν, quod pro eo, quod est sufficere, præter hunc cum infra etiam cap. 187 ponitur, errore conflatum sit ex teroutro duorum huius significationis propriorum; nam ıt ἀπέχρησε dicendum videtur fuisse aut ἀντέσχε.

Ibid. 145: ἦσαν δὲ πρός τινας καὶ ἄλλους (πόλεμοι) κεχρημένοι, ὁ δὲ ὢν μέγιστος Ἀθηναίοισί τε καὶ ἐγινήτῃσι. Nihil loci hic habere verbum, quod est χρῆσθαι, recte Reiskius intellexit; sed quæ substituit, inus probabilia sunt; opinor scriptum fuisse ἐνηργμένοι, bellis cœptis et susceptis.

Ibid. 170: ὥστε φόνος Ἑλληνικὸς μέγιστος οὗτος ἡ ἐγένετο πάντων τῶν ἡμεῖς ἴδμεν, αὐτῶν τε Ταραν- ίνων καὶ Ῥηγίνων, οἳ ὑπὸ Μικύθου τοῦ Χοίρου ναγκαζόμενοι τῶν ἀστῶν καὶ ἀπικόμενοι τιμωροὶ Ταραντίνοισι ἀπέθανον τρισχίλιοι οὕτω. αὐτῶν δὲ Τα- αντίνων οὐκ ἐπῆν ἀριθμός. Si vera hæc esset scriptura, gnificaretur partem civium Rheginorum invitam a Micytho 'arentinis auxilio missam. Sed neque id uno verbo ἀναγκα-

ζόμενοι exprimi poterat et dicendum erat *ἀναγκασθέντες*; neque ullo modo probabile est a tyranni procuratore Tarentinis liberis auxilium summissum esse offensa eorum, qui tyranno parerent, voluntate. Repugnat etiam, quod additur, *ἀπικόμενοι τιμωροί*, quod de auxiliaribus sua voluntate adductis, non de militibus imperio tyranni ægre obedientibus apte dicitur. Significatur nimirum res in civitatibus Græcis frequentissimi exempli, partem civium Rheginorum propter tyrannidem exsules vagatos esse eosque se Tarentinis suo consilio adiunxisse. Itaque aut excidisse *φεύγειν* opinor (*φεύγειν ἀναγκαζόμενοι*) aut scribendum: *οἱ ὑπὸ Μικύθου τοῦ Χοίρου ἀναχαζόμενοι τῶν ἀστῶν*, paulo durius posito *ὑπό* apud verbum intransitivum, quemadmodum dicitur *φεύγειν ὑπό τινος*. (Pro *οὕτω* Pingelius probabiliter *οὗτοι*.)

Ibid. 180: *καὶ ἔπειτα τῶν ἐπιβατέων αὐτῆς τὸν καλλιστεύοντα ἀγαγόντες ἐπὶ τῆς πρώρης τῆς νεὸς ἔσφαξαν, διαδέξιον ποιεύμενοι τὸν εἷλον τῶν Ἑλλήνων πρῶτον καὶ κάλλιστον.* Neque alibi reperitur *διαδέξιος*, neque id significare potest, quod volunt, „valde faustum“. neque *δέξιον ποιεῖσθαί τινα* per se significare potest bonum omen ex aliquo captare. In litteris *δια* subesse puto vestigium vocabuli sententiæ necessarii: *ἔσφαξαν, ὄρνιθα δέξιον ποιεύμενοι τὸν εἷλον τῶν Ἑλλήνων πρῶτον καὶ κάλλιστον.*

Ibid. 191: *ἡμέρας γὰρ δὴ ἐχείμαζε τρεῖς· τέλος δὲ ἔντομά τε ποιεῦντες καὶ καταείδοντες γόησι οἱ Μάγοι τῷ ἀνέμῳ . . . . ἔπαυσαν τῇ τετάρτῃ ἡμέρῃ κ. τ. λ.* Mendum esse in *γόησι* recte ab aliis intellectum est; nam neque dativus instrumenti de personis hoc loco ferri ullo modo potest, neque *γόησι* aliis Magi utebantur, ipsi *γοητεύοντες*, neque omnino aliis hominibus præter Magos in incantando locus erat. Una littera mutata scribendum est: *καταείδοντες βοῇσι οἱ Μάγοι τῷ ἀνέμῳ.* Clamoribus et eiulationibus ventum placaverunt.

Ibid. 194: τότε δὲ ἐς τοὺς Ἕλληνας καταπλώσας Sandoces, qui olim regis iram effugerat) ἔμελλε οὐ τὸ 'εύτερον διαφυγὼν ἔσεσθαι. Prorsus perverse pro eo, quod st ἔμελλε διαφεύξεσθαι, dicitur ἔμελλε διαφυγὼν ἔσεσθαι. ub ἔσεσθαι latet verbum, quod lætitiam et gloriationem evitato periculo significet. Utrum ἥδεσθαι fuerit an liud simile, non definio. (Reiskius et Valckenaerius περιέσεσθαι.)

Ibid. 212: ὡς δὲ οὐδὲν εὕρισκον ἀλλοιότερον οἱ Πέρσαι ᾗ τῇ προτεραίῃ ἐνώρων, ἀπήλαυνον. Valde uspicor ab interpolatore additum εὕρισκον, non solum uod verbum alterutrum abundat et inaniter variatur, sed uod, si duo verba Herodotus posuisset, necessario scripisset ἑωράκεσαν (ὠπώπεσαν).

VIII, 94: περιπίπτειν σφι (Corinthiis fugientibus) ιέλητα θείῃ πομπῇ, τὸν οὔτε πέμψαντα φανῆναι οὐδένα, ὔτε τι τῶν ἀπὸ τῆς στρατιῆς εἰδόσι προσφέρεσθαι τοῖσι Κορινθίοισι. τῇδε δὲ συμβάλλονται εἶναι θεῖον τὸ τρῆγμα. Sic dicitur τῇδε δέ, quasi indicetur secutura explicatio, cur divinitus factam rem putarint; ea vero explicatio superioribus continetur; itaque scribendum est: τῇ δὴ συμβάλλονται (propter quam ipsam causam coniectant).

Ibid. 106 (in Hermotimi ad Panionium mangonem verbis): οἵ (οἱ θεοί) σε ποιήσαντα ἀνόσια, νόμῳ δικαίῳ χρεώμενοι, ὑπήγαγον ἐς χεῖρας τὰς ἐμάς, ὥστε σε μὴ μέμψασθαι τὴν ἀπ' ἐμέο τοι ἐσομένην δίκην. Prorsus perversus in prædicenda pœnæ severitate aoristus infinitivi, scribendumque μέμψεσθαι.

Ibid. 112: Θεμιστοκλέης δὲ . . . . ἐσπέμπων ἐς τὰς ἄλλας νήσους ἀπειλητηρίους λόγους αἴτεε χρήματα διὰ τῶν αὐτῶν ἀγγέλων, χρεώμενος τοῖσι καὶ πρὸς βασιλέα ἐχρήσατο κ. τ. λ. Sic codices fide digni (Med., Rom., Flor.); sed quoniam manifesto abundat et sententiam perturbat participium χρεώμενος, cui accommodatum esset

τοῖς αὐτοῖς ἀγγέλοις, additur a plerisque *λόγοισι* ante *τοῖσι*, deinde, quod orationis et minarum forma ea, quæ subiicitur, Themistocles nullo modo apud regem uti poterat, pro *βασιλέα* substituitur *'Ανδρίους*, utrumque licenter. Rectius, opinor, tolletur *χρεώμενος* additum, ut responderet ei, quod sequitur, *ἐχρήσατο*. Non sine causa Herodotus Themistoclem narrat in negotiis diversis iisdem tamen nuntiis usum esse.

IX, 7: *ἅμα δὲ τὸ τεῖχός σφι, τὸ ἐν τῷ 'Ισθμῷ ἐτείχεον, καὶ ἤδη ἐπάλξις ἐλάμβανε.* Prava hæc est verborum coniunctio: *ἅμα δὲ τὸ τεῖχός σφι .... καὶ ἤδη ἐπάλξις ἐλάμβανε*, ac ne ipse quidem locus pronominis *σφί* id ad *ἐλάμβανε* referri sinit. Particulæ *καὶ ἤδη* manifesto ostendunt duos separari rei et sententiæ gradus, ut primum munitio continuata dicatur, deinde, quousque iam processerit. Scribendum sine dubio: *ἅμα δὲ τὸ τεῖχός σφι τὸ ἐν τῷ 'Ισθμῷ ἐ τ ε ι χ έ ε τ ο καὶ ἤδη ἐπάλξις ἐλάμβανε.* Articulus *τό* pro relativo acceptus errorem genuisse videtur.

Ibid. 57: *προτερεόντων δὲ τῶν σὺν Παυσανίῃ, καταδόξας αὐτοὺς ἰθέῃ τέχνῃ ἀπολιπεῖν αὐτόν, ἀναλαβόντα τὸν λόχον τὰ ὅπλα ἦγε βάδην πρὸς τὸ ἄλλο στῖφος.* Amompharetus, qui cedere loco noluerat, cum Pausaniam ceterosque cum eo discedere videret, putavit hoc certo et destinato consilio eos facere, in quo fefellit eum coniectura, nam Pausanias ideo tantum discesserat, quod putabat, si discedendi consilium audacter ostendisset. Amompharetum secuturum esse, quod accidit. Itaque arte Pausaniæ et simulata consilii firmitate permotus est, ut suo ipse consilio relicto Pausaniam sequeretur. Verum et ab hac rerum veritate abhorret *ἰθέῃ τέχνῃ*, et ipsum per se prave dicitur, quoniam contraria sunt, quæ vere et sine ulla simulatione fiunt (*ἰθέῃ*), et quæ arte (*τέχνῃ*). Aut igitur *τέχνῃ* prorsus omittendum aut, quod longe probabilius est, scribendum: *καταδόξας αὐτοὺς ἰθέῃ, <μὴ> τέχνῃ*

ἀπολιπεῖν αὐτόν. Errorem genuit aut litteræ *η* geminatio aut ignoratio vocabuli *ἰθέη* absolute pro adverbio positi, quemadmodum alibi *τὴν ἰθέαν* et *ἐκ τῆς ἰθέης*, apud Platonem *εὐθείᾳ περαίνειν.*

Cap. III.

Demosthenes.

Demosthenis orationes inde ab duodevicesima perlegi denuo a. 1875, cum Leptineam scholis enarraturus eram, quas oculorum subito ingravescens hebetudo omittere me coegit. In ea lectione nonnulla annotavi et emendavi, quæ editione non indigna puto.

XVIII, 135: *Οὐκοῦν ὅτε τούτου μέλλοντος ἀπήλασεν ἡ βουλὴ καὶ προσέταξεν ἑτέρῳ, τότε καὶ προδότην εἶναι καὶ κακόνουν ὑμῖν ἀπέφηνεν.* Mendosum esse *τούτου μέλλοντος* pro eo, quod dici debebat, *τοῦτον μέλλοντα λέγειν* vel potius *τοῦτον μέλλοντα σύνδικον στέλλεσθαι*, apparet; itaque varie et librarii interpolarunt et corrigere recentiores tentarunt, nemo probabiliter. Exciderunt litteræ aliquot propter similium viciniam, cum sic scriptum fuisset: *Οὐκοῦν ὅτε τ ο ῦ τ ο ν* <*τ ο ῦ δ ή μ ο υ*> *ἑ λ ό ν τ ο ς ἀπήλασεν ἡ βουλὴ κ. τ. λ.*

Ibid. 210: *καὶ παραλαμβάνειν γε ἅμα τῇ βακτηρίᾳ καὶ τῷ συμβόλῳ τὸ φρόνημα τὸ τῆς πόλεως νομίζειν ἕκαστον ὑμῶν δεῖ, ὅταν τὰ δημόσια εἰσίητε κρινοῦντες, εἴπερ ἄξια ἐκείνων πράττειν οἴεσθε χρῆναι.* Non satis erat iudices putare se civitatis animi magnitudinem (*τὸ φρόνημα τὸ τῆς πόλεως*) suscipere, sed ipsum hunc animi habitum reapse suscipere debebant. Itaque prorsus suspicor *νομίζειν* mala manu additum esse Demosthenemque scripsisse tantum: *καὶ παραλαμβάνειν γε ἅμα τῇ βακτηρίᾳ*

κ. τ. σ. τὸ φρόνημα τὸ τῆς πόλεως ἕκαστον ὑμῶν δεῖ κ. τ. λ.

XIX, 231: *τί οὖν μετὰ ταῦτα; Ἀθηναῖοι λαβόντες (ᾔδεσαν μὲν γὰρ πάλαι) τί δέ; τοὺς μὲν χρήματ' εἰληφότας καὶ δῶρα καὶ καταισχύναντας ἑαυτούς, τὴν πόλιν, τοὺς ἑαυτῶν παῖδας, ἀφεῖσαν καὶ νοῦν ἔχειν ἡγοῦντο καὶ τὴν πόλιν εὐθενεῖσθαι· τὸν δὲ κατηγοροῦντα τί; ἐμβεβροντῆσθαι, τὴν πόλιν ἀγνοεῖν, οὐκ ἔχειν ὅποι τὰ ἑαυτοῦ ῥίπτῃ.* Non quæritur, quid Athenienses de statu rei publicæ iudicaverint, sed quid de illorum hominum rei publicæ administratione. Itaque ubi scribitur *εὐθενεῖσθαι*, necessario requiritur activæ significationis verbum ad illos homines pertinens, quemadmodum in altero membro omnia pertinent ad *τὸν κατηγοροῦντα*. Sententiæ satisfacit *καὶ τὴν πόλιν εὖ διαθεῖναι*, litterarum vestigiis minus, ad quæ propius accederet *εὖ θέσθαι*; sed id de rebus bene suo usui accommodandis dicitur, quod hoc loco minus aptum est. Paulo ante neque *τί δέ* neque *τί δαί* verum esse potest; fortasse scriptum fuerat: *λαβόντες (ᾔδεσαν μὲν γὰρ πάλαι ἤδη) τοὺς μὲν κ. τ. λ.*

Ibid. 266 (de Olynthiis): *οὐδὲν αὐτοὺς τούτων ἐδυνήθη σῶσαι, ἀλλὰ πρὶν μὲν ἐξελθεῖν ἐνιαυτὸν τοῦ πολέμου τὰς πόλεις ἁπάσας ἀπωλωλέκεσαν τὰς ἐν τῇ Χαλκιδικῇ προδιδόντες.* Sic *Σ*; ceteri *οἱ προδιδόντες*. Utrumque æque perversum est; nam neque Olynthiorum populus, de quo agitur, et quem servari potuisse orator negat, ipse urbes prodiderat, neque proditores urbes amiserant aut omnino in hanc sententiam de interitu Olynthiorum includi possunt. Tollendum simpliciter *προδιδόντες*, inepte additum propter id, quod sequitur, *τοῖς προδιδοῦσιν* (sententiæ accommodari poterat *προδοθείσας*, verum et abundaret neque facile in *προδιδόντες* transisset). [Sic iam Marklandus et alii.] Deinde quæ subiunguntur de proditorum multitudine ad omnia offerenda prompta, in codice *Σ* sic scri-

[redacted]

buntur: *καὶ Φίλιππος οὐχ ὑπεῖχεν ὑπακούων τοῖς προδιδοῦσιν, οὐδ' εἶχεν ὅ τι πρῶτον λάβῃ*, manifesto in *ὑπεῖχεν* mendo; quod ceteri codices habent, *οὐκέτ' εἶχεν*, redarguit et participium *ὑπακούων* et quod sequitur in altero membro recte scriptum, *οὐδ' εἶχεν*. Scribendum videtur: *καὶ Φίλιππος οὐκ ἐπήρκει ὑπακούων τοῖς προδιδοῦσιν*; non sufficiebat offerentibus se proditoribus recipiendis.

XX, 34: *τί οὖν οἴεσθε, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τοῦτον τὸν τοιοῦτον περὶ ὑμᾶς γεγενημένον, ἐὰν ἀκούσῃ νόμῳ τὴν ἀτέλειαν ὑμᾶς ἀφῃρημένους αὐτὸν καὶ μηδ' ἂν μεταδόξῃ ποτὲ ψηφισαμένους ἐξεῖναι δοῦναι;* Si participium *ψηφισαμένους* cum *ἐξεῖναι δοῦναι* coniungeretur, necessario præsens poneretur tempus, et tamen totum abundaret, nisi scriberetur *μεταψηφιζομένους*. Scribendum: *μηδ' ἂν μεταδόξῃ ποτὲ ψηφισαμένοις, ἐξεῖναι δοῦναι*, ne si decreti quidem vos pœnituerit.

XXI, 41: *ἃ δ' ἂν ἐκ πολλοῦ συνεχῶς ἐπὶ πολλὰς ἡμέρας παρὰ τοὺς νόμους πράττων τις φωρᾶται, οὐ μόνον δήπου τοῦ μὴ μετ' ὀργῆς ἀπέχει, ἀλλὰ καὶ βεβουλευμένως ὁ τοιοῦτος ὑβρίζων ἐστὶν ἤδη φανερός.* Quamquam de particula *μή* in Græco sermone apud infinitivum ad nostrum sensum abundanti diligenter quæsivi exposuique in libello syntaxi meæ Græcæ adiuncto (*Bemerkungen über einige Puncte der griechischen Wortfügungslehre* p. 47 sqq.), tamen non video, quomodo dici possit *ἀπέχει τοῦ μὴ μετ' ὀργῆς*, cum hoc intelligatur: „abest ab eo, ut iratus faciat fiatve“. Valde vereor, ne scriptum fuerit a Demosthene: *οὐ μόνον δήπου τὸ μὴ μετ' ὀργῆς ἀπέχει*, rariore illo usu verbi *ἀπέχειν*, quo dicitur de iis, quæ iam acceperimus teneamusque, ut hæc sit sententia: non solum impressam habet et continet notam rei non ira factæ, hoc est, non solum caret excusatione rei per

iram factæ. Exempla verbi iam Demosthenis ætate sic positi habet altera lexici Papii editio.

Ibid. 97: *εἶθ᾽ ὑμεῖς τὸν οὕτως ὠμόν, τὸν οὕτως ἀγνώμονα . . . . τοῦτον ὑβρίζοντα λαβόντες εἰς τινα τῶν πολιτῶν ἀφήσετε, καὶ μήθ᾽ ἑορτῆς μήτε ἱερῶν μήτε νόμου μήτ᾽ ἄλλου μηδενὸς πρόνοιαν ποιούμενον οὐ καταψηφιεῖσθε; οὐ παράδειγμα ποιήσετε;* Omni sermonis usui repugnat *καταψηφίζεσθαι* cum accusativo coniunctum. Præterea *πρόνοιαν ποιεῖσθαι ἑορτῆς καὶ ἱερῶν καὶ νόμου*, hoc est, prospicere sacris cet., non de eo dicitur, qui sacra et legem reveretur nec violat, sed de eo, qui curat, ut ea inviolata ab aliis serventur. Scribendum est igitur: *καὶ μήθ᾽ ἑορτῆς μήτε ἱερῶν μήτε νόμου μήτ᾽ ἄλλου μηδενὸς πρόνοιαν ποιούμενοι οὐ καταψηφιεῖσθε;* hoc est: neglectaque sacrorum et legis omniumque aliorum cura et tutela non condemnabitis? Interrogationi negativæ futuri temporis imperandi vim habenti additur participium declarans, quid adiunctum sit neglecto imperio. Si iudices non condemnaverint, neque sacris neque legi prospexerint. [Sic Lambinus.]

Ibid. 114: *Οὕτω τοίνυν οὗτός ἐστιν ἀσεβὴς καὶ μιαρὸς καὶ πᾶν ἂν ὑποστὰς εἰπεῖν καὶ πρᾶξαι, εἰ δ᾽ ἀληθὲς ἢ ψεῦδος ἢ πρὸς ἐχθρὸν ἢ φίλον ἢ τὰ τοιαῦτα, ἀλλ᾽ οὐδ᾽ ὁτιοῦν διορίζων, ὥστ᾽ ἐπαιτιασάμενός με φόνου . . . εἴασε μέν με εἰσιτήρια ὑπὲρ τῆς βουλῆς ἱεροποιῆσαι κ. τ. λ.* Manifestum est inter hæc *πᾶν ἂν ὑποστὰς εἰπεῖν καὶ πρᾶξαι, εἰ δ᾽ ἀληθὲς ἢ ψεῦδος . . . οὐδ᾽ ὁτιοῦν διορίζων* non posse interponi *ἀλλά.* Scribendum: *ἢ τὰ τοιαῦτ᾽ ἄλλ᾽ (ἄλλα), οὐδ᾽ ὁτιοῦν διορίζων.* Nihil curat homo impius, quæ faciat dicatque, vera sint an falsa, utrum amicum an inimicum attingant, neque alia huiusmodi, quæ curare et quærere homines honesti solent.

Ibid. 125: *δόντα λόγον καὶ ὑποσχόντα κρίσιν περὶ ὧν ἄν τις ἐγκαλῇ, τότ᾽ ἀμύνεσθαι τοὺς ἀδίκως ἐφ᾽ αὐτὸν*

ἐλθόντας χρή, καὶ τότ' ἂν ἀδικοῦντα ὁρᾷ τις, οὐ προσαναρπάζειν κ. τ. λ. In his καὶ τότ' ἂν ἀ. ὁρᾷ τις nulla est orationis structura; erit recta et legitima, si scripseris: καὶ τότ' ὅτ' ἂν ἀδικοῦντα ὁρᾷ τις. Duæ ponuntur iuste adversarios persequendi condiciones, prior, ut ipse te iudicio defenderis, altera, ut adversarios reapse in aliquo facinore deprehenderis. Ceterum recte Bekkerus et superiores cum deterioribus codicibus ἀδικοῦντας scribunt, alioquin debebat esse: ἀδικοῦντά τινα, minus apte concurrentibus τινά et τίς.

Ibid. 189: εἰ μέντοι ῥήτωρ ἐστὶν οἵους ἐνίους τῶν λεγόντων ἐγὼ καὶ ὑμεῖς δὲ ὁρᾶτε, ἀναιδεῖς καὶ ὑφ' ὑμῶν πεπλουτηκότας, οὐκ ἂν εἴην οὗτος ἐγώ. Nihil est ὑπὸ τοῦ δήμου πλουτεῖν, quoniam in verbo πλουτεῖν nulla huiusmodi patiendi significatio fingi potest, qualis est verbi causa, cum dicitur θνήσκειν ὑπό τινος. Neque populus ipse huiusmodi homines, de quibus agitur, ditabat, sed illi populum defraudantes peculatu divitias corradebant, hoc est, ἀπὸ τοῦ δήμου ἐπλούτουν. Scribendum igitur ἀφ' ὑμῶν. [Sic iam Cobetus.]

XXII, 20: ὅτι τοίνυν οὐδ' αἴτιος ἄλλος οὐδεὶς ἀνθρώπων ἐστὶ τοῦ μὴ πεποιῆσθαι τὰς ναῦς, τοῦτο σαφῶς ὑμῖν ἐπιδείξω· ἀνελοῦσα γὰρ ἡ βουλὴ τὸν νόμον τοῦτον ἐχειροτόνησεν αὐτῇ. Sic Σ. Qui interpolate αὐτὴν scripserunt, ut nihil de sententia dicam (quid est enim, senatum semet ipsum creasse?), non animadverterunt τοῦτον obiecti loco pertinere ad ἐχειροτόνησεν, non solum quod bis supra in hac ipsa paragrapho simpliciter ὁ νόμος dicitur, non οὗτος ὁ νόμος, sed quod necessario Androtionis persona in hanc sententiam includi et cum senatus facto coniungi debet, quoniam alioquin nulla eius culpa significatur. Senatus igitur Androtionem ἐχειροτόνησεν et munus ei aliquod demandavit; quodnam id fuit? In hac enim ipsa muneris demandatione tota argumentatio posita est.

[illegible] manifestam [illegible] in Androtionea ad [illegible] [illegible] Demosthenes: [illegible] [illegible] Androtionem [illegible] in nimio [illegible] ad [illegible] sibi [illegible] ex [illegible] significat [illegible] Non nimis difficulter [illegible] nomen [illegible] quoniam [illegible]

[illegible] 33: Περὶ μὲν τοίνυν τοῦ [illegible] [illegible] Non haec argumenta [illegible] Androtion [illegible] quaerenti poterant, quoniam de ea lege, ad nunc demum transitur, nihil ante dictum erat, sed i lege eadem ratione Androtioni occurri poterat, qua i [illegible] orator ei occurrerat. Scribendum igitur: τ[illegible] δίκαια. (Debebat praeterea dici aut ταῦτα τὰ δίκαι[illegible] δίκαια pro substantivo esset, aut ταῦτα δικαίως.)

XXIII, 142: ἐν δὴ Λαμψάκῳ τινὲς ἄνθρω[illegible] γνονται δύο Θερσαγόρας ὄνομ' αὐτῷ, Φατέρῳ δ' [illegible]κεστος. Quis umquam in ulla lingua sic loquitur, ut d[illegible] significatis hominibus subiungat ei nomen esse hoc, illud, ac non sic dicit, alteri nomen esse hoc, alteri Atque ad hanc formam scripsit etiam Demosthenes: [illegible]σαγόρας ὄνομ' αὐτῶν <θατέρῳ>, θατέρῳ δ' [illegible]κεστος. Omissum errore alterum θατέρῳ effecit, ut [illegible]niam dativus aperte desiderabatur, detracta littera ν αὐτῷ.

XXIV, 41: ὅλος μὲν γάρ ἐστιν ἅπασιν ἐν[illegible]

'ς οὖσι, μάλιστα δὲ τούτῳ. Non huic legi, quæ xime commemorata est, contraria maxime erat ea, quæ usatur, hoc est, ipsa sibi (— nam ipsa illa commerata erat —), sed cum universa omnibus, quæ exstait, legibus contraria erat, tum maxime hoc, de quo tum erat, eius caput. Scriptum igitur fuerat: μάλιστα τούτο, atque inter se referuntur tota lex et pars eius.

Ibid. 115: ᾤετο γὰρ δεῖν τόν γε τὰ αἰσχρὰ ἔργα ἐργαμενον μὴ ἃ ὑφείλετο μόνον ἀποδόντα ἀπηλλάχθαι ολλοὶ γὰρ ἂν αὐτῷ ἐδόκουν οὕτω γ' οἱ κλέπται ἔσεαι, εἰ μέλλοιεν λαθόντες μὲν ἕξειν, μὴ λαθόντες δ' τὰ μόνον καταθήσειν ἃ ὑφείλοντο) κ. τ. λ. Tollendum :essario ἄν, quod neque cum ἐδόκουν coniungi potest - neque enim hoc legis auctori visum esset, sed vide;ur —), neque cum ἔσεσθαι. [Sic Cobetus.]

Ibid. 201: καίτοι ὅστις μέλλων κληρονομήσειν τῆς ιμίας, ἄν ἐκεῖνός τι πάθῃ, μὴ οἴεται δεῖν ἐκτῖσαι, λὰ κερδαίνειν, ὃν ἐκεῖνος ζῇ χρόνον, ἀξιοῖ τοῦτο τὸ ιδος, τίνος ἂν ὑμῖν ἀποσχέσθαι δοκεῖ; Lucrum, quod nocrates turpiter non spernit, positum est in eo ipso,)d, quamdiu pater vivat, non exsolvat, quod is rei publicæ)eat; itaque hoc tempus lucri facit, κερδαίνει τοῦτον ν χρόνον, non per hoc tempus aliud lucrum quærit aut)et. Valde vereor, ne verba τοῦτο τὸ κέρδος addita t ab aliquo, qui sententiam verborum κερδαίνειν, ὃν ῖνος ζῇ χρόνον non intellexerit.

Ibid. 209: (Timocrates) νόμον τέθεικε φανερῶς, ὃς οὐκ οίγνυσι τὸ δεσμωτήριον, ἀλλὰ καθαιρεῖ, προσπεριεῖρε δὲ καὶ τὰ δικαστήρια. τίς γὰρ ἢ τούτων ἢ ἐκείνων ία, ὅταν οἷς τετίμηται δεσμοῦ λύωνται, κἂν τὸ λοιπὸν ιήσητέ τῳ, μηδὲν ὑμῖν ᾖ πλέον; Necessario scribenn: τίς γὰρ ἢ τούτων (τῶν δικαστηρίων) ἢ ἐκείνου ῦ δεσμωτηρίου) χρεία; Pronominis numerus ab oscite librario accommodatus est ad τούτων.

Ibid. 217: οὗτος τοίνυν ἐν τούτῳ τῷ νόμῳ φαίνεται κακῶς ἐπιχειρῶν ὑμᾶς ποιεῖν, δι' οὗ τοῖς ἀδικεῖν ἐπιχειροῦσιν εἰσὶν αἱ τιμωρίαι. Nulla una lex intelligi potest nisi ipsa Timocratis; verum ea non continebantur, sed tollebantur nocentium pœnæ. Et eas et totam rempublicam orator dixerat contineri τοῖς νόμοις maximeque iis legibus, quæ de pœnis et præmiis essent. Itaque scripserat orator: ἐν τούτῳ φαίνεται κακῶς ἐπιχειρῶν ὑμᾶς ποιεῖν, δι' οὗ τοῖς ἀδικεῖν ἐπιχειροῦσιν εἰσὶν αἱ τιμωρίαι, in eo ipso, quo pœnæ continentur, hoc est, τοῖς νόμοις. Qui non intellexerat ἐν τούτῳ generatim dici, addidit τῷ νόμῳ.

XXVII, 54: καὶ μαρτυρίαν μὲν οὐδεμίαν ἐνεβάλετο τούτων ὁ ταῦτ' εἰπεῖν ἀξιώσας, ψιλῷ δὲ λόγῳ χρησάμενος ὡς πιστευθησόμενος δι' ἐκείνων. Perspicuum est pronomen ἐκείνων, sive pro masculino sive pro neutro accipias, nihil omnino habere, quo referatur; requiritur autem significatio fidei inaniter et sine ullo argumento habendæ: scriptumne fuit διὰ κενῶν simili usu, atque διὰ κενῆς et διάκενος dicitur?

XXIX, 1: Εἰ μὴ πρότερόν μοι δίκης γενομένης πρὸς Ἄφοβον, ὦ ἄνδρες δικασταί, συνῄδειν πολλῷ τούτων μείζω καὶ δεινότερ' αὐτοῦ ψευσαμένου ῥᾳδίως ἐξελέγξας διὰ τὴν περιφάνειαν τῶν ἀδικημάτων, θαυμασίως ἂν ὡς ηὐλαβούμην μὴ καὶ νῦν οὐ δυνηθῶ δεῖξαι πῆ παρακρούεταί ποθ' ἕκαστα ὑμᾶς αὐτῶν. Neque ποτέ aptum est, neque apte ἕκαστα subiecti locum tenet, qui manifesto Aphobo debetur. Scribendum opinor: πῇ παρακρούεται καθ' ἕκαστα ὑμᾶς αὐτῶν (τῶν ἀδικημάτων).

XXX, 14: ὥσθ' ὑμῖν γενέσθαι φανερὸν ὅτι, εἰ μὴ καὶ ἐπὶ τούτοις ἀλλ' ἐπὶ τῷ διὰ ταχέων ἀποδοῦναι τἀργύριον εἶχον, οὐκ ἄν ποτ' ἀπέδοσαν οὐδ' ἂν προεῖντο. Neque ἐπὶ τούτοις, quo pronomen referatur, habet, neque

ret, cui contrarium referatur alterum illud *ἐπὶ τῷ διὰ* ων *ἀποδοῦναι*. Recta omnia erunt, si scripseris *ἐπὶ* οις. Pecunia, quam orator ab Onetore et eius consor- redditam esse negat, aut mutua eis data ita esse at, ut usuram solverent, aut ea condicione deberi, ut m solvenda esset. Itaque, ne si hac quidem posteriore ne deberetur, eos eam reddituros fuisse ostendit.

XXXI, 14: *τὸν δὲ καταδικασάμενον . . . .* κάσθαι τοιαῦτα παθεῖν, κεκομισμένον μηδ' ὁτιοῦν, ταῦτ' ἐθέλοντα ποιεῖν ὑμῖν αὐτοῖς, εἴ τι τῶν δεόν- ἐβούλεσθε πράττειν.* Quo significatu *ποιεῖν τινι* lute nullo addito dicatur, nescio. Opinor scribendum *πονεῖν ὑμῖν αὐτοῖς*, vobis laborem et operam re.

XXXV, 54: *ὅπερ οὖν ἐν ἀρχῇ ὑπεθέμην τοῦ λόγου, καὶ ὑμεῖς ἀδικεῖσθε οὐδὲν ἧττον τῶν δόντων ἡμῶν ρήματα. σκοπεῖτε δ', ὦ ἄνδρες δικασταί, πῶς συνα- ῖσθε, ἐπειδάν τις τῶν νόμων τῶν ὑμετέρων κρείττων ιρῇ εἶναι . . . . ., πῶς οὐκ ἀδικεῖ ὁ τοιοῦτος ἄνθρω- καὶ ὑμᾶς;* Sententia, quæ ab *ὅπερ* incipit, caret losi; contra ei, quæ incipit a *σκοπεῖτε δ'*, interposita *ἐπειδάν* temporis condicionisque significatione, prave radditur et adhæret interrogatio illa *πῶς οὐκ ἀδικεῖ* λ. Recta oratio efficietur sublato *δ'* post *σκοπεῖτε* ver- ue sic interpunctis: *ὅπερ οὖν ἐν ἀρχῇ ὑπεθέμην τοῦ* ιν, *ὅτι καὶ ὑμεῖς ἀδικεῖσθε οὐδὲν ἧττον τῶν δόντων* ν *τὰ χρήματα, σκοπεῖτ', ὦ ἄνδρες δικασταί* (*σκοπεῖτ'*, *ὦ ἄνδρες δικασταί?*), *πῶς συναδικεῖσθε. ἐπειδάν* τῶν *νόμων τῶν ὑμετέρων κρείττων ἐγχειρῇ εἶναι . . . . .*, *οὐκ ἀδικεῖ ὁ τοιοῦτος ἄνθρωπος καὶ ὑμᾶς;*

XXXVI, 47: *ὑβρίζεις μὲν σαυτὸν καὶ τοὺς γονέας νεώτας, προπηλακίζεις δὲ τὴν πόλιν, καὶ ἃ διὰ τῆς* ων *φιλανθρωπίας ἀπολαύσας εὕρετο ὁ σὸς πατὴρ μετὰ ταῦτα Φορμίων οὑτοσί, ταῦτα ἀντὶ τοῦ κοσμεῖν*

substituitur ἀπειπὼν (τοῖς ὀνηλάταις) . . . . μὴ
ϑαι κ. τ. λ., idque errore in superiorem locum re-
ι est.*)

LIII, 83: μηδ' ἐπιτρέψητε τούτοις ἔχειν τὰ μὴ
ιοντα, ἀλλ' ἀποδοῦναι ἀναγκάσετε εἰς τὸν Ἁγνίου
τοῖς προσήκουσι τοῖς Ἁγνίου. Non agitur de
quibusdam rebus Hagniæ patrimonio et hereditati
ndis, sed de tota hereditate Hagniæ propinquis
da. Itaque necessario scribendum est: ἀποδοῦναι
ισετε τὸν Ἁγνίου οἶκον τοῖς προσήκουσι τοῖς
υ.

LIV, 59: ἔτι τοίνυν ἐπὶ τὸ τῶν διαμαρτυρούντων
οὔτε δικαστήρια ἦν ἂν οὔτε ἀγῶνες ἐγίγνοντο·
γὰρ πάντα ταῦτα τὸ τῶν διαμαρτυριῶν γένος
.. Sententia perspicue hæc est, si per τοὺς διαμαρ-
τας staret, nulla iudicia, nullas lites futuras. Id
dicitur: ἔτι τοίνυν, τὸ τῶν διαμαρτυρούντων
οὔτε δικαστήρια ἦν ἂν οὔτε ἀγῶνες ἐγίγνοντο.
itio ἐπί in hoc loquendi genere accusativo addita
exemplo ullo defenditur neque ulla significationis
ia. Et tamen eius addendæ causa fuit ignoratio usus
uentis nominis τὸ (τινος) μέρος, „quantum ad
n attinet, quod per eum stat". [Sic iam Cobetus.]

bid. 66: δικαίως γὰρ ὁ νομοθέτης, οἶμαι, ὥσπερ καὶ
υχίας τῶν οἰκείων καὶ τὰς ἐκδόσεις τῶν γυναικῶν
γυτάτω γένους προσέταττε ποιεῖσθαι, οὕτω καὶ τὰς

---

rat. XL § 9 et 10 prorsus incredibile fingitur anacoluthon
ι sententia facile decurrenti. Utrum tamen simpliciter
llenda sint verba μεθ' ὧν οὗτος et deinde δέ post
υνόδων, ut sic scribatur: ἐπειδὴ δ' οὑτοσὶ . . . . ἑλών,
δικάζετό μου τῷ πατρὶ φάσκων υἱὸς εἶναι ἐκείνου, συνόδων
γνομένων πολλῶν κ. τ. λ., an occultius aliquod mendum
ıbsit, non definio.

κληρονομίας καὶ τὴν τῶν ἀγαθῶν μετουσίαν τοῖς αι ἀποδέδωκεν. Sententia perspicua est, quibus onera (commoda propinquitatum lex imponat, iisdem eam com et utilitates earum iure tribuere. In verbis, ut nunc buntur, primum ipsa inæqualitas membrorum inter se torum offendit, quod in priore *προσέταττε ποιεῖσθαι* bitur addito infinitivo, in altero solum *ἀποδέδωκεν*, d autem multo gravius, quod *ποιεῖσθαι* nullo mod *ἀτυχίας* accommodari potest nec tamen alterum sul tivum simpliciter cum *προσέταττε* coniungi, alterum *ποιεῖσθαι.* Apparet prorsus tollendum esse *ποιεῖ* pro quo opinor etiam Græce *ποιεῖν* dicendum fuisse. *ἀτυχίας* intelligi calamitatum sublevationem, quemadı *ἐκδόσεις* dotium comparationem, non opus est dici.

XLVII, 7 et 8: *οἵ γε οὐδὲ νῦν πω τολμ σῶμα τῆς ἀνθρώπου παραδοῦναι, καθὰ ἔφασαν : λέσασθαι τὸν Θεόφημον καὶ ἐμαρτύρησαν αὐτ τὴν μὲν μαρτυρίαν ἔργῳ βεβαιῶσαι ὡς ἀληθῆ καὶ τοὺς μάρτυρας ἀπηλλάχθαι τοῦ ἀγῶνος, παρ τὸ σῶμα τῆς ἀνθρώπου, τὴν δ' ἄνθρωπον π αἰκίας βασανίζεσθαι κ. τ. λ.* Si verum esset *παρα* audiri deberet *Θεοφήμου* aut *τούτου*, quod fiei pacto posse manifestum est, quoniam ipsum pond tentiæ in hoc nomen aut pronomen incideret et in ı periodo de voluntate et actione testium agitur (*οἵ ; νῦν πω τολμῶσι κ. τ. λ.*). Scribendum est ne *π α ρ α δ ό ν τ α ς.* Ipsi se testes liberare iudicio *ψευ τυριῶν* debuisse significantur, tradita in quæstionem quoniam ita cum Theophemo propinquitate et reru munione coniuncti sint, ut in hac re eandem atqu phemus potestatem habeant; cf. § 9. Ceterum duritia orationis in coniunctione infinitivi simplicis (*ζ σαι*) et accusativi cum infinitivo idem subiectum h ad quod verbum, unde pendet, refertur (*οἵ γε ... το*

:atur quodam modo effectus τοῦ τολμᾶν: „non in ı inducunt testimonium suum reapse confirmare et , ut testes (— sunt autem ipsi —) liberentur“.

bid. 10: καὶ τούτων οὐ προσποιουμένων, ἀλλὰ λόγῳ ιρτυρούντων τὰ ψευδῆ, ἔργῳ δὲ οὐ παραδιδόντων ᾿θρωπον. Quid hic significet προσποιουμένων, exe nequeo; neque enim simulasse orator negat adversed potius simulationis accusat. Sine dubio scribenıt οὐ προσιεμένων. Non admisisse adversarios 'eces postulationesque dicit.

ɔid. 19 et 20: διότι δέ, ἐγὼ ὑμῖν διηγήσομαι. ἔτυχεν ἐκιῶν τριήρων καὶ βοήθεια ἀποστελλομένη διὰ τάχους. ɜit ἔτυχε βοήθεια ἀποστελλομένη, omnes norunt; τυχεν ἐκπλεουσῶν τριήρων, nemo, opinor. Quid ɔeat, satis manifestum est, casu accidisse, ut eo temiremes enavigarent et expeditio mitteretur. Videat unc aliquis, quam leni medicina verum restituatur errore, quo librarius duas voces in unam conflavit, hanc una littera addita explevit; scriptum enim ἔτυχεν ἔκπλους ὢν τριήρων καὶ βοήθεια ːλλομένη διὰ τάχους.

ɪI, 11: θαυμάζω δ' ἔγωγε τί δή ποτε τῶν μὲν ν τοὺς ἀπολειπομένους, ὧν τριάκοντα δραχμὰς ς ἔχει μόνας, δέουσι καὶ κολάζουσιν οὗτοι· τῶν δὲ ρχων τοὺς μὴ συμπλέοντας, ὧν τριάκοντα μνᾶς πλουν εἴληφεν ἕκαστος, οὐ ταὐτὰ ποιεῖθ' ὑμεῖς . Non ad incurrendum in hostium naves aut præquod ἐπίπλους significat, sed ad enavigandum et ionem nave bene instructa suscipiendam trierarchi .m accipiebant. Itaque scribendum est εἰς ἀπόν. Nam si quis potius εἰς ἔπιπλα scribendum puprimum obstat mutatio violentior, deinde quod in ıli σκεύη potius quam ἔπιπλα appellantur.

III, 24: ἡγούμην γὰρ οὐ προσήκειν ἐμοὶ ἰδιώ-

τῃ ὄντι τοὺς δημοσίους βασανίζειν· οὔτε γὰρ τῆς βασάνου κύριος ἐγιγνόμην οὔτε καλῶς ἔχειν τὰ λεγόμενα ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων ἐμὲ κρίνειν. Post οὔτε ... ἐγιγνόμην non potest in altera rationis reddendæ parte prorsus ex æquo posita rediri ad infinitivum. Scribendum necessario est οὔτε καλῶς εἶχε τὰ λεγόμενα κ. τ. λ.

LVI, 24: ὧν μέντοι αὐτοὶ ἦσαν κύριοι, οὐ ταῦτ' ἀπέστελλον πάντα δεῦρο, ἀλλ' ἐκλεγόμενοι τίνων αἱ τιμαὶ ἐπετέταντο. Oratio in extremis verbis prorsus non cohæret, pravissimeque ponitur pronomen interrogativum. Omnia recta erunt litteris melius separatis: ἐκλεγόμενοι τιν' ὧν αἱ τιμαὶ ἐπετέταντο. Eligebant quædam, quorum pretia aucta erant, eaque mittebant.

LVII, 19: ἐγὼ δ' ἐξ αὐτῶν τούτων μάλιστ' ἂν οἶμαι ὑμῖν ἐμαυτὸν Ἀθηναῖον ὄντα ἐπιδείξειν. Scribendum esse aut: μάλιστ' οἶμαι ὑμῖν ... ἐπιδείξειν aut: μάλιστ' ἂν οἶμαι ὑμῖν ... ἐπιδεῖξαι, nemo, opinor, nunc negabit, errore omni in hoc particulæ usu pridem sublato. Cf. Adv. Crit. I p. 41 in imo margine. [Sic fere Westermannus.]

LVIII, 41: μηδὲ νομίζειν κυριωτέρους δεῖν εἶναι τοὺς νόμους, ἂν εὖ τις τοῖς ὀνόμασι συμπλέξας αὐτοὺς τούτους ὑμῖν παράσχηται, τῶν ὅπως ἔτυχε λεγόντων, ἀλλὰ τοὺς αὐτούς, καὶ τοσούτῳ μᾶλλον τοῖς ἀπείροις καὶ νέοις βοηθεῖν, ὅσῳπερ ἂν ἧττον ἐξαπατήσειαν ὑμᾶς. Non comparantur leges cum personis, neque hoc contendit orator, leges, si scite et elegantibus verbis a causarum patrono proponantur, non debere superiores esse iis hominibus, qui simpliciter et sine arte (ὅπως ἔτυχε) dicant (nam leges semper hominibus superiores esse debent), sed negat leges plus valere debere, si eleganter, quam si sine arte advocentur et proponantur; eandem enim semper legum auctoritatem esse debere, nihil ab arte oratorum pendentem. Itaque comparatur inter se duplex leges appellandi et proponendi ratio, scriptumque fuerat ad hanc fere formam: μηδὲ νομίζειν κυριωτέρους δεῖν εἶναι

›ς νόμους, ἂν εὖ τις τοῖς ὀνόμασι συμπλέξας αὐτοὺς n αὐτοὺς τούτους) ὑμῖν παράσχηται, <ἢ ἄν τις> ν ὅπως ἔτυχε λεγόντων, ἀλλὰ τοὺς αὐτούς. Error us videtur ex similitudine litterarum *ηται* et *η αν τις*.

Ibid. 46: *εἰ δ' ἐγράψατ' ἄν, πῶς οὐ δεινόν ἐστιν ἑτέρου ν γράψαντος κωλύειν τέλος ἔχειν τὸ ψήφισμα, ἵνα μὴ ντες τοῦτο ποιῶσι, καὶ γραφὴν ἀπενεγκόντα παρααψάμενον σαφῶς τοὺς νόμους κωλύειν τὸ πρᾶγμα, νὶ δ' αὐτὸν τοῦτον, μήτε πείσαντα τὸν δῆμον μήτ' : κοινὸν καταστήσαντα τὸ πρᾶγμα, γράφεσθαι τῶν μων αὐτῷ ἀπαγορευόντων;* In priore sententia, qua gitur Theocrines aliquid facturus, manifesto una res in as distrahitur et bis idem dicitur, primum *κωλύειν τέλος ιν τὸ ψήφισμα*, deinde, interposito *καί* ante *γραφήν*, nquam aliud adiungatur, *κωλύειν τὸ πρᾶγμα*. Theones perfici decretum prohibiturus erat et accusando et es citando (*καὶ γραφὴν ἀπενεγκὼν καὶ παραγραψάμε- : τοὺς νόμους*). Tollenda sunt extrema verba *κωλύειν πρᾶγμα*, addita, cum post *ἀπενεγκόντα* excidisset ', quod in deterioribus codicibus et apud Bekkerum recte litur, et sic prius *καί* alterum infinitivum requirere eretur, qui cum priore *κωλύειν* copularetur. Omnia te sic decurrunt: *κωλύειν τέλος ἔχειν τὸ ψήφισμα* .... *γραφὴν ἀπενεγκόντα καὶ παραγραψάμενον σαφῶς ς νόμους.*

LIX, 90: *τοὺς δὲ πρυτάνεις κελεύει τιθέναι τοὺς ίσκους ὁ νόμος καὶ τὴν ψῆφον διδόναι προσιόντι δήμῳ, πρὶν τοὺς ξένους εἰσιέναι καὶ τὰ γέρρα ἀναιν, ἵνα κύριος ὢν αὐτὸς αὑτοῦ ἕκαστος σκοπῆται πρὸς ὸν κ. τ. λ.* Vetus hic latet error, quem sequitur m Harpocratio v. *γέρρα*, item ut editiones utrumque nitivum (*εἰσιέναι* et *ἀναιρεῖν*) ad *πρίν* referens, quasi egrini nescio quo consilio et iure *τὰ γέρρα* sustulerint ne sublatio impedimento populo ad comitia congregato rit. Virgula post *εἰσιέναι* posita, apparet prytanes lege

iuberi *ἀναιρεῖν τὰ γέῤῥα*, ut iis remotis vacuum forum liberumque spatium populo pateat, quod et ea, quæ de consilio rei subiiciuntur, significant et ex orat. 18, 169 perspicitur; quamquam ibi prytanes, ut forum pateat concioni cras habendæ, *τὰ γέῤῥα* non solum tollunt, sed incendunt. Eodem spectat, quod ad suffragium populus admitti iubetur, antequam peregrini die procedente forum impleant.

Cap. IV.

Athenæus.

Athenæi *Δειπνοσοφιστῶν* libros cum antea, ut fit in tali opere, sparsim tantum attigissem, editis Adversariis Criticis totos perlegendos sumpsi, ut et universam formam descriptionemque accuratius cognoscerem et, si quid lateret, quo in aliis studiis uti possem, reperirem. Quæ in ea lectione subnatæ sunt fragmentorum quorundam poetarum Græcorum emendationes, eas, quatenus aut certæ aut probabiles videbantur, præter paucas in libro memoriæ Caroli Graux philologi Galli pie dedicato edidi atque inde, quoniam exiguum spatium occupant, huc transtuli. Ex ceteris, quæ aut in prosæ orationis scriptorum fragmentis aut in ipsius Athenæi verbis correxi, pauca, quæ aut propter res, quæ attinguntur, aut propter ipsam correctionis formam paulo notabiliora videntur, hic interponam, reliquis brevissime in marginem coniectis.

P. 5 d Casaub. (in versibus Platonis comici):

πουλύποδος πλεκτὴ δ' ἂν ἐπεὶ λήψῃ κατὰ καιρόν,
ἑφθὴ τῆς ὀπτῆς, ἣν ᾖ μείζων, πολὺ κρείττων.

Particulam *ἂν* ferri non posse Dindorfius annotavit; ea unde orta sit, apparebit, si attenderis hoc uno loco *πλεκτὴν* appellari, quæ alibi semper *πλεκτάνη* appelletur et deminutive *πλεκτάνιον*. Scribendum igitur:

πουλύποδος δὲ π λ ε κ τ ά ν ῃ, *εἰ λήψῃ κατὰ καιρόν,*
ἑφθὴ τῆς ὀπτῆς, ἢν ᾖ μείζων, πολὺ κρείττων·
ἢν ὀπταὶ δὲ δύ' ὦσ', ἑφθῇ κλαίειν ἀγορεύω.

Cirrorum *πουλύποδος* iusto tempore captorum eam esse suavitatem homo gulosus prædicat, ut, si unus coctus aut assus comparetur, maiorem præferat, si duos assos habeat, eos malit quam unum coctum. (Aberravit Meinekius.)

P. 6 c (in Clearchi verbis): *Τιθωνοῦ Μελάνθιος ἔοικε βουλεύσασθαι βέλτιον. ὁ μὲν γὰρ ἀθανασίας ἐπιθυμήσας ἐν θαλάμῳ κρέμαται, πάντων ὑπὸ γήρως ἐστερημένος τῶν ἡδέων, Μελάνθιος δὲ κ. τ. λ.* Verum esse nequit *κρέμαται*, quoniam Tithonus in cubiculo non pendebat, sed iacebat lecto aut grabato fultus. Neque tamen ex *κεῖται* oriri potuit *κρέμαται*, sed ex alio verbo minus usitato et senis decrepiti miseram condicionem magis significante. Fortasse Clearchus scripserat χ ρ έ μ π τ ε τ α ι, tussit et spuit. (Editio Aldina habet *κρέμεται*.)

P. 9 e: *ἀλλὰ μὴν οὐδὲ στεφανουμένους οὐδὲ μυρουμένους ποιεῖ* (Homerus), *ὥσπερ οὐδὲ θυμιῶντας, ἀλλὰ πάντων τούτων ἀπολύων τοὺς ἀνθρώπους εἰς εὐτέλειαν καὶ αὐτάρκειαν ἐξαιρεῖται τοὺς πρώτου* (*πρωτοῦ*). Sic codex Parisinus, cuius solius scripturas hic (in epitome) notatas habemus. Videtur effici: ἐ ξ α ί ρ ε ι *καὶ τοὺς* π ρ ώ τ ο υ ς (ipsos principes his virtutibus extollit).

P. 20 c: *τὸν ... ὀρχηστὴν Μέμφιν ἐκάλεσαν ἀπαρχαΐζοντες τὴν διὰ τοῦ σώματος αὐτοῦ κίνησιν τῇ τῶν πόλεων ἀρχαιοτέρᾳ καὶ βασιλικωτέρᾳ κ. τ. λ.* Sententia flagitat *τῇ τῶν πόλεων* ἀ ρ χ α ι ο τ ά τ ῃ *καὶ* β α σ ι λ ι κ ω τ ά τ ῃ, neque ita raro a librariis superlativi et comparativi terminationes commutari notum est; cf. Adv. Crit. I p. 227, 541, 624, 678.

P. 25 c (in Eubuli versibus):
ἀλλ' οὐδὲ μίαν ἄλλην ἑταίραν εἶδέ τις
αὐτῶν κ. τ. λ.

Nihil de feminis ante dictum est, sed de cibis, unde nunc ad novum genus voluptatis transitur. Itaque ἄλλην mendosum est scribendumque *καλήν*.*)

P. 34 e (in Amphidis fragmento):

Οὐκ ἔστιν, ὡς ἔοικε, φάρμακον μέθης
οὐδὲν τοιοῦτον ὡς τὸ προσπεσεῖν ἄφνω
λύπην τιν'. οὕτως ἐξελαύνει γὰρ σφόδρα
λῆρον ὥστε τὰς ῥαφάνους οὕτω δοκεῖν.

Nomen *λῆρον* cum radiculis a poeta coniunctum fuisse eo significatu, quo dicitur de re in comparatione alteri longe cedenti, plures intellexerunt; illud non attenderunt desiderari obiectum verbi, quod est *ἐξελαύνειν*, lusisseque Amphidem in ipso *τοῦ λήρου* nomine et duplici significatu, ut primum dicatur de nugis et cerebri ex vino perturbatione, deinde altero illo modo:

. . . . *οὕτως ἐξελαύνει γὰρ σφόδρα*
τὸν λῆρον, ὥστε τὰς ῥαφάνους λῆρον δοκεῖν.

Non intellecto lusu nomen altero loco omissum a librario est versusque inani tibicine fultus.

P. 49 a. In commemoratione generis cuiusdam mensarum elegantium et pretiosarum Cratini citantur versus duo sic scripti:

Γαυριῶσαι δ' ἀναμένουσιν ὧδ' ἐπηγλαϊσμέναι
μείρακες φαιδραὶ τράπεζαι τρισκελεῖς σφενδάμνιναι.

Etiamsi non per se appareret mensas non potuisse simpliciter ipsas appellari *μείρακας φαιδράς* (virgunculas hilaras), tamen id concursus perversus epithetorum declararet, ne quid dicam de adverbio *ὧδ'* inepte posito. Una littera mutata sententiam et orationem restituet:

*) Inter mirabilia, quae in re critica accidunt, numero neglectam P. 28 f in Alexidis fragmento veram scripturam, quam iam Casaubonus restituerat, *ἐγγράφων*.

Γαυριῶσαι δ' ἀναμένουσιν, ὡς ἐπηγλαϊσμέναι
μείρακες φαιδραί, τράπεζαι τρισκελεῖς σφενδάμνιναι.

Mensæ splendentes cum puellis ornatis et hilaris comparantur.

P. 64 b et c: *Αἱ δὲ βολβῖναι καλούμεναι εὐχυλότεραι μέν εἰσι τῶν βολβῶν, οὐ μὴν οὕτως εὐστόμαχοι, διὰ τὸ γλυκάζον ἔχειν παχύ τι καί γε ἱκανῶς εἰσι διὰ τὴν πολλὴν σκληρότητα καὶ εὐέκκριτοι.* Vitiosum esse *καί γε* Dindorfius annotat. Diligentius intuenti apparet ante *γε ἱκανῶς εἰσι* desiderari adiectivum, cui adiungatur *καὶ εὐέκκριτοι*. Scriptum igitur fuerat: *παχυντικαί γε ἱκανῶς εἰσι διὰ τὴν πολλὴν σκληρότητα* et ante: *διὰ τὸ γλυκάζον ἔχειν τι*. Satis notabile mihi videtur exemplum litterarum unius vocabuli male in plura distractarum.*)

P. 117 b (in fragmento Cratetis ex Samiis comœdia):

Σκυτίνῃ ποτ' ἐν χύτρᾳ τάριχος ἐλεφάντινον
ἧψε ποντιὰς χελώνη πευκίνοισι κύμασι,
καρκίνοι ποδάνεμοί τε καὶ τανύπτεροι λύκοι
κ. τ. λ.

Scribendum *πευκίνοισι καύμασι*, caloribus abiegnis, ligno abietis subiecto ollæ.

P. 125 c. Epigramma ponitur Simonidis, quod is ex tempore protulisse dicitur, cum in convivio æstivo ceteris ad vinum temperandum nix præbita esset, ipse autem præteritus:

Τῇ ῥά ποτ' Οὐλύμποιο περὶ πλευρὰς ἐκάλυψεν
ὠκὺς ἀπὸ Θρῄκης ὀρνύμενος βορέης,
ἀνδρῶν δ' ἀχλαίνων ἔδακε φρένας, αὐτὰρ ἐκάμφθη
ζωὴ Πιερίην γῆν ἐπιεσσαμένη,
ἔν τις ἐμοὶ καὶ τῆς χεέτω μέρος· οὐ γὰρ ἔοικε
θερμὴν βαστάζειν ἀνδρὶ φίλῳ πρόποσιν.

---

*) P. 79 c scr. *ἔχειν* pro *ἔχει*.

Apparet primis quattuor versibus describi et significari nivem ex montibus allatam, ad quam nivis significationem in quinto versu refertur pronomen *τῆς*; neque enim id ullo modo cum eo, quod proxime præcedit, nomine *ζωῇ* coniungi potest. Atque hæc ipsa „vita“, ut nunc verba scribuntur, et perversissime *Πιερίην γῆν* induta dicitur et omnino sententiam pervertit, quam non pertinere ad superiora de frigoris vi molesta continuanda, sed contrarii aliquid continere debere particula *αὐτάρ* ostendit. Sed id nomen, quo ab initio nix significata erat, latet aperte sub litteris *τῇ ῥα*, fuitque, ut iam intelligitur, feminini generis mensuramque habuit trochæi. Dixerat Simonides:

Κῆρά ποτ' Οὐλύμποιο περὶ πλευρὰς ἐκάλυψεν
ὠκὺς ἀπὸ Θρήκης ὀρνύμενος βορέης,
ἀνδρῶν δ' ἀχλαίνων ἔδακε φρένας, αὐτὰρ ἐκάμφθη
ζωῇ Πιερίην γῆν ἐπιεσσαμένη.
ἔν τις ἐμοὶ καὶ τῆς κ. τ. λ.

Nivem poeta tamquam letalem quandam pestem Olympum contexisse dicit omniaque frigore implevisse molesto, deinde tamen terræ Pieriæ amœnæ et tepidæ contactu quasi vitæ quadam participatione mollitam; huius iam iucundæ nivis sibi partem dari vult. Apparet recte habere *ἐκάμφθη*, pro quo Porsonus infeliciter *ἐθάφθη* scribi voluit. Non opus esse credo exemplis confirmari, poetas Græcos eadem significatione dicere *χιόνα καλύπτειν περὶ ὄρος* et *ὄρος καλύπτειν χιόνι.*

P. 132 f (in fragmento Menandri ex Trophonio fabula, ubi coquus exponit peregrinos hospitesque alios aliis escis et piscibus delectari capique):

Ἀρκαδικὸς τοὐναντίον
ἀθάλαττος ἐν τοῖς λοπαδίοις ἁλίσκεται.

Vix patellas minusculas coquus nominavit inter escas, sed ostreas, *λεπάδια* (quamquam deminutivum hoc legi-

[redacted]

ime ex eo, quod est λεπάς, fictum alibi non videtur reperiri).

P. 138 e: Πολέμων δ' ἐν τῷ παρὰ Ξενοφῶντι κανάθρῳ τοῦ παρὰ Λάκωσι καλουμένου δείπνου κοπίδος μνημονεύοντα Κρατῖνον ἐν Πλούτοις λέγειν κ. τ. λ. Non ἐν τῷ κανάθρῳ hoc dixerat Polemo, sed ἐν τῷ περὶ τοῦ παρὰ Ξενοφῶντι κανάθρου, hoc est, in libello de canathro Xenophonteo, quemadmodum III p. 85 f citatur Καλλίας ἐν τῷ περὶ τῆς παρ' Ἀλκαίῳ λεπάδος et X p. 451 d Ἀπολλώνιος ὁ Ῥόδιος ἐν τῷ περὶ Ἀρχιλόχου et alibi Polemo ἐν τοῖς περὶ ἀκροπόλεως et alia similia. Plene dicitur III, 85 e: Ἀριστοφάνης ἐν τῷ περὶ τῆς ἀχνυμένης σκυτάλης συγγράμματι. Oculus librarii aberravit a περί ad παρά. [Sic iam Casaubonus. Longe aliter dicitur ἐν τῇ Ἐρατοσθένους ἐπιδημίᾳ, quæ ipsa inscriptio est in breve contracta.]

P. 141 a (in verbis Nicoclis): ἔστι δὲ τὰ μὲν κάμματα ψαιστά, αἱ δὲ καμματίδες αἷς κάπτουσι τὰ ψαιστά. Foliis laureis non deglutiebant crusta, sed operiebant (σκέπτουσι Hesychius habet v. κάμματα eodem Nicoclis testimonio utens); scribendum igitur αἷς καλύπτουσι τὰ ψαιστά.*)

P. 146 f hæc leguntur: Φιλόξενος δ' ὁ Κυθήριος ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Δείπνῳ, εἴπερ τούτου καὶ ὁ κωμῳδιοποιὸς Πλάτων ἐν τῷ Φάωνι ἐμνήσθη, καὶ μὴ τοῦ Λευκαδίου Φιλοξένου, τοιαύτην ἐκτίθεται παρασκευὴν δείπνου. Cum Philoxeni Cytherii testimonio ex certo libro (ἐν τῷ Δείπνῳ) deprompto nihil omnino coniuncti habet ea, quæ subiicitur, dubitatio, utrum hunc Philoxenum an alterum Plato comicus nominaverit, omninoque hæc fabulæ Platonicæ mentio prorsus inutiliter et perverse interponitur. Illud

*) P. 145 f scr. οὐ δὴ εἰς ἅπαντας pro οὐ ἰδεῖν ἅπαντα.

contra iure Philoxeni testimonium ponenti in mentem veniebat, dubitari posse, utrum liber, ex quo testimonium poneretur, noti illius Cytherii esset an alterius cuiusdam Philoxeni, quoniam huius quoque exstaret memoria conservata etiam in Platonis fabula, atque de ea re lectores admonendi occasio erat. Scripserat Athenæus: *Φιλόξενος δ' ὁ Κυθήριος ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Δείπνῳ, εἴπερ τούτου καὶ μὴ τοῦ Λευκαδίου Φιλοξένου, οὗ καὶ ὁ κωμῳδιοποιὸς Πλάτων ἐν τῷ Φάωνι ἐμνήσθη, τοιαύτην ἐκτίθεται παρασκευὴν δείπνου.* Iam omnia recta sunt et apta. Librarii oculus a priore *καί* (*καὶ μή*) ad alterum (*καὶ ὁ*) aberravit; itaque verba interiecta prætermisit; deinde omisso *οὗ* cetera incommodo loco supplevit aut potius in margine, unde in eum, quem nunc tenent, locum irrepserunt.

P. 175 f. Ponuntur Sophoclis versus ex Thamyra fabula, quibus aperte describitur lætus in convivio instrumentorum musicorum strepitus et vocum sermonumque sonus sublatus et in contrarium mutatus; sed sententiam obscurant et evertunt verba sic scripta:

Οἴχωκε γὰρ κροτητὰ πηκτίδων μέλη,
λύρα μοναύλοις τε χειμωντεως
ναος στέρημα κωμασάσης.

Secundi versus emendationem, quam facilem et manifestam subiicit servatum omnibus litteris aptissimum ad sententiam adverbium *τέως*, video a Nauckio præceptam. Tertii versus emendandi viam non minus certam monstrat participium *κωμασάσης*, quod cum sententia comparatum recta ad id nomen, quod sub litteris *ναος* latet, quærentes deducit, deinde ad reliqua. Totus enim locus sic scribendus est:

Οἴχωκε γὰρ κροτητὰ πηκτίδων μέλη
λύρα μόναυλοί θ', οἷς ἐχαίρομεν τέως,
δαιτὸς τε ῥῆμα κωμασάσης.

Musicorum instrumentorum cantui adiunguntur conivii in protervam comissationem conversi sermones.

P. 215 a: *τοῦτο δὲ ἐπιγνοὺς ὁ Ὀρόβιος, στρατηγὸς Ρωμαίων καὶ φυλάσσων τὴν Δῆλον, φυλάξας ἀσέληνον ύκτα καὶ ἐκβιβάσας τοὺς ἑαυτοῦ στρατιώτας, κοιμωμέοις καὶ μεθύουσιν ἐπιπεσὼν κ. τ. λ. Καί* ante *φυλάσσων*)indorfius et Meinekius omittunt, Schweighäuseri coniecıram sequentes. Atqui sic Deli custos fit Orbius, quem)sa narratio demonstrat navibus insulam ab Atheniensibus ccupatam circumsedisse. Videtur scriptum fuisse *ναυσὶ* ıυλάσσων τὴν Δῆλον.

P. 215 e (ubi disputatur a Platone fictum esse, Socratem. xpeditioni Amphipolitanæ interfuisse): *ἢ ποῦ Θουκυδίδης όν Σωκράτην παρενέχρωσε τὸν Πλάτωνος στρατιώτην;* 'ro *παρενέχρωσε*, quod verbum parum aptum rei videtur,)rtasse scribendum *παρενεχώρισε*, interposuit et locum i tribuit.

P. 236 e. In Eupolidis versibus ex *Κολάκων* fabula arasitus artem suam describens his inter alia verbis utitur:

. . . ἀλλ' ἀκούσαθ' ὡς ἐσμὲν ἅπαντα κομψοὶ
ἄνδρες· ὅτοισι πρῶτα μὲν παῖς ἀκόλουθός ἐστιν
ἀλλότριος τὰ πολλά, μικρὸν δέ τι κἀμὸν αὐτοῦ.

Postrema verba sensu carent. Is orietur rectissimus na mutata littera; scribendum enim:

ἀλλότριος τὰ πολλά, μικρὸν δέ τι κἀμὸς αὐτοῦ.

Raro tamen accidere dicit, ut parasitum suus ipsius equatur servus. Tantum ab universi generis mentione et lurali numero (*ἐσμὲν . . . ὅτοισι*) transit ad suam unius ersonam; itaque sequitur proximo versu

*ἱματίω δέ μοι κ. τ. λ.**)

P. 257 e (in fragmento Antiphanis e *Στρατιώτῃ*):

*) P. 254 f scr. *χάριν γὰρ ἀποδιδόντες* pro *χ. γ. ἀποδιδόντας*.

ἠλείφετο
ἐκ τῆς Συρίας ἥκοντι τοιούτῳ μύρῳ
καρποῦ σύχν' οἷόν φασι τὰς περιστερὰς
τρώγειν.

Si sic scripsisset Antiphanes, columbas dixisset vesci μύρῳ, μύρον autem ipsum mire appellasset μύρον καρποῦ. Sed scripserat:

τοιούτῳ μύρῳ
καρπὸν σύχν' οἷόν φασι τὰς περιστερὰς
τρώγειν,

tali unguento, qualem fructum, hoc est, unguento parato ex eo fructu, quem columbæ comedunt.

P. 268 d et e: ἐγὼ δ' ἐπειδὴ ὥσπερ λαμπάδιον κατασείσαντος τοῦ θαυμασιωτάτου Κρατίνου τὰ προκείμενα ἔπη καὶ ὅσοι μετ' αὐτὸν γενόμενοι μιμησάμενοι ἐπεξειργάσαντο, ἐχρησάμην τῇ τάξει τῶν δραμάτων ὡς ἐδιδάχθη. Manifestum est orationem non cohærere nec coniunctioni ἐπειδή subiici verbum, quoniam hæc καὶ ὅσοι . . . ἐπεξειργάσαντο necessario ad illud κατασείσαντος . . Κρατίνου adiunguntur („cum Cratinus et qui eum secuti sunt effudissent"); præterea vitiose, quod Cratino proprium erat, cum ceteris communicatur. Recta oratio et sententia erit sic conformata: ἐγὼ δ', ἐπειδή, ὥσπερ λαμπάδιον κατασείσαντος τοῦ θαυμασιωτάτου Κρατίνου τὰ προκείμενα ἔπη, καλῶς οἱ μετ' αὐτὸν γενόμενοι μιμησάμενοι ἐπεξειργάσαντο, ἐχρησάμην κ. τ. λ.

P. 277 f (in fragmento ex Epicharmi fabula Sirenibus):

οἴμοι μοι τάλας.
περὶ σᾶμά με καλοῦσα κατίσκα λέγοι, φου τῶν κακῶν.

Sic cod. Laurentianus; nam ante edebatur λέγει. Recte Meinekius hæc verba a superioribus, in quibus describitur magnifica cena ex piscibus animalculisque marinis, separavit alterique personæ dedit nescio qua de causa conquerenti.

sive quod ipsa cenæ non interfuerit, sive quod tantus interitus bonarum rerum factus sit. In litteris *κατίσκα* manifesto latet particula *κά* (vel, si hæc produci nequit, *κἄν*) et substantivum feminini generis querelæ sociam, si adsit aut exaudiat, futuram significans. Una littera mutata efficitur *καρίς* (e crustaceorum genere). Opinor igitur scribendum:

περίσσαμά με καλοῦσα καρίς κα (κἄν) λέγοι,
φεῦ τῶν κακῶν.

Nam *περίσσαμα* unum adiectivum plurali numero pro adverbio positum esse iam Welckerus intellexit (cf. synt. Græc. § 88 a not.).

P. 282 d et e. Epicharmus in fabula, quæ inscribebatur *Μοῦσαι*, ut solebant interdum comœdiarum scriptores in cenarum apparatu ciborumque generibus splendide longa versuum serie commemorandis ludere, pisces raros et pretiosos alicubi appositos enumeraverat, inter quos eum, quem Græci *ἔλοπα* appellabant, qui aliis nominibus *καλλίχθυς* et *καλλιώνυμος* vocabatur. Ex eo fabulæ loco hæc apud Athenæum ponuntur:

Τόν τε πολυτίματον ἔλοπα, ὁ δ' αὐτὸς χαλκὸς ὤνιος,
ἕνα μόνον, καὶ κῆνον ὁ Ζεὺς ἔλαβε κἠκελήσατο
κατθέμεν αὐτῷ τέ οἱ καὶ τᾷ δάμαρτι θωτέρω.

Primum apparet certissimo indicio orationis formæ (*ὁ δ' αὐτός*) in litteris sensu cassis *χαλκὸς ὤνιος* latere alterum piscis nomen scribendumque esse: *ὁ δ' αὐτὸς καλλιώνυμος*, ex quo sequitur apud ipsum Athenæum paulo ante pro *σεσίγηκεν* scribendum esse *οὐ σεσίγηκεν*. Atque id perspicue ipsa sententia requirit et Athenæi consilium; neque enim erat, cur duo altera *ἔλοπος* nomina apud Epicharmum non legi annotaret; contra aptissime additur, ne alterum quidem nomen e pulchritudine piscis ductum apud Epicharmum deesse. Verum his correctis nihilo magis

reliquorum Epicharmi verborum sententia intelligitur. Ea perspicua erit oratione sic distincta et scripta:

Τόν τε πολυτίματον ἔλοπα (ὁ δ᾽ αὐτὸς καλλιώνυμος)
ἕνα μόνον· καὶ κῆνον ὁ Ζεὺς ἔλαβε κήκελήσατο
κατθέμεν αὐτῷ τέ οἱ καὶ τᾷ δάμαρτι θ ώ τ ε ρ ο ν.

Ridicule poeta *ἔλοπα* tantum unum appositum dicit (accusativus enim ex verbo, quod præcedebat, pendet), alterum, cum duo affuissent, Iovem cepisse et sibi Iunonique seponi iussisse; tantum eius piscis pretium esse. Hoc enim verba significant: Et illum (*τὸν ἔλοπα*) . . ., alterum scilicet e duobus.

Fieri potest, ut verba *καὶ κῆνον* significent, idem simileve aliquid in superioribus versibus de alio pisce prædicatum fuisse.

P. 285 f (in fragmento Lyncei): *ὁ δὲ τὴν Ἡδυπάθειαν γράψας παρακελεύεται τῷ μὴ δυναμένῳ τιμῇ κατεργάσασθαι τὴν ἐπιθυμίαν ἀδικίᾳ κτήσασθαι τὴν ὀψοφαγίαν.* Non duæ res significantur, quarum si alteram parare nequeas, altera quærenda sit, sed una (*ἡ ἐπιθυμία*), si fieri potest, pretio, si minus, fraude paranda. Tollendum igitur *τὴν ὀψοφαγίαν*. Rem conficit locus huic geminus p. 295 a.

P. 290 c. In versibus Hegesippi e fabula *Ἀδελφῶν* coquus artem suam extollens inter alia gloriatur, se, cum homines a pompa funebri tristes et cum luctus insignibus redeant, dempto ollæ operculo subito vultus eorum exhilarare:

ὅταν ἐν περιδείπνῳ τυγχάνω διακονῶν,
ἐπὰν τάχιστ᾽ ἔλθωσιν ἐκ τῆς ἐκφορᾶς
τὰ βάπτ᾽ ἔχοντες, τοὐπίθημα τῆς χύτρας
ἀφελὼν ἐποίησα τοὺς δακρύοντας γελᾶν.

Qui a funere redeunt, non *βάπτα* gestant, h. e. vestem splendidam et floridam, sed atri et *μελανείμονες* sunt.

Itaque valde suspicor Hegesippum scripsisse *τὰ φαιʼ ἔχοντες*, nigram et squalidam vestem.

P. 300 c (in fragmento Antiphanis ex Thamyra):

Θρήκης κατάρδων ποταμὸς ὠνομασμένος
Στρυμὼν κ. τ. λ.

Scribendum: *Θρῇκας κατάρδων*. (Meinekius *Θρήκην*, quod non facile corruptum fuisset.)

P. 307 e. *Εὔφρων Αἰσχρᾷ·*

Μίδας δὲ κεστρεύς ἐστι· νῆστις περιπατεῖ.

Scribendum manifesto:

Μίδας δὲ κεστρεὺς ὥστε νῆστις περιπατεῖ,

quemadmodum in Amipsiæ fragmento proxime præcedenti scribitur *νῆστις καθάπερ κεστρεύς*. Testimonia colliguntur, in quibus *κεστρεῖς νήστιδες* duplici nomine appellantur tamquam singularis species *τῶν κεστρέων*.*)

P. 314 e (in fragmento Archestrati):

ἔστι δὲ κεδνὸς
κἀν πορθμῷ πρὸς ἄκραισι Πελωριάδος προχοαῖσι.

Promuntorium non habet *προχοάς*, quæ fluviorum sunt ora, sed *προβολάς*, rupes et scopulos longe procurrentes. Itaque scribendum *προβολαῖσι*.

P. 318 d (in Posidippi epigrammate in Venerem):

ἡ δὲ καὶ εὐπλοΐην δώσει καὶ χείματι μέσσῳ
τὸ πλατὺ λισσομένοις ἐκλιπανεῖ πέλαγος.

Frustra *ἐκλιπαίνειν*, quod unam habet pingue faciendi significationem, traductum putatur et de mari sternendo dictum. Scripserat Posidippus *ἐκλεανεῖ*, levigabit.**)

---

*) P. 309 b scribendum videtur *οὐκ ἐν τῷ στόματι, ἀλλʼ ὑπὸ τὸ στόμα* (pro *οὐχ ὑπὸ τ. σ.*).

**) P. 330 c scribendum videtur *ποίησαι* pro *ποιήσασθαι*, ut *ἔασον ἡμᾶς* absolute dicatur: nobis omissis cura corpusculum.

P. 334 b (in Phylarchi narratione de rege Antiocho, qui, cum ei Patroclus Ptolemæi dux simul pisces et ficus dono misisset, scite declarasset, quid hoc munere obscure Patroclus significaret): *ἔφη γινώσκειν τί βούλεται τὰ ξένια· ἢ γὰρ θαλαττοκρατεῖν ἡμᾶς φησι Πάτροκλος ἢ τῶν σύκων τρώγειν.* Non alterumutrum nunc fieri Patroclus significaverat, sed utrumque sic coniunctum esse, ut, si rei altero frui vellet, alterum comparare deberet: *ἢ γὰρ θαλαττοκρατεῖν* δεῖν *ἡμᾶς φησι Πάτροκλος ἢ μὴ τῶν σύκων τρώγειν.**)

P. 344 e. Plato comicus in fabula aliqua Myniscum tragœdum irriserat parasitumque designaverat his verbis:

Οὐδὲ μὲν Ἀναγυράσιος ὀρφώς ἐστί σοι.
θ᾽ οὔθ᾽ ὡς φίλος Μυνίσκος ἐσθ᾽ ὁ Χαλκιδεύς.
B. καλῶς λέγεις.

Pro litteris corruptis *θ᾽ οὔθ᾽ ὡς* alter versus sic scribendus est leni mutatione:

Τούτῳ φίλος Μυνίσκος ἐσθ᾽ ὁ Χαλκιδεύς.

Nominato homine divite et luxurioso huic Myniscum amicum esse addit; id recte habere et se, quo id pertineat, intelligere altera persona subiicit (*καλῶς λέγεις*).

P. 345 d: *λαβὼν ὅλον (τὸν ἰχθὺν) ὁ Ζήνων ἀπὸ τοῦ πίνακος οἷος ἦν κατεσθίειν.* Apud Diog. Laert. (VII, 19) eandem rem narrantem scribitur *οἷός τ᾽ ἦν κατεσθίειν.* Atqui non agitur, quantam edendi facultatem Zeno habuerit, sed quid fecerit aut saltem facere cœperit. Scribendum arbitror apud Athenæum: *λαβὼν ὅλον ὁ Ζήνων ἀπὸ τοῦ πίνακος, οἷος ἦν,* κατήσθιεν („qualis quantusque erat,

*) P. 335 e scr. *ἀδιανοητότερον εἶναι ἢ κατὰ τὴν προσηγορίαν τοῦ πατρὸς κ. τ. λ.*

›medebat“), apud Diogenem: *ἄρας, οἷος ἦν, κατή-θιεν.**)

P. 402 b. Ut demonstretur in Italia Siciliaque aprum ›pellari *ἀσχέδωρον*, ponuntur versus duo Sceleriæ poetæ arentini, qui *φλύακας* scripserat:

Ἔνθ' οὔτε ποιμὴν ἀξιοῖ νέμειν βοτὰ
οὔτ' ἀσχέδωρος νεμόμενος καπρώζεται.

Atque hanc scripturam in verbo, quod est *καπρώζεται*, ›nfirmat Eustathius (ad Od. XIX, 439) auctoritate Athenæi tens, in quo tamen ipso vocabulo certissimum tenetur ıendum. Nam neque *καπρώζεσθαι* pro eo, quod est *καπρᾶν*, ıt alibi reperitur aut ulla analogia defenditur, neque loci ›rbarumque insalubritas (— eam enim a poeta significatam ›se manifestissimum est ex verbis: *Ἔνθ' οὔτε ποιμὴν ξιοῖ νέμειν βοτὰ* —) ex eo ostenditur, quod aper ibi non ,scivit, quod potius salubris pastionis indicium est. Dicen-ım erat, ne aprum quidem in illo loco impune et sine aude pasci, idque poeta dixit verbo in hoc sententiæ ›nere usitato et litterarum ductibus simillimo:

Ἔνθ' οὔτε ποιμὴν ἀξιοῖ νέμειν βοτὰ
οὔτ' ἀσχέδωρος νεμόμενος κατ απ ροίξεται.

en feret impune, si pastus fuerit. Solet enim in hoc ›rbo futurum tempus quasi in comminatione poni.

P. 405 a (in fragmento ex Dionysii *Θεσμοφόρῳ*, ubi ›quus suam artem cum imperatoria comparat):

στρατηγὸς πᾶς καλεῖθ' ὃς ἂν λάβῃ
δύναμιν, ὁ μέντοι δυνάμενος κἂν πράγμασιν
ἀναστραφῆναι καὶ διαβλέψαι τί που

---

*) P. 352 e post verba *ζῆν γὰρ τὴν πορφύραν ἔτη ἕξ* exciderunt huiusmodi quædam: *τὸν δὲ κήρυκα* —; deinde videtur scribendum *πόθεν* <*δ' ἦν*> *αὐτῷ εἰδέναι;* P. 388 c scr. *εἰ μὴ περιπατήσει τόπον τινὰ ἐξευρὼν ἑαυτῷ ἐπιτήδειον* (ambulatione; pro *περιπατήσῃ*).

στρατηγός ἐστιν, ἡγεμὼν δὲ θάτερον.
οὕτως ἐφ' ἡμῖν σκευάσαι μὲν ἢ τεμεῖν
κ. τ. λ.

Oratio sic integranda:

ὡς γάρ στρατηγὸς πᾶς καλεῖθ' ὃς ἂν λάβῃ
δύναμιν, ὁ μέντοι δυνάμενος κἂν πράγμασιν
ἀναστραφῆναι καὶ διαβλέψαι, τί; ποῦ;
στρατηγός ἐστιν, ἡγεμὼν δὲ θάτερος,
οὕτως ἐφ' ἡμῖν κ. τ. λ.

Imperatorem vulgo quidem appellari, quicumque ex
citui præficiatur, dicit; vere hoc nomen tantum ei deb
qui sciat in rebus gerendis dispicere, quid agendum sit
quo loco. Θάτερος Meinekio debetur.

Ibid. c. In loco ex eadem fabula deprompto coq
de arte sua magnifice disserens discipulum sic admonet

μὴ πάντ' ἄκουε μηδὲ πάντα μάνθανε
τῶν βιαίων ἔσθ' ἕνεκα τὰ γεγραμμένα
κενὰ μᾶλλον ἢ ὅτε ἦν οὐδέπω γεγραμμένα.

Postremus versus in solo codice A servatus sente
et orationi prorsus necessarius est, causaque, cur in ce
codicibus exciderit, manifesta, quod duo versus apte e
industria eodem vocabulo terminabantur. Sed τὰ βι
nihil hic loci habent, et aperte desideratur aliquid, quod
quæ de scriptis subiiciuntur, cum superioribus coniun
in quibus nulla est præceptorum litteris traditorum si
ficatio. Quod desideratur, facillime eruitur; scripserat e
Dionysius:

μὴ πάντ' ἄκουε μηδὲ πάντα μάνθανε
τῶν βιβλίων· ἔστ' ἐνίοτε τὰ γεγραμμένα
κενὰ μᾶλλον ἢ ὅτ' ἦν οὐδέπω γεγραμμένα.

P. 414 e (in Posidippi epigrammate):

ἦλθε δ᾽ ἀμαυρὰ
βλέψας ἐκ πελίων νωδὸς ἐπισκυνίων,
ο τριχι διφθερίας, μονολήκυθος.

Pro ο τριχι διφθερίας Meinekius scripsit ὁ τριχιδιθερίας, articulo non recte in hoc uno adiectivo addito. :ribendum sine dubio ἀτριχοδιφθερίας, pelle in-ıtus, cui villi detriti sint. Eodem modo formatum ἀτρι-οσαρκος.

Ibid. f (in verbis Amaranti de Herodoro tubicine): σήμαινε δὲ σαλπίζων μέγιστον. Ἄργος γοῦν κ. τ. λ. 'ubicinem, qualis hic describatur, signa dedisse magno ıbæ clangore, nihil habet miri aut novi, atque omnino ɪήμαινε σαλπίζων tautologiam habet; gravius aliquid ræterea requirit, quod subiicitur exemplum, quid tuba fecerit. Opinor scriptum fuisse: ἐξέμαινε δὲ σαλπίζων ἔγιστον: quoties clangorem tubæ intenderat, homines in ırorem coniiciebat.

P. 426 e: περὶ δὲ ταύτης τῆς κράσεως Ἴων ὁ ποιητὴς ν τῷ περὶ Χίου φησὶν ὅτι εὑρὼν ὁ μάντις Παλαμήδης ιαντεύσατο πλοῦν ἔσεσθαι τοῖς Ἕλλησι πίνουσι τρεῖς ρὸς ἕνα κυάθους. Vitiosum esse εὑρών apparet et con-entitur. Opinor scriptum fuisse εἰρωνόμαντις, ut 'alamedes lusisse vaticinando dicatur, navigandi facultatem um potandi lege coniungens. *)

P. 441 f (in fragmento Platonis e Phaone):

τἄλλα δὲ
ἤδη ταῦτ᾽ εὐτελέστατ᾽. ἄκουε δή.

Præter metri vitia in ταῦτ᾽ et εὐτελέστατ᾽ ἄκουε, uæ editores animadverterunt, manifesto pravus est super-

*) P. 438 e scr. εἰς τοὺς Ἰακοὺς κάμους καὶ μέθας (pro Ἰνδικούς, coll. p. 440 b).

lativus; neque enim qui iactanter superiora enumeravit, ea, ad quæ nunc transit, vilissima videri vult, sed modeste scilicet paulo superioribus minus sumptuosa. Scribendum videtur:

τἄλλα δὲ
ἤδη τά τ' εὐτελέστερ' ἅττ', ἄκουε δή.

Quæ sint, iam audi. Comparativi et superlativi permutationem, quam attigi supra ad p. 20 c, adiuvit hoc loco pronomen ἅττ' non intellectum et cum priore voce conflatum.

P. 443 a: *Κλεομένης ὁ τύραννος ὁ καὶ τὰς μαστροπούς τὰς εἰθισμένας προαγωγεύειν τὰς ἐλευθέρας γυναῖκας, τρεῖς ἢ τέτταρας τὰς ἐπιφανεστάτας πορευομένας ἐνδήσας εἰς σάκκους καταποντίσαι τισὶ προστάξας.* Ferri poterat nude positum τὰς ἐπιφανεστάτας, coniunctum cum πορευομένας ferri nequit, ac ne hoc ipsum quidem πορεύεσθαι recte de lenis absolute dici videtur. Scribendum sine dubio: τὰς ἐπιφανέστατα εἰσπορευομένας, hoc est, quæ apertissime domos matronarum intrabant.

P. 447 d: *Τῷ δ' ἡμετέρῳ χορῷ οἶνος φίλος ὢν θυρσοφόροις μέγα πρεσβεύων Διόνυσος, φησὶν Ἴων ὁ Χῖος ἐν τοῖς ἐλεγείοις, κ. τ. λ.* Neque participium ὢν ferri potest neque recte ad nomen οἶνος appositione adiungitur Διόνυσος. Scribendum: οἶνος φίλος χὠ ἐν θυρσοφόροις μέγα πρεσβεύων Διόνυσος, φησὶν Ἴων ὁ Χῖος ἐν τοῖς ἐλεγείοις.

P. 448 b tollenda sunt verba ἀλλ' ἡμεῖς ζητήσωμεν prave addita a librario aliquo, qui non intellexisset inter se contraria referri Calliæ de griphis disputandi viam, quam post Diotimum ingredi supervacaneum sit, et eam, quam secuturi δειπνοσοφισταί sint comicorum de griphis locos colligentes.*)

---

*) P. 451 b scr. τούτου τοῦ λόγου (pro τοῦτον) et deinde εὐδοκιμούσῃ pro εὐδοκιμοῦσαι.

P. 463 d (in fragmento Alexidis ex Tarentinis):

ἆρά γ' οἶσθ' ὅτι
τὸ καλούμενον ζῆν τοῦτο διατριβῆς χάριν
ὄνομ' ἐστὶν ὑποκόρισμα τῆς ἀνθρωπίνης
μοίρας;

rave concurrunt *ὄνομα* et *ὑποκόρισμα*. Scribendum:

τὸ καλούμενον ζῆν τοῦτο διατριβῆς χάριν
μόνον ἐστὶν ὑποκόρισμα τῆς ἀνθρωπίνης
μοίρας.

P. 464 a (in fragmento Anaxandridis ex fabula *Ἀγροίκοις*):

Τίνα δὴ παρεσκευασμένοι
πίνειν τρόπον νῦν ἐστε; λέγετε. τίνα τρόπον;
ἡμεῖς τοιοῦτον οἷον ἂν καὶ σοὶ δοκῇ.

Alterius personæ notam Meinekius non recte ante *μεῖς* posuit, verba *τίνα τρόπον* superioribus coniungens, uo efficitur admodum inanis repetitio. Scribendum:

λέγετ'. Β. ὅντινα τρόπον;
ἡμεῖς τοιοῦτον οἷον ἂν καὶ σοὶ δοκῇ.

'ota est forma interrogationis, cui respondetur, iterandæ, aius exempla ex Aristophane et Platone lexica habent.*)

P. 465 b. Euripides, inquit Athenæus, *ἕνα τῶν τοῦ Ἡλίου ἵππων φησὶν εἶναι*

Βακχίου φιλανθέος
Αἴθοπα, πεπαίνοντ' ὀρχάτους ὀπωρινούς·
ἐξ οὗ βροτοὶ καλοῦσιν οἶνον αἴθοπα.

Corruptum esse *φιλανθέος* manifestum est neque enetivum *Βακχίου* habere, unde pendeat. Scripserat uripides:

Βακχίου φίλου θεοῦ
Αἴθοπα κ. τ. λ.

---

*) Ibid. c ex *τὸ πινόμενον* potius faciendum *τὸ πνεόμενον* (quod efflatur) quam cum Meinekio *τὸ γινόμενον*.

P. 466 a. In fragmento ex Thebaide cyclica deprompto Oedipus dicitur diras filiis imprecatus esse vaticinatusque:

ὡς οὔ οἱ πατρῴαν εἴη φιλότητι
δάσσαιντ', ἀμφοτέροισι δ' ἔοι πόλεμοί τε μάχαι τε.

Primum subesse *πατρῴϊ'* (vel potius cum Meinekio *τὰ πατρῴϊ'*) recte intellectum est; sed quod Hermanno auctore nunc editur *ἐνηείῃ φιλότητος*, neque apte coniungitur *ἐνηείῃ φιλότητος* (est enim prorsus idem atque *φιλότητι*) et audacter ex *φιλότητι* fit *φιλότητος*. Scribendum erat:

ὡς οὔ οἱ τὰ πατρῴϊ' ἐν ἠ ε ί ῃ φιλότητι,

grata caritate, cum bona gratia. Tenemus enim hic adiectivi, quod est *ἠΰς*, formam femininam, cuius etiam alibi vestigia obscura sunt.*)

P. 478 a: *Νικόμαχος δ' ἐν πρώτῳ περὶ ἑορτῶν Αἰγυπτίων φησί· Τὸ δὲ κόνδυ ἐστὶ μὲν Περσικόν, τὴν δὲ ἀρχὴν ἦν Ἕρμιππος ἀστρολογικὸς ὡς ὁ κόσμος ἐξ οὗ τῶν θεῶν τὰ θαύματα καὶ τὰ καρπώσιμα γίνεσθαι ἐπὶ γῆς· διὸ ἐκ τούτου σπένδεσθαι.* Etsi verba ad religiones et opiniones Ægyptiacas pertinentia fœdissime a librariis confusa plane restituere nequeo, tantum tamen video, non nescio quem Hermippum a Nicomacho nominatum esse, sed expositum, id nomen, quod nunc de poculo usurpetur, initio ad rem aliquam cælestem cum Mercurio (Herma) coniunctam pertinuisse. Itaque ex *Ἕρμιππος* faciendum est *Ἑ ρ μ ο ῦ* et substantivi nominativus, ut opinor, aut *ο ἶ κ ο ς* aut potius *ἰ π ν ό ς*, totus autem locus ad hanc fere formam scribendus: *τὴν δὲ ἀρχὴν ἦ ν Ἑ ρ μ ο ῦ ἰ π ν ὸ ς ἀστρολογικὸς σ ω σ ί κ ο σ μ ο ς, ἐξ οὗ ὑ π ὸ τῶν θεῶν τὰ θαύματα καὶ τὰ καρπώσιμα γίνεσθαι ἐπὶ γῆς.*

*) P. 783 d (Dind. p. 1040) scr.: *καλεῖται μὲν οὕτω κόσις τις, ἢ* (vulgo *ἦν*) *ἐστιν ἀπνευστὶ πίνειν μὴ μύσαντα,* quæ constat in eo, ut cet.

[redacted]

o *θαύματα* aliud quærendum est propius cum frugiferis iiunctum (*τὰ ἰάματα?*). *)

P. 510 b: *ἀλλ' ἐπεὶ πάνυ λιπαρῶς ἡμᾶς ἀπαιτεῖς καὶ ν περὶ τῶν ἐπὶ τρυφῇ διαβοήτων γενομένων λόγον ὶ τῆς τούτων ἡδυπαθείας.* Ante prius *καί* excidit *ιοδώσω*, oculo, ut videtur, librarii aberrante in duabus cibus ab litteris *ἀπ* incipientibus. **)

P. 519 e (ubi agitur de causis, quæ Sybaritarum luxuriam xerint): *Δοκεῖ δὲ μετὰ τῆς εὐδαιμονίας αὐτῶν εἶναι τε τῆς χώρας, ἀλιμένου τῆς θαλάσσης παρηκούσης ὶ τῶν καρπῶν σχεδὸν ἁπάντων ὑπὸ τῶν πολιτῶν ταναλισκομένων, ὅ τε τῆς πόλεως τόπος, καὶ ὁ παρὰ ῦ θεοῦ χρησμὸς συμπαροξῦναι πάντας ἐκτρυφῆσαι τ. λ.* Nihil opus est exponere, quam non hæc oratio hæreat, nam neque *μετὰ τῆς εὐδαιμονίας εἶναι* quid , intelligitur, neque ad genetivum *τῆς χώρας* ullo modo ;essi ex inferioribus potest *τόπος*, ne alia commemorem. ribendum: *Δοκεῖ δὲ μεταίτιον τῆς εὐδαιμονίας τῶν εἶναι τό τε τῆς χώρας ἀλίμενον, τῆς θαλάσσης ιρηκούσης καὶ τῶν καρπῶν σχεδὸν ἁπάντων ὑπὸ τῶν ιλιτῶν καταναλισκομένων, ὅ τε τῆς πόλεως τόπος, καὶ παρὰ τοῦ θεοῦ χρησμὸς συμπαροξῦναι πάντας ἐκτρυ-σαι κ. τ. λ.* Relinquitur aliqua dubitatio in participio ιρηκούσης.

---

*) Ibid. f scr.: *ὅμοιον ὄντα τῷ προειρημένῳ* (pro *τῶν προειρημένων*). P. 493 d scr.: *Νῦν τὸ μὲν ἐπιτιμώμενόν ἐστι τῷ ποιητῇ ὅτι τοὺς μὲν λοιποὺς εἶπε* (vulgo *ἔστι*) *μογέοντας ἀείρειν τὸ δέπας, τὸν δὲ Νέστορα μόνον ἀμογητί.* P. 506 f scr.: *τοῦτο δ' εἴπερ οὕτως ἀληθείᾳ* (pro *ἀληθείας*) *ἔχει, θεὸς ἂν εἰδείη.* P. 507 d scr.: *δδκῶ οὖν σε, ὦ Πλάτων, πολλὰ κατὰ τῆς ἐμῆς ψεύσεσθαι* (pro *ψεύδεσθαι*. Cod. Par. *ψεύσασθαι*) *κεφαλῆς.*

**) P. 514 e scr. *ἀπέλαυεν* pro *ἀπολαύειν*.

P. 524 c (in verbis Clearchi): *τοῦτο δὲ δῆλον ἐκ τῆς ἔτι καὶ νῦν ὑπολειπούσης περὶ τοὺς ἡγεμόνας αὐτῶν ἐσθῆτός τε καὶ διαίτης.* Quoniam neque ipse ὑπολείπειν pro ὑπολείπεσθαι positum legi neque ab aliis annotatum video, cogor putare scriptum olim fuisse *τῆς ἔτι καὶ νῦν ὑπολοίπου οὔσης.* (Genus mendi prorsus idem est, quod in Demosthenis orat. 47, 20 sustuli.)

P. 536 e (in verbis Phylarchi de Ptolemæo Philadelpho): *κατεῖδε διά τινων ὑπολαμπάδων τοὺς Αἰγυπτίους παρὰ τὸν ποταμὸν ἀριστοποιουμένους κ. τ. λ.* Recte Meinekius ὑπὸ λαμπάδων scribi voluit; quid lateret in litteris διά τινων, non inveniebat. Latet sine dubio *διά τινων ὀπῶν* aut *διὰ τῶν ὀπῶν*, per fenestras, quæ in cubiculi pariete erant.

P. 545 a: *Ἀριστόξενος δ' ὁ μουσικὸς ἐν τῷ Ἀρχύτα βίῳ ἀφίησι παρὰ Διονυσίου τοῦ νεωτέρου πρεσβευτὰς πρὸς τὴν Ταραντίνων πόλιν κ. τ. λ.* Pro ἀφίησι scribendum esse *ἀφικέσθαι φησί* tam manifestum est, ut tantum singularem librarii errorem a priore littera φ ad alteram oculum transferentis annotandum putem. [Sic iam Casaubonus Quam longe ab simplici rei aliquando factæ indicio distent loquendi figuræ, quas Hemsterhusius ad Thom. Mag. v. *γεννᾷ* collegit, exponere supersedeo.] *)

P. 558 d (in fragmento Anaxilæ ex fabula *Νεοττίδι*): *εἶτα τετράπους μοι γένοιτο, φησί, τὴν πρὸς ᾗ θρόνος, εἶτα δὴ τρίπους τις, εἶτα, φησί, παιδίσκη δίπους.*

In priore versu scribendum: *φησί, δίφρος ἢ θρόνος.* (In Meinekii coniectura neque coniunctivus ferri potest et tota sententia relativa inepta est.)

P. 573 a (in verbis Clearchi): *ἔχωσε μὲν Λυδίας τὸ νῦν ἔτι καλούμενον τῆς ἑταίρας μνῆμα κ. τ. λ.* Neque

---

*) P. 549 f in verbis Ptolemæi Septimi restituendum *ἱερασαμένους* pro *ἱερευσαμένους.*

genetivus neque *μέν* particula ferri potest; scribendum: *ἔχωσεν ἐν Λυδίᾳ τὸ νῦν ἔτι καλούμενον τῆς ἑταίρας μνῆμα.*

P. 578 a: *Πτολεμαῖος . . . βασιλέων ἐρωμένας ἀναγράφων φησὶ Φιλίππου τοῦ Μακεδόνος αὐξήσαντος Φίλινναν τὴν ὀρχηστρίδα . . . ., Δημητρίου δὲ τοῦ Πολιορκητοῦ μετὰ τὰς προειρημένας Μανίαν, Ἀντιγόνου δὲ Δημώ, κ. τ. λ.* Prorsus pravum est *αὐξήσαντος* absolute positum; una littera mutata verum efficitur: *Φιλίππου τοῦ Μακεδόνας αὐξήσαντος*, Philippi imperii Macedonum conditoris. Nihilo rectius est *φησὶ Φιλίππου . . . Φίλινναν* non addito infinitivo. In Laurentiano scribitur: *ἐρωμένας γράφει. φιλίππου φησὶ τοῦ κ. τ. λ.* Scribendum igitur: *Πτολεμαῖος . . . βασιλέων ἐρωμένας γράφει, Φιλίππου τοῦ Μακεδόνας αὐξήσαντος Φίλινναν κ. τ. λ.*

P. 580 d et e (in versibus Machonis):

Στρατοκλῆς δ' ἐρίφους προΐκ' ἐδίδου τοῖς γνωρίμοις
λοπάδας συνάλμους τ', εὖ συναρτύειν δοκῶν,
καὶ δίψαν ὑπολειπόμενοι εἰς τὴν αὔριον
τοῖς ἐπισυνάπτειν βουλομένοις τὸν ἑωθινόν,
μακρὰς δὲ πράττειν εἰς τὰ λοιπὰ ξυμβολάς.

Manifesta vitia sunt in *ὑπολειπόμενοι* et in infinitivo *πράττειν*. Recta erunt omnia sic scripta:

καὶ δίψαν ὑπολειπόμενος εἰς τὴν αὔριον
κ. τ. λ.

et deinde:

μακρὰς δ' ἔπραττεν εἰς τὰ λοιπὰ ξυμβολάς.

Salsamentis datis sitim parabat, si qui potum instaurare vellent.

P. 584 a (in verbis Glyceræ meretricis): *Τὴν αὐτήν, ἔφη, ἔχομεν αἰτίαν, ὦ Στίλπων. σέ τε γὰρ λέγουσι διαφθείρειν τοὺς ἐντυγχάνοντάς σοι, ἀνωφελῆ καὶ ἐρωτικὰ σοφίσματα διδάσκοντα, ἐμέ τε ὡσαύτως.* Nihil sane amatorii

erat in Stilponis Megarensis sophismatis. Restituto καὶ ἐριστικά ipsum philosophorum τῶν ἐριστικῶν nomen in memoriam redit.

Ibid. d: τῶν δὲ πινόντων παρ' αὐτῇ βαλλομένων εἰς βολβοφακῆν κ. τ. λ. Quid sit convivas βάλλεσθαι εἰς βολβοφακῆν, prorsus non intelligo credoque eos symbolas ita contulisse ad βολβοφακῆν parandam, ut ipsi lentes darent, quod ostendunt, quæ subiiciuntur de ancilla lentes surripiente; id est autem συμβάλλεσθαι εἰς βολβοφακῆν.

P. 591 c: Ἡρόδικος δ' ἐν ἕκτῳ τῶν Κωμῳδουμένων τὴν μὲν παρὰ τοῖς ῥήτορσί φησιν ὀνομαζομένην (Φρύνην) Σηστὸν καλεῖσθαι διὰ τὸ ἀποσήθειν καὶ ἀποδύειν τοὺς συνόντας αὐτῇ, τὴν δὲ Θεσπικήν. Meretrix, quæ ἀπεσήθει et exuebat amatores, sine dubio non Σηστός appellabatur neque, quod video apud Papium ex hoc loco afferri, Σηστή, quasi ipsa cribro purgata, sed Σῆστρον, cribrum, cuius instrumenti officio fungebatur. Vox apud Hesychium annotatur.

P. 594 f sq. (in fragmento Dicæarchi): τοῦτο δὲ (τὸ μνῆμα) τὸ μὲν πρῶτον, ὅπερ εἰκός, ἢ Μιλτιάδου φήσει σαφῶς ἢ Περικλέους ἢ Κίμωνος ἤ τινος ἑτέρου τῶν ἀγαθῶν ἀνδρῶν εἶναι, μάλιστα μὲν ὑπὸ τῆς πόλεως δημοσίᾳ κατεσκευασμένον, εἰ δὲ μή, δεδογμένον κατασκευάσασθαι. Prorsus perverse, quoniam agitur de sepulcro vere exstante, monumento publice ædificato contrarium ponitur monumentum ædificari decretum, ne quid dicam de infinitivo medio κατασκευάσασθαι. Scribendum opinor: εἰ δὲ μή, διατεθειμένον κατασκευάσασθαι, hoc est, quod quis testamento sibi erigere heredes iussit.

P. 610 a (in Theophrasti fragmento, ubi dixit apud Tenedios et Lesbios pulchritudinis, τοῦ κάλλους, certamen et præmium esse): ταύτην δὲ τύχης ἢ φύσεως εἶναι, τιμὴν δὲ δέον προκεῖσθαι σωφροσύνης. Apparet in hac inter-

punctione verborum nomen τιμήν prorsus prave a superioribus divelli et pondus orationis, quod esse debet in rebus contrarie inter se relatis, in id incidere. Pro δὲ δέον aliae editiones habent tantum δέον. Scribendum: ταύτην δὲ τύχης ἢ φύσεως εἶναι τιμήν, δεῖν δὲ προσκεῖσθαι σωφροσύνης. (In iis, quae subiunguntur, pro ἔσχεν scribendum ἔχειν, fortasse etiam ἐπ' ἀκολασίᾳ.)*)

P. 651 f (in fragmento Melanippidae ex Danaidibus, quod Meinekius recte versibus descripsit): περὶ αὐτῶν τῶν Δαναΐδων·

οὐ γὰρ ἀνθρώπων φόρευν μορφᾶεν εἶδος·
οὐδὲ τὰν αὐτὰν γυναικείαν ἔχον·
ἀλλ' ἐν ἁρμάτεσσι διφρούχοις ἐγυμνάζοντ' ἂν'
εὔδι' ἄλσεα
πολλάκις θήραις φρένα τερπόμεναι
κ. τ. λ.

Corrupta esse verba τὰν αὐτὰν γυναικείαν manifestum est nec obscurum esse potest sub litteris τὰν αὐτάν latere substantivum, quod cum adiectivo γυναικείαν coniunctum e contrario respondeat ei, quod praecedit, ἀνθρώπων μορφᾶεν εἶδος. Scripserat Melanippides:

οὐδὲ δίαιταν γυναικείαν ἔχον.

Nec speciem humanam nec vitae formam muliebrem habebant. Deinde quod Meinekius pro ἄνευη λιασδέα scripsit ἀν' εὔδι' ἄλσεα, certum est ἀν' — ἄλσεα, in quod ipse nondum inspecto Meinekii exemplo incideram, sed pro εὔδι' scribendum aut potius retinendum erat εὐήλι' (ἀν' εὐήλι' ἄλσεα). [In δίαιταν inciderant iam Dobreus et Bergkius, addito tamen articulo.]

P. 654 f (in fragmento Alexidis ex Lampade fabula):

---

*) P. 625 b et c scr.: τὰ δὲ τῶν νῦν Ἰώνων ἤθη τρυφερώτερα καὶ πολὺ παραλλάττοντα τὸ τῆς ἁρμονίας ἦθος (pro παραλλάττον).

Καταφαγεῖν
αὐτὸς τοσοῦτ' ἀργύριον. οὐδ' εἰ γάλα λαγοῦ
εἶχον μὰ τὴν γῆν καὶ ταώς, κατήσθιον.

Sic nunc editur; in codicibus *εἶχον λαγοῦ* scribitur. Apparet perverse et incredibiliter sententiam et orationem discerpi infinitivo *καταφαγεῖν* a ceteris diiuncto; integræ enim saltem ad grammaticam formam sententiæ poetarum ab Athenæo ponuntur. Et adesse videtur, quod cum *καταφαγεῖν* coniunctum sententiam optime expleat, *εἶχον*: Non poteram ipse tantam pecuniam comedere, etiamsi cet., sed prave nunc sic positum, ut in sententiam condicionalem necessario includatur (*εἰ γάλα λαγοῦ εἶχον*), quamquam hæc quoque sententia mirifica interpunctione evertitur; quis enim non videt *ταώς*, quod perridicule cum *τὴν γῆν* in iurando coniungitur, coniungendum esse cum *γάλα λαγοῦ*, ut luxuria significetur potus pæne incredibilis et cibi rarissimi et pretiosissimi mentione? Et tamen *γάλα λαγοῦ* vix a verbo *κατήσθιον* pendere potest, quoniam lac non editur, sed potatur. Valde suspicor omnes loci turbas inde ortas esse, quod in locum verbi proprii ad *γάλα* accommodati verbum *εἶχον* propter similitudinem litterarum irrepserit e suo loco translatum, totumque fragmentum sic esse scribendum:

Καταφαγεῖν
αὐτὸς τοσοῦτ' ἀργύριον οὐδ' εἰ γάλα λαγοῦ
εἷλκον μὰ τὴν γῆν καὶ ταὼς κατήσθιον,
εἶχον (*εἶχον ἄν? ἂν εἶχον?*).

Verbum *ἕλκειν* notum est dici de avido haustu. Hæc igitur efficitur sententia: Comedere tantam pecuniam ipse et solus, ne si lac leporis quidem haurirem, per tellurem, et pavones devorarem, possem.

P. 672 f (de pœna dicis causa Prometheo soluto a Iove imposita): *καὶ τίσιν ἑκούσιον ἐν ἀλυπίᾳ κειμένην δοῦναι θελήσαντος, ταύτην ἔχειν ἐπιτάξαι τὸν καθηγούμενον*

τῶν θεῶν. Impudenter Prometheus a Iove precatus esset, ut voluntaria pœna, cui se ipse offerebat, sine ulla molestia esset. Omitto prorsus barbare τίσιν ἐν ἀλυπίᾳ κειμένην dici pro eo, quod est ἄλυπον. Prometheo humiliter se pœnæ veræ offerenti clementer Iuppiter pepercisse narrabatur imaginem pœnæ secutus, ut coronam nexam pro catena esse iuberet, quemadmodum ex iis, quæ de Carum instituto subiiciuntur, intelligitur. Opinor scribendum esse: ἐν ἁλύσει ἀνειμένῃ, in catena laxa nec dura.

P. 678 c: χοροὶ δ' εἰσὶ τὸ μὲν πρόσω παίδων, τὸ δ' ἐξ ἀρίστου ἀνδρῶν, γυμνῶν ὀρχουμένων κ. τ. λ. Summam rei, triplicem chororum divisionem, Wyttenbachius perspexit, sed ipsum chororum ordinem et dispositionem indicat scriptura ad codicum vestigia multo propius accedens: χοροὶ δ' εἰσὶ τρεῖς, ὁ μὲν ἐν μέσῳ παίδων, <ὁ δ' ἐκ δεξιοῦ ἐφήβων>, ὁ δ' ἐξ ἀριστεροῦ ἀνδρῶν.

P. 682 d (in Apollodori fragmento de singulari forma fruticis cuiusdam): ἐπειδὰν γὰρ ἐκ διαστήματος αὐτομάτως κράδαι συμπέσωσιν, ἐμψύχων περιπλοκὴν ἐν τῷ μένουσιν ἡνωμέναι καθάπερ ἀπὸ ῥίζης μιᾶς κ. τ. λ. Post ἐν τῷ recentiores lacunæ notam ponunt. In codice Parisino epitomes scribitur περιπλοκῇ. Apparet similitudinem cum animalium complexu significari scribendumque esse: ἐμψύχων περιπλοκῇ ἐμφερῶς, μένουσιν κ. τ. λ. aut saltem proxime ad hanc formam.*)

P. 696 a et b: Ἀλλὰ μὴν καὶ τὸ ὑπὸ τοῦ πολυμαθεστάτου γραφὲν Ἀριστοτέλους εἰς Ἑρμείαν τὸν Ἀταρνέα οὐ παιάν ἐστιν, ὡς ὁ τὴν τῆς ἀσεβείας κατὰ τοῦ φιλοσόφου γραφὴν ἀπενεγκάμενος Δημόφιλος, εἰς αἰδῶ τε παρασκευασθεὶς ὑπ' Εὐρυμέδοντος, ὡς ἀσεβοῦντος κ. τ. λ. In litteris sensu cassis εἰς αἰδῶ τε latet verbum,

*) P. 689 a et b scr.: ἐν δὲ Περγάμῳ πρότερον μὲν ἐξοχήν, νῦν δ' οὔ (pro ἐξοχῇ).

quod desideratur ad *ὡς ὁ .... Δημόφιλος*. Videtur scriptum fuisse: *ὡς ὁ .... Δημόφιλος εἰσαγῆσι, παρασκευασθεὶς κ. τ. λ.*, quemadmodum insimulavit (finxit) Demophilus, subornatus cet. Deesse verbum intellexerat, qui in codice Parisino epitomes scripsit εἶπε δημόφιλος.

Ibid. c. In nobili scolio Aristotelis *εἰς Ἑρμείαν* v. 6 sqq. hæc leguntur de virtute:

τοῖον ἐπὶ φρένα βάλλεις
καρπόν τ' ἀθάνατον χρυσοῦ τε κρείσσω
καὶ γονέων μαλακαυγητοῖό θ' ὕπνου.

Permire in hac cum virtutis fructu comparatione divitiis et parentibus (h. e. generis nobilitati) tamquam tertium adiungitur somnus, nec minorem admirationem habet adiectivum huic substantivo adiunctum, sive *μαλακαυγητοῖο* scribas sive *μαλακαυχήτοιο*; neutra enim forma probabilem significationem derivationemque habet. Veri indicium tenue codex Laur. præbet, in quo *ὕπνους* legitur. Scripserat enim Aristoteles *μεγακαυχήτοιό θ' ὕψους*. Cum divitiis et stirpe coniungitur fastigium dignitatis et maiestatis magnificum et superbum (gloriose se iactans).

P. 698 d et e (in fragmento Hegemonis):

Μνῆμ' ἀνέπεισε γέροντα καὶ οὐκ ἐθέλοντ' ἀναβῆναι
καὶ σπάνις, ἣ πολλοὺς Θασίων εἰς ὁλκάδα βάλλει
εὐκούρων βδελυρῶν, ὀλλύντων τ' ὀλλυμένων τε
ἀνδρῶν, οἳ νῦν κεῖθι κακῶς κακὰ ῥαψῳδοῦσιν.

Pro *μνῆμ'* Iacobsius *λῆμμ'*, Meinekius *λῆμ'* coniecit; neutrum cum eo, quod est *σπάνις*, apte coniungitur. Verum videtur *πεῖν'*. Deinde ubi codices habent *εὐκούρων*, scribendum videtur *ναυκλήρων*, quod genus hominum et per se apte hic nominatur et Græcorum maximeque comicorum iudicio iis, quæ adduntur, notis insignitur (*βδελυρῶν, ὀλλύντων τ' ὀλλυμένων τε*).

Cap. V.

Miscellanea.

Cum proximis annis in opere de rei publicæ Romanæ institutis perscribendo Græcorum, qui de rebus Romanis scripserunt, libros perpetuo tractarem, subnatæ sunt in Appiano, Dione, Herodiano præter eas, quas in ipso illo opere posui, emendationes aliquot, quas hoc loco non omittendas iudicavi.

Appiani Civ. I, 50 (de servis, qui a Pompeio victi ex cæde effugerunt): *καὶ τῶν λοιπῶν ἐς τὰ σφέτερα δι’ ἀπόρου χώρας καὶ χειμῶνος ἐπιπόνου διατρεχόντων οἱ ἡμίσεις βαλανηφαγοῦντες διεφθάρησαν.* Quid igitur dimidia parte factum est? Et cur glandibus vescendo interierunt? Sine dubio excidit aliquid, cum sic scriptum fuisset: *οἱ ἡμίσεις βαλανηφαγοῦντες* <*διεσώθησαν, οἱ δ’ ἡμίσεις*> *διεφθάρησαν.*

II, 49: *Πομπηΐῳ δὲ (τέλη ἦν) πέντε μὲν ἐξ Ἰταλίας . . . ., ἐκ δὲ Παρθυαίων δύο, τῶν σὺν Κράσσῳ πεπολεμηκότων τὰ ὑπόλοιπα, καί τι μέρος ἄλλο τῶν ἐς Αἴγυπτον ἐσβαλόντων μετὰ Γαβινίου, σύμπαντα ἀνδρῶν Ἰταλῶν ἕνδεκα τέλη κ. τ. λ.* Et pronomen *τί* pravo loco poni et desiderari numerum manifestum est; ex *τί* efficitur is ipse, quem reliqui numeri monstrant: *καὶ τέσσαρα, μέρος ἄλλο τῶν ἐς Αἴγυπτον ἐσβαλόντων*, nisi Appianus scripsit *καὶ τέσσαρα ἄλλα τῶν κ. τ. λ.* (Excidisse aliquid Schweighäuserus suspicatus erat.)

III, 60 (in oratione Pisonis): *ὧν τοὺς μὲν εὖ βουλευομένους ἐνθυμεῖσθαι χρὴ ὑπὲρ τῶν ἔτι πλανωμένων, τοὺς δ’ ὑπάτους καὶ δημάρχους πλείονας κινδυνεύουσι τοῖς κοινοῖς γενέσθαι.* Qui Latine *πλείονας γενέσθαι* verterunt maiorem curam impendere, sententiæ umbram secuti sunt, non Græci sermonis usum. Sententia acutior

erit elegantique imagine exprimetur restituta vera scriptura: *παιῶνας κινδυνεύουσι τοῖς κοινοῖς γενέσθαι*, medicinam et remedia adhibere. (Vitium senserunt Schweighäuserus et Mendelssohnius, emendationem non invenerunt.)

Ibid. 81: *καὶ ὁ Δέκμος ἐπέστελλε τῇ βουλῇ τὸν Ἀντώνιον ἀλώμενον κυνηγετήσειν ναυτικῶν περ ἤδη γεγονότων. οἵ τε Πομπηϊανοὶ πυθόμενοι θαυμαστοὶ ὅσοι διεφάνησαν, ἐκβοῶντες ἄρτι τὴν πάτριον ἐλευθερίαν ἀπειληφέναι. καὶ θυσίαι καθ' ἕνα ἦσαν κ. τ. λ.* Sensu prorsus cassa esse verba, quæ post *κυνηγετήσειν* ponuntur, manifestum est neque aut de *ναυτικοῖς* aut de particula poetica *πέρ* verbum addere opus est. Ulcera ad speciem gravissima facillimis remediis sanabuntur sententiis rectius distinctis et litterarum geminatione et confusione sublata. Scripserat enim Appianus: *Πλάγκος δὲ προσεγένετο μετὰ τοῦ οἰκείου στρατοῦ, καὶ ὁ Δέκμος ἐπέστελλε τῇ βουλῇ τὸν Ἀντώνιον ἀλώμενον κυνηγετήσειν. αὐτίκα ὡς περὶ ἤδη γεγονότων οἵ τε Πομπηϊανοὶ πυθόμενοι θαυμαστοὶ ὅσοι διεφάνησαν . . ., καὶ θυσίαι καθ' ἕνα ἦσαν.* (*Αὐτίκα* subesse senserat iam Tyrwhittus.)

V, 21: *οἱ δὲ ἐξέθεον ἐς τὸν Λεύκιον* (L. Antonium, triumviri fratrem) *καὶ παρεκάλουν οἰκτεῖραι μὲν ἐπὶ τοῖς ἐμφυλίοις τὴν πόλιν καὶ τὴν Ἰταλίαν, δέξασθαι δὲ κοινωνὸν ᾧ τὴν κρίσιν ἢ ἐπὶ σφῶν ἢ ἐπὶ τῶν ἡγεμόνων γενέσθαι.* Neque quid sit *δέξασθαι κοινωνόν*, neque quo pertineat dativus pronominis, neque quemadmodum superioribus adiungantur verba *τὴν κρίσιν γενέσθαι*, ulla ratione perspicitur. Lenissima mutatione efficitur verum et rectum: *δέξασθαι δὲ κοινῷ νόμῳ τὴν κρίσιν ἢ ἐπὶ σφῶν ἢ ἐπὶ τῶν ἡγεμόνων γενέσθαι*: permitteretque iudicium communi et æqua lege aut apud ipsos aut apud duces peragi. (In idem incidisse Mendelssohnium nunc video, sed dubitantem et fluctuantem.)

In **Dione Cassio**, ne propter tenuitatem eorum, quæ ad eius libros emendandos nunc afferam, scriptorem summæ ad res Romanas cognoscendas utilitatis sero ac perfunctorie attigisse videar, cogor invitus rem miram commemorare, quod fiet sine ulla contumelia viri egregii Immanuelis Bekkeri, quem quanti et faciam et semper fecerim, cum alibi dixi tum ubertim in præfatione prioris editionis syntaxis Græcæ p. XVII, et sine ulla indigna eo suspicione. Cum eius filius iuris tum, ut opinor, antecessor Halensis aut Ienensis inter a. 1840 et 1848 Hauniæ me salutasset et mihi de patris rebus quærenti narrasset eum, quamquam annis et oculorum valetudine premeretur, tamen strenue in studiis vivere et cum maxime Dionis Cassii editionem parare, dixi me ex diligenti eius scriptoris lectione annotatas habere emendationes aliquot, quasdam etiam paulo notabiliores; eas me ex adversariis in chartulam transscriptas aut ipsi daturum aut per litteras ad patrem eius missurum; utro deinde modo transmiserim, non memini, transmisi certe. Cum aliquo tempore post editionis Bekkerianæ exemplum ab ipso editore benevole missum accepissem, vidi libenter emendationes a me in adversariis, quæ etiam nunc servo amicisque et tum et postea ostendi, perscriptas prope omnes iisdem plane litteris a Bekkero in contextu orationis positas esse, multas asterisco notatas, hoc est, ab ipso Bekkero antea inventas, alias sine ulla nota tamquam ab aliis sumptas; ex his nonnullas et facile credo et ipse postea animadverti ab aliis, maxime Reiskio, esse præceptas; aliquot etiam nunc, etsi nulla usquam mei in Bekkeri præfatione mentio facta est, mihi meo iure vindicare videor, velut XLIII, 38 *περινῆσαι* pro *ἐρανίσαι*.

Iis nunc pauculas, quas iterata lectio aut pervolutatio suggessit, addo:

Fragm. c. 39, 3 p. 36 Bekk., Vatic.: *ὅτι οἱ Ταραντῖνοι, καίπερ τὸν πόλεμον αὐτοὶ παρασκευάσαντες, ὅμως ἐν σκέπῃ φαβρίου ἦσαν· οἱ γὰρ Ῥωμαῖοι κ. τ. λ.*

Scribendum *ἐν σκέπῃ φοβεροῦ*. Causam nihil etiam tum timendi continent, quæ sequuntur.

C. 40, 24 p. 41, Vatic.: *ὅτι θηρίον οὐδὲν ἀνθρώπου κρεῖττόν ἐστιν, ἀλλὰ πάντα δὴ πάντως ἦν, εἰ καὶ μὴ κατ' ἰσχύν, ταῖς γοῦν σοφίαις σφῶν ἐλαττοῦντα ἐθάρσουν.* Minus recte Bekkerus correxit. Scribendum: *ἀλλὰ πάντα δὴ πάντως, εἰ καὶ μὴ κατ' ἰσχύν, ταῖς γοῦν σοφίαις σφῶν ἐλαττοῦται.* [Iam L. Dindorfius *ἐλαττοῦνται*.]

C. 50, 3 p. 53, Vatic. (de Gallis): *οὔτε τι διαρκὲς ἐν αὐτοῖς ἔχουσιν . . . ., κἂν ἅπαξ ἀλλοιωθῶσιν, οὔτ' ἀναλαβεῖν ἑαυτοὺς ἄλλως τε καὶ δέους τινὸς προσγιγνομένου δύνανται, καὶ ἐς ἀντίπαλον κ. τ. λ.* Nihil hic loci habet commutandi significatio (*ἀλλοιοῦν*), sed negantur Galli posse se confirmare et animos recipere, si quid iis subito novi et inopinati acciderit, id est, *κἂν ἅπαξ ἀλλοῖόν τι πάθωσιν, οὔτ' ἀναλαβεῖν ἑαυτοὺς κ. τ. λ.*

XXXVI, 25 (in oratione Pompeii): *μὴ γὰρ ὅτι νέος ἔτ' εἰμὶ λογίζεσθε, μηδ' ὅτι τόσα καὶ τόσα γέγονα ἀριθμεῖσθε.* Necessario scribendum *τόσα καὶ τόσα ἔτη γέγονα.* *)

Ibid. 42 (de C. Manilio, quem Dio Mallium appellat): *φοβηθείς, ἐπειδὴ τὸ πλῆθος δεινῶς ἠγανάκτει, τὰ μὲν πρῶτα ἔς τε τὸν Κράσσον καὶ ἐς ἄλλους τινὰς τὴν γνώμην ἀνῆγεν, ὡς δ' οὐδεὶς ἐπίστευέν οἱ, τὸν Πομπήϊον καὶ ἄκοντα ἐκολάκευσεν κ. τ. λ.* Corrigunt *ἀκων* et ad litteras improbabiliter et ad sententiam. Scribendum *ἀπόντα*.

XXXVII, 16 (de Romanis Hierosolyma oppugnantibus et Iudæorum per dies festos quiete utentibus): *μαθόντες*

*) Ibid. 28 pro eo, quod editur: *ὅτι Πομπήϊος οὗτος ἐν μὲν μειρακίῳ*, scribendum: *ὅτι Πομπήϊος, ὅτε μὲν ἦν μειράκιον* aut certe similiter.

γὰρ τὴν ἐμποίησιν αὐτῶν ταύτην . . . . ἐντονώτατά οἱ προσέβαλλον. Nulla hic ἐμποίησις (adoptio) erat, sed πτοίησις, furor et instinctus superstitiosus (τὴν πτοίησιν).

Ibid. 53: γῇ γάρ τινι πρὸς τῇ νήσῳ οὔσῃ προσσχὼν ὁ τὴν ἡγεμονίαν σφῶν ἔχων κ. τ. λ. Nihil periculi militibus fuisset, si in terram insulæ adiacentem expositi fuissent, quamquam totum hoc de terra insulæ adiacenti ridiculum est; terris enim insulæ adiacent. Scribendum sine dubio πέτρᾳ γάρ κ. τ. λ. Mendum ortum videtur hausta propter similitudinem particulæ γάρ altera vocis syllaba.

XL, 59 (de Sulpicio consule a. 51 resistente iis, qui Cæsari successorem in Galliam mitti volebant): καὶ αὐτῷ ὅ τε Σουλπίκιος καὶ τῶν δημάρχων τινὲς ἀντέπραξαν, οὗτοι μὲν τῇ πρὸς τὸν Καίσαρα χάριτι· ἐκεῖνος δ' αὐτοῖς ἐκοινώσατο καὶ ὅτι τοῖς πολλοῖς οὐκ ἤρεσκε τό τινα μεταξὺ ἄρχοντα μηδὲν ἠδικηκότα πανθῆναι. Debebat saltem dici ὅτι καὶ τοῖς πολλοῖς; verum Sulpicius non movebatur populi voluntate, sed suo de iure iudicio perducebatur, ut tribunis et multitudini se in hac re adiungeret. Scribendum igitur: αὐτοῖς ἐκοινώσατο καὶ τοῖς πολλοῖς, ὅτι οὐκ ἤρεσκε κ. τ. λ.

Ibid. 62 (de C. Curione, qui antea Cæsarem specie oppugnandi reapse adiuvisset, aperte iam Cæsaris partes amplexo): ἐκ τοῦ φανεροῦ ἤδη τὰ τοῦ Καίσαρος διαδικαιῶν, ἐπειδὴ μηδὲν κατ' αὐτοῦ δῆθεν ἠδυνήθη ποιῆσαι, πᾶν ὅ τι ποτὲ ἐνεδέχετο οὐ δεχθῆναι προΐσχετο, καὶ μάλισθ' ὅτι πάντας τοὺς τὰ ὅπλα ἔχοντας ταῦτά τε καταθέσθαι καὶ τὰ στρατόπεδα διαλῦσαι χρὴ κ. τ. λ. Ex δεχθῆναι nihil effici potest, quod sententiæ conveniat, οὐ autem prorsus barbarum est in hac cum infinitivo coniunctione. Curio quoniam nihil scilicet contra Cæsarem efficere potuerat (— hac enim specie utebatur, δῆθεν —), eo transiit, ut omnia, quæ ullo modo Cæsari concedi possent, proponeret et præ se ferret: πᾶν ὅ τι ποτὲ ἐνεδέχετο,

ὑπειχθῆναι προΐσχετο. Cum extrema verbi *ἐνεδέχετο* vocalis cum prima sequentis vocis in *οὐ* coaluisset, ex *πειχθῆναι* factum est *δεχθῆναι.*

XLIII, 14 (ubi honores Cæsari decreti enumerantur): *καὶ τὰς ἀρχὰς τά τε ἄλλα ὅσα τισὶν ὁ δῆμος πρόσθεν ἔνεμεν ἀποδεικνύναι ἐψηφίσαντο.* Manifesto legendum *ὁ δῆμος πρὸ τοῦ ἔνεμεν.*

Ibid. 44 (de novis Cæsaris honoribus): *ταῦτά τε οὖν τότε τῷ Καίσαρι . . . . ἱερομηνίαν τε ἐξαίρετον ὁσάκις ἂν νίκη τέ τις συμβῇ καὶ θυσίαι ἐπ' αὐτῇ γίγνωνται, καὶ μήτε συστρατηγῆσαί τινα μήθ' ὅλως ἐπικοινωνῆσαι τῶν καταπραχθέντων, ἔδοσαν.* Non decretum est, ut Cæsar bellis ne interesset, sed ut tamquam perpetuus et summus omnium exercituum imperator triumphi etiam tum particeps esset, cum ipse bello et rebus gerendis non interfuisset: *κἂν μήτε συστρατηγήσαντι μήθ' ὅλως ἐπικοινωνήσαντι τῶν καταπραχθέντων.*

XLVI, 45 (de duoviris ad comitia habenda creatis): *τοῦτο γὰρ τῶν δύο ἀνδρῶν διὰ τοῦ στρατηγοῦ τοῦ ἀστυνόμου ψηφισθῆναι μᾶλλον ἢ τὸ τοὺς ὑπάτους δι' αὐτοῦ χειροτονηθῆναι ὑπέμειναν.* Genetivi *τῶν δύο ἀνδρῶν* ratio omnino explicari nequit, scribendumque necessario: *τοῦτο γὰρ* <*περὶ*> *τῶν δύο ἀνδρῶν κ. τ. λ.*

XLVII, 14 (de triumviris ceteros fraude ab emptione rerum proscriptorum, quæ auctione venirent, removentibus): *καὶ ἐκείνους γε οὕτω μετεχειρίζοντο ὥστε τι καταφωρᾶν καὶ πλείστου ὅσου ἀγοράζειν ὧν ἔχρῃζον, καὶ διὰ τοῦτο μηδ' ὠνητιᾶν ἔτι.* Non sane homines ita tractabant, ut aliquid deprehenderent et animadverterent, sed contra ita circumveniebant et decipiebant, ut nihil ex iis, quæ agerentur, deprehenderent et, si quid parare vellent, immenso pretio emerent atque ita etiam ab omni emendi studio deterrerentur. Mendum orationis satis ostendit pronomen *τι* perverso loco positum. Scribendum: *ὥστε* <*μήτε*> *τι κατα-*

φωρᾶν καὶ πλείστου ὅσον ἀγοράζειν ὧν ἔχρῃζον, καὶ διὰ τοῦτο μηδ' ὠνητιᾶν ἔτι. Respondent inter se *μήτε* et *καί*. Omittendæ negationis causa fuit syllaba *τε* bis posita (*ὥστε μήτε*).

XLIX, 34 (de Cæsare milites tumultuantes coercente): *ἐπεὶ δὲ καὶ ὣς ἐθρασύνοντο, δίκῃ τινὰς αὐτῶν ἔδωκεν.* Nemo, quantum scio, Græce dixit *δίκῃ τινὰ διδόναι* ac ne Latine quidem pœnæ aliquem dare, etsi noxæ dare constanti usu dicitur. Scripserat sine dubio Dio: *δίκην τινὲς αὐτῶν ἔδωκαν* (nam *ἔδωκαν* pro *ἔδοσαν* apud Dionem nihil habet offensionis).

LIX, 7 (de ludis a Gaio Cæsare in dedicando Augusti monumento factis): *καὶ ἵπποι δύο ἡμέραις ἠγωνίσαντο, τῇ μὲν προτέρᾳ εἰκοσάκις, τῇ δ' ὑστέρᾳ καὶ τετράκις διὰ τὸ τὰ γενέθλια αὐτοῦ τὴν ἡμέραν ἐκείνην εἶναι.* Erratum esse in numero altero iam intellexit Reimarus, sed emendationem non repperit. Scribendum: *τῇ δ' ὑστέρᾳ καὶ τεσσαρακοντάκις.*

LXI, 8 (de turbis in theatro primo Neronis tempore): *οἱ γάρ τοι περὶ τὴν ὀρχήστραν καὶ περὶ τοὺς ἵππους ἔχοντες οὔτε τῶν στρατιωτῶν οὔτε τῶν ὑπάτων ἐφρόντιζον.* Mire cum consulibus milites coniunguntur; nam si quis cohortem prætoriam theatro assidentem intelligere vult, ei tribunus præerat, non consules, neque senatores et equites coercebat, sed plebem. Scribendum: *οὔτε τῶν στρατηγῶν οὔτε τῶν ὑπάτων ἐφρόντιζον.* Sed non minus mire *οἱ περὶ τὴν ὀρχήστραν καὶ περὶ τοὺς ἵππους ἔχοντες* dicuntur, ut intelligantur senatores in orchestra et equites in quattuordecim subselliis sedentes. Scribendum: *καὶ περὶ τοὺς ἱππεῖς ἔχοντες.* (Paulo ante c. 7, ubi editur: *εἰ καὶ μετρίως πως διάγοντες αὐτὰ περισωθεῖεν*, scribendum est *αὐτοί*.)

LXXVIII, 22: *καὶ ὁ Φλάκκος τὴν τῶν τροφῶν διάδοσιν, ἣν ὁ Μανίλιος πρότερον ἔσχε τῆς κατ' αὐτοῦ συκοφαντίας γέρας εἰλήφει, ἐπετράπη καὶ αὐτὴν καὶ μετὰ τοῦτο τό τε διαδίδοσθαί τινα ἐν ταῖς τῶν στρατηγούντων πανυ θέαις, πλὴν τῶν τῇ Φλώρᾳ τελουμένων, δικαιονόμοι οἱ τὴν Ἰταλίαν διοικοῦντες ἐπαύσαντο ὑπὲρ τὰ νομισθέντα ὑπὸ τοῦ Μάρκου δικάζοντες.* Prima recte emendata videntur sublato *ἔσχε*; quid resideat mendi in *καὶ αὐτήν*, nescio; nam nimis discedere videtur *ἐκ καινῆς*, denuo. Deinde autem scribendum est: *καὶ μετὰ τοῦτο τό τε διαδίδοσθαί τινα ἐν ταῖς τῶν στρατηγούντων ἐπαύθη θέαις, πλὴν τῶν τῇ Φλώρᾳ τελουμένων, καὶ οἱ δικαιονόμοι οἱ τὴν Ἰταλίαν διοικοῦντες κ. τ. λ.* Litteræ *και οι* exciderunt ante *δικαιονόμοι*.

Herodian. VI, 1: *Ἡ δὲ Μαμμαία .... ὁμοίως αὐτοῦ* (Alexandri Severi pueri) *ἄρχειν τε καὶ κρατεῖν ἐπειρᾶτο. ἤδη τε ὁρῶσα ἐν ἀρχῇ τὸν νεανίαν γενόμενον καὶ δεδοικυῖα μὴ ἄρα ἡλικία ἀκμάζουσα ὑπηρετούσης ἀδείας τε καὶ ἐξουσίας εἴς τι τῶν γενικῶν ἁμαρτημάτων ἐξοκείλῃ, πανταχόθεν ἐφρούρει τὴν αὐλήν.* Vidit aliquid Mammæa in puero, quod timorem facere posset, ne libidinibus veneriis se daret. Id erat non *ἐν ἀρχῇ αὐτὸν γενέσθαι* (— pridem enim Augustus declaratus erat —), sed *ἐνόρχην*. Vidit eum puberem factum.

Liber II.

Emendationes Latinæ.

Cap. I.

Ciceronis libri rhetorici.

Emendationum Latinarum et primam et longe copiosissimam partem Marcus Cicero sibi vindicabit, cuius tamen, qui ad philosophiam pertinent, libros non attingemus; ex iis, qui artem oratoriam exponunt et docent, quoniam ad eos, qui proprie rhetoricorum nomen tenent, vulgo autem de inventione appellantur, nihil novi afferimus, seriem ducent tres **de oratore** libri, ad quos expoliendos cum prope adolescens Henrichsenii mei studia adiuvans non ita pauca contulissem, postea parcius attigi. Eos igitur tempore interiecto cum semel atque iterum celerius percurrissem, anno fere 1871 intentius retractarem consideratis etiam diligenter codicis Abrincensis scripturis, qui unus memorabilis nec tamen præstantissimus instrumentum criticum auxit, hæc, quæ subiiciam, certa aut probabili coniectura nec ab aliis occupata expedire mihi visus sum. Quamquam, quem primum ponam locum, eum non tam plane expedire possum quam, quomodo vera eius forma turbata sit, indicare; nam

lib. I § 146 sq. hæc leguntur: *quod* (artificium rhetorum observatione et opera constitutum et traditum)

tamen, ut ante dixi, non eiicio; est enim, etiamsi minus necessarium ad bene dicendum, tamen ad cognoscendum non illiberale. Et exercitatio quædam suscipienda vobis est cet. Apparet hoc, quod de exercitatione dicitur, neque recte particula et adiungi, quod iam alii senserunt, neque satis respondere superioribus, in quibus de toto artificio sic dicitur, ut hic et præceptorum et exercitationis mentio exspectetur. Valde suspicor verba quædam excidisse, cum Cicero ad hanc formam scripsisset: — non illiberale. <Itaque et præcepta tractanda> et exercitatio quædam suscipienda vobis est. De ipsis verbis nihil me affirmare non est opus dici. *)

Ibid. 198: Itaque ut apud Græcos infimi homines . . ministros se præbent in iudiciis

---

*) Quod initio huius libelli dixi me aliquoties in Ciceronianis maxime emendationibus facturum, ut admonitionis causa in margine interponerem correctionem, quam cum ipse fecissem, postea ab aliis occupatam, sed a recentissimis editoribus neglectam repperissem, eius rei exemplum statim hic ponam. Nam de lib. I, 134 hæc scripseram: „studium et ardorem quendam amoris, sine quo cum in vita nihil quidquam egregium, tum certe hoc, quod tu expetis, nemo umquam assequetur. Etiamsi ferri posset apud Ciceronem nihil quidquam pro nihil hoc uno loco positum, tamen vitiose ad prius membrum ex inferiore loco sic retraheretur nemo, ut ex eo intelligeretur quisquam (— longe enim aliter, præcedente nemo, post intelligitur notio affirmativa —), cum præsertim tota orationis structura ostendat Ciceronem suum utrique membro subiectum dedisse, priori, quod obiectum habet negans, affirmativum, alteri, quod obiectum habet affirmativum, negans: sine quo cum in vita nihil quisquam egregium, tum certe hoc, quod tu expetis, nemo umquam assequetur.“ Nunc a Siesbyeo admoneor eandem emendationem ab Huldrico apud Orellium, deinde ab Ieepio factam esse.

oratoribus ..., sic in nostra civitate contra amplissimus quisque et clarissimus vir, ut ille, qui propter hanc iuris civilis scientiam sic appellatus a summo poeta est: Egregie cordatus homo, catus Æliu' Sextus, multique præterea, qui, cum ingenio sibi auctoritatem peperissent (sic recte iam alii pro eo, quod in codicibus est, sibi auctore dignitatem peperissent), perfecerunt, ut in respondendo iure auctoritate plus etiam quam ipso ingenio valerent. Si hæc recte scripta sunt, necessario post illa sic in nostra civitate contra amplissimus quisque et clarissimus vir auditur ex priore comparationis parte ministros se præbent in iudiciis oratoribus, quoniam comparatio terminari debet ante illud qui, cum—. Verum hoc quantum ab sententia reque ipsa abhorreat, nihil opus est dici, quoniam vel unum adverbium contra declarat, contempto pragmaticorum Græcorum ministerio contrarium poni amplissimum iuris consultorum Romanorum munus et summam dignitatem, nihil oratoribus cedentem. Manifestum est sic hæc continuanda esse, interposita ipsi sententiæ exemplorum mentione: sic in nostra civitate contra amplissimus quisque et clarissimus vir, ut ille .... multique præterea, cum ingenio sibi auctoritatem peperissent, perfecerunt, ut in respondendo iure auctoritate plus etiam quam ipso ingenio valerent. Iam recte comparatio perficitur et in auctoritate iuris consultorum Romanorum terminatur. Itaque aut prorsus tollendum est pronomen qui ante cum tamquam prave additum, cum constructio non intelligeretur, aut potius scribendum: multique præterea alii, cum. Nunc demum etiam clarius perspicitur, quam necessaria ipsi comparationi gradatio illa sit: cum ingenio sibi auctoritatem

peperissent, perfecerunt, ut . . auctoritate plus etiam quam ipso ingenio valerent.

Ibid. 219: nobis tamen, qui in hoc populo foroque versamur, satis est ea de moribus hominum et scire et dicere, quæ non abhorrent ab hominum moribus. Vitiose concurrere de moribus hominum et ab hominum moribus pridem intellectum est; sed mendi sedes non, ut Ernestius putavit, in prioribus verbis est, quæ recte iis, quæ præcedunt, respondent, sed altero loco; neque enim orator ad mores hominum scientiam suam orationemque accommodat, sed ad animos et voluntates et ad id, quod libenter admittitur auditurque. Simplici littera m restituta pro geminata, ex hac scriptura: ab hominum oribus facillime eruitur verum: quæ non abhorrent ab hominum **auribus**, hoc est, quæ illæ libenter accipiunt.

Ibid. 236: Nam si ita diceres, qui iuris consultus esset, esse eum oratorem, itemque qui esset orator, iuris eundem esse consultum, præclaras duas artes constitueres atque inter se pares et eiusdem socias dignitatis. Si id Crassus diceret, quod verba, ut nunc scribuntur, significant, iuris prudentia simul eloquentiam contineri, eloquentia iuris prudentiam, non duas constitueret artes, sed in unam omnia conflaret, quod vehementissime Antonius, qui hic loquitur, improbat atque sic disputat, etiamsi singulari ingenii præstantia aliquis utramque artem comprehendat, nihilo tamen minus duas per se esse. Corrupit sententiam verbum esse priore loco, ubi id ipse ordo et positus mendi arguit (— debebat enim scribi: eum, vel potius eundem, esse oratorem —), pro altero prave illatum vel potius ad esset accommodatum; Cicero enim scripserat: Nam si ita diceres, qui iuris consultus esset, **posse** eum oratorem, itemque qui esset orator, iuris eun-

dem esse consultum, præclaras duas artes constitueres cet.

Ibid. 248: De me autem ipso, cui uni tu concedis, ut sine ulla iuris scientia tamen causis satisfacere possim, tibi hoc, Crasse, respondeo, neque me umquam ius civile didicisse neque tamen in iis causis, quas in iure possem defendere, umquam istam scientiam desiderasse. Non agitur de causis, quas Antonius in iure, hoc est, apud prætorem, antequam ad iudices veniretur, defendere potuerit, sed de iis, in quibus iuris, non facti quæstio fuerit. Sublata igitur præpositione scribendum: quas iure possem defendere. Et res genusque causarum et loquendi usus perspicitur lib. II, 106.

Ibid. 254: Quamquam, quoniam multa ad oratoris similitudinem ab uno artifice sumimus, solet idem Roscius dicere se, quo plus sibi ætatis accederet, eo tardiores tibicinis modos et cantus remissiores esse facturum. Manifestissimum est scribi debuisse (post solet) aut accesserit aut accedat, coniunctivi imperfectum ferri nullo modo posse, neque tamen minus certum est librarium hoc pro illorum alteroutro non substituisse. Latet præsens tempus verbi paulo minus usitati et simul lusus quidam. Scriptum enim fuerat: se, quo plus sibi ætatis **acceleret**, eo tardiores cet. Ætatem submoleste adventantem Roscius simul et querens molliter et ludens accelerare dicit eique se celeritati tarditate subventurum.

Ibid. 256: Reliqua vero etiamsi adiuvant, historiam dico et prudentiam iuris publici et antiquitatis iter et exemplorum copiam, si quando opus erit, a viro optimo . . . . Longino mutuabor cet. Vocabulum, quod est iter, ferri non posse, neque per se neque cum exemplorum copia coniunctum,

satis et apparet et consentitur; correctio et ad sententiam et ad litterarum vestigia probabilis nondum reperta est. Opinor scribendum esse: et antiquitatis iterum et exemplorum copiam. Materiam oratori utilem nec tamen propriam Antonius sic in duas partes distribuit, ut tamen utrique parti historiam et antiquitatem communiter subiectam dicat tantum tractatione et usu diversam. Itaque in altera parte iterum a se alio nomine (antiquitatis) eandem rem significari, quam in priore historiam appellasset, ait.

II, 128: Meæ totius orationis et istius ipsius in dicendo facultatis, quam modo Crassus in cælum verbis extulit, tres sunt rationes, ut ante dixi: una conciliandorum hominum, altera cet. Quoniam nemo facultatem in dicendo pro dicendi facultate dixit, codicesque plerique verba in dicendo omittunt, uncis incluserunt ea recentiores editores. Verum quod hic omittitur, in aliis codicibus (B R apud Orellium) ac fortasse multo pluribus, quam nominantur, additur ante orationis (meæ totius in dicendo orationis), certissimumque est orationem sic simpliciter pro genere ac proprietate dicendi poni non posse (meæ orationis tres sunt rationes). Sed ne id quidem, quod facillime efficitur: Meæ totius in dicendo rationis, ferri potest (rationis — rationes). Antonius ostendit se, quemadmodum causarum actionem moderari soleat, expositurum; sine dubio Cicero scripserat: Meæ totius in dicendo **moderationis** . . . tres sunt rationes.*)

Ibid. 193: quid potest esse tam fictum quam versus, quam scena, quam fabulæ? Tamen in

---

*) Ibid. 184 certum est Ciceronem non scripsisse genere quodam sententiarum et genere verborum, sed correctio incerta; vereor, ne priore loco aliud subsit vocabulum, velut **tenore**.

hoc genere sæpe ipse vidi, cum ex persona mihi ardere oculi hominis histrionis viderentur spondalia illa dicentis: Segregare abs te ausu's aut sine illo Salamina ingredi? Neque paternum aspectum es veritus? Frustra ad hoc omnes machinæ admotæ sunt, ut aliquid tolerabile efficeretur ex miro spondalium vocabulo, quod neque derivationem probabilem neque significationem ulla ex parte aptam habet, neque corrigendi conatus felices fuerunt. Attendi velim orationis colorem in illo hominis histrionis; adiecto enim priore vocabulo pæne contemptim significatur in tenuis condicionis homine et ab ipsa veritate longe remoto hoc accidere; eodem pertinet, quod sub illo spondalia latet ad rem exprimendam aptissimum; prorsus enim Ciceronem scripsisse puto: **sponte aliena** illa dicentis. Non sua sponte, sed aliena illa dicebat histrio, a poeta sibi ad eloquendum data. Aliena sponte Cicero dixit etiam de Legg. I, 45. Ne quis aliena sponte scribendum fuisse putet, eodem ordine de Inv. II, 80 scribitur sponte sua.

Ibid. 214: Argumentum enim ratio ipsa confirmat, cui, simulatque emissum est, adhærescit; illud autem genus orationis non cognitionem iudicis, sed magis perturbationem requirit cet. Perturbationi non cognitio contraria est, sed cogitatio atque eadem, quæ proxime nominata est, ratio atque ratiocinatio. Scriptum igitur sine dubio fuerat: non **cogitationem** iudicis, sed magis perturbationem requirit, eo quidem magis, quod in iudice cognitionis vocabulum alio pertinet.

Ibid. 216: Illa autem, quæ aut conciliationis causa leniter aut permotionis vehementer aguntur, contrariis commotionibus inferenda sunt, ut odio benevolentia, misericordia invidia tollatur. Inferendi verbum prorsus alienum esse mani-

festum est, nec minus ineptum, quod video substituta auferenda; neque enim auferuntur et in alium loc asportantur, quæ adversarius dixit. Videtur subesse i vertenda, nisi quis ex eo, quod in duobus codicibus Ba bergensibus Orellius scribi indicat, efferenda, effic mavult evertenda [, ut iam Heusinger suspicatus est].

Ibid. 289: Itaque imbuendus est is, qui i cose volet dicere, quasi natura quadam apta hæc genera et moribus, ut ad cuiusquem genus ridiculi vultus etiam accommodet Mores ipsius oratoris ad id, de quo hoc loco agitur, n omnino pertinent, nec moribus nescio quibus imbuen orator iocandi causa erat; vultus varie flectendi exercit capienda erat, ut proximis verbis ipse dicit Cæsar. I pluralis numerus sic nude positus post illud quasi tura quadam ferri nequit. Satis certum est oris n tionem hic subesse, scribendumque videtur et motu Nam ne motibus oris scribamus, ipse pluralis num deterret.

Ibid. 323: faciliora etiam in principiis, q et attenti tum maxime sunt, cum omnia exsp tant, et dociles magis initiis esse possu Recte Ellendtius sensit, initiis vitiose addi post prin orum communem utrique membro vocem initio posit sed quod simpliciter vocabulum tolli voluit, neque, ortum sit, intelligitur, et apparet in hoc quoque men ut in superiore (tum maxime, cum omnia exsp tant) causam, cur in principio dociles sint iudices, si ficari debuisse. Scripserat Cicero: et dociles magis novis (in ignotis?) esse possunt.

III, 79: Hæc vero, quæ sunt in philosoph ingeniis eruuntur ad id, quod in quoque v simile est, eliciendum acutis atque acrib eaque exercitata oratione poliuntur. Exerc

nis mentio prorsus hinc aliena et inepta est, sive ad s a philosophis inventas participium exercitata referas ominativo casu) sive ad orationem. Cicero scripsisse letur: eaque excitata (hoc est, inventa et uberius ex-ucta, imagine ab ædificio ducta) oratione poliuntur. inde, ubi in codicibus scribitur: Hic noster vul-.ris orator .... istos quidem nostros verbe-bit neque se ab iis contemni ac despici sinet, nis facile se expediunt, qui nostros simpliciter tollunt, od nemo additurus erat. Scribendum erat: istos qui-m vostros verberabit, quemadmodum paulo infra ribitur Coracem istum vestrum. Sic duo codices ud Orellium.*)

Ibid. 88: Libet autem semper discere, ut si olim ego talis optime ludere aut pilæ studio near, etiam fortasse, si assequi non possim; alii, quia præclare faciunt, vehementius, uam causa postulat, delectantur, ut Titius ila, Brulla talis. Mire generali de studio discendi ntentiæ adiungitur exemplum fictum de ipso Crasso sic liectis illis etiam fortasse, si assequi non pos-im, ut videatur exemplum pertinere ad inutilitatem studii iscendi demonstrandam. Neque magis intelligitur, quo

*) § 27, ubi in codicibus est: quamquam omnibus par pæne laus in dissimili scribendi genere tribuatur, annotaveram scribendum esse quamque (amplificari enim rem, contrarii aut exceptionis ne minimam quidem significationem esse), § 51 pro eo, quod editur, odiosiora, substituendum esse necessario aut copiosiora aut potius operosiora, § 98 tollendum esse pronomen ea a librario aliquo ante quæ additum (ea, quæ) cum pernicie structuræ (anacoluthon enim, cuius excusatione utuntur, nullam ipsum habere excusationem); primam correctionem occupaverat Lambinus, alteram Purgoldus, tertiam Wetzelius. Id quoque satis est hic in margine posuisse, § 67 pro possit scribendum esse posset.

sententiæ vinculo cum his coniungantur, quæ subiiciuntur: at alii cet. Sententiæ sic separandæ orationeque una littera detracta sic scribenda est, ut ficto de ipso Crasso exemplo ostendatur, discendi studium per se delectationem habere, etiamsi eam, quam velis, artis summam non consequare: Libet autem semper discere. Ut (velut exempli causa) si velim ego talis optime ludere aut pila studio tenear etiam fortasse, si assequi non possim; at alii cet. [Sic iam Schuetzius, cui nemo obsecutus est.]

Ibid. 107: De virtute enim ...... similibusque de rebus in utramque partem dicendi animos et vim et artem habere debemus. Etsi animos interdum sic dici notissimum est, ut elatio quædam animi et fortitudo significetur, nemo tamen umquam animos habere aliquid faciendi pro eo, quod est aliquid facere audere, dixit. Hoc quidem loco alienissima ab re illa significatio est; agitur enim de sola facultate oratoris. Una littera vocalis mutata sententiam veram restituet: in utramque partem ducendi animos. In utramque partem animos auditorum commovere orator posse debet. (Ante multos iam annos Walchius dicendo ducendi animos scribi voluerat; verebatur, opinor, ne nimis breviter dici videretur de virtute in utramque partem ducere animos; sed pæne absolute per præpositionem de [quemadmodum declaravi ad Cic. de Finn. III, 57] enumerantur ea, in quibus tractandis ars illa in utramque partem animos ducendi versetur.)

Ibid. 161: Nam et odor urbanitatis et mollitudo humanitatis et murmur maris et dulcedo orationis sunt ducta a ceteris sensibus; illa vero oculorum multo acriora, quæ ponunt pæne in conspectu animi, quæ cernere et videre non possumus. Sublato oculorum, quod ex superioribus (maxime oculorum, qui est sensus acerrimus)

llatum est, scribendum: illa vero multo acriora, uæ ponunt pæne in conspectu animi, quæ cerere et videre non possumus; his enim ipsis verbis a significantur, quæ ab oculorum sensu ducuntur; illa culorum et dure et inusitate in genere significando onitur. Recte etiam, opinor, codex Bambergensis a ceris sensibus, id est, suis et propriis.*)

Orator.

§ 23: itaque nobis monendi sunt ii, quorum ermo imperitus increbuit, qui aut dici se deiderant Atticos aut ipsi Attice volunt dicere, t mirentur hunc maxime, quo ne Athenas quiem ipsas magis credo fuisse Atticas cet. Mani-

---

*) De § 174 sic commentatus eram, cum solis Kayseri et Henrichsenii exemplis uterer: „Namque hæc duo musici, qui erant quondam iidem poetæ, machinati ad voluptatem sunt, versum atque cantum, ut et verborum numero et vocum modo delectatione vincerent aurium satietatem. Omitto, in quo Ernestius hæsit, insuavem ablativorum concursum; potest enim aliquo modo excusari (vide Gramm. Lat. § 278 a ed. tert.). Minus excusari potest delectatione post illud ad voluptatem otiose superadditum. Illud excusationem non recipit, quod modus vocum (singulari numero) prorsus inusitate de varietate et apta compositione dicitur. Omnia recta erunt, si ex duabus vocibus unam effeceris ad rem exprimendam aptam et necessariam: et vocum modulatione vincerent aurium satietatem.“ In eandem correctionem inciderat iam Orellius. § 191, ubi editur iunctio, restituendum esse coniunctio, ut Tusc. I, 71 me admonente factum est, editores recentissimos codex Bambergensis admonere debuerat; Lambinum video admonitione non eguisse. Questionis vox pro conquestione e Bruti et Oratoris singulis locis iam sublata est.

festum est non posse separari atque in duo genera dispesci. qui dici se Atticos desiderent, et qui ipsi Attice velint dicere; perspicue enim iidem sunt; sed qui hoc vitio sententiæ animadverso septem verba (*aut dici* .. *aut ipsi*) uncis incluserunt, nullam minimam probabilitatis speciem secuti sunt ipsamque Ciceronis sententiam obscurarunt. Obtrectatorum enim illorum, quos Cicero et hic et alibi non raro significat, duo genera fuerunt, quorum alteri, ut ait, ipsi Attice volebant dicere, alteri modestius non sibi ipsi hanc laudem arrogabant, sed negabant nunc Romæ, qui Attice diceret, esse, Ciceronem hac damnatione complectentes. Itaque ad sententiam nihil fere desideretur, si sic scribatur: *qui aut desiderant Atticos aut ipsi Attice volunt dicere.* Sed *dici se* vix errore additum esse potest; itaque in his litteris latere puto adverbium, quod pertineat ad notandum eum animi affectum, ex quo illud desiderium nascatur aut simuletur, videturque proximum esse ad litteras, sententiæ aptum **odiose** (*aut* **odiose** *desiderant Atticos*). (*Invidiose?*) Non minus temere paulo post delenda significantur verba: *quid enim sit Atticum, discant.*

Ibid. 44: *nam et invenire et iudicare, quid dicas, magna illa quidem sunt* . . . ., *sed propria magis prudentiæ quam eloquentiæ. Quæ tamen in causa est vacua prudentia?* Postrema hæc sana non esse et manifestum est et ab aliis animadversum; nam neque quæ *causa* hoc loco significetur, intelligitur, neque *vacua prudentia* quæ qualisve sit. Perspicuum est (*tamen*) subesse debere huiusmodi sententiam, etiamsi illud, de quo dicatur, proprium prudentiæ sit, tamen ea carere eloquentiam non posse. Scribendum videtur: *quæ tamen* **incauta** *st,* <si> *vacua prudentiā.* Eloquentiam prudentia vacuam Cicero dicit incautam esse nec ea vitare posse, quæ oratori obsint. Kayserum, quæ non intelligeret, simpliciter delenda significasse non miror.

illud mirarer, nisi mirari desissem, cur in proximis verbis summum esse tolli cum Bakio voluerit.

Ibid. 47: Nec vero utetur (orator) imprudenter hac copia, sed omnia expendet et seliget; non enim semper nec in omnibus causis ex eisdem argumentorum momenta sunt. Dure omitti videtur locis; sed gravius offendit, quod, ut nunc verba scribuntur, argumentorum momenta ex locis esse dicuntur, nec omnino apparet, quo momentorum nomen pertineat. Quid requireretur, senserat iam aliqua ex parte Lambinus; scribendum enim sine dubio est: non enim semper . . ex eisdem **<locis eadem>** argumentorum momenta sunt. Argumenta, quæ ex eisdem locis ducantur, non semper idem momenti habere dicit, sed modo gravioris, modo levioris ponderis esse. Oculus librarii in eisdem et eadem aberravit.

Ibid. 57: sed ille (in dicendo cantus), quem significat Demosthenes et Æschines, cum alter alteri obiicit vocis flexiones; dicit plura etiam Demosthenes illumque sæpe dicit voce dulci et clara fuisse. Verbum dicit quam esset pravum, sensit Ernestius tollique volebat; fortius Kayserus, ut solebat, hæc omnia: dicit plura . . . . fuisse notavit, unde orta essent, nihil curans. Ernestius quique alii locum tentarunt, caput vitii non attigerunt, quod vocabulo plura continetur; neque enim uter orator alterum probrorum multitudine superasset, dinumerare Ciceroni in mentem veniebat, sed singulare aliquod Demosthenis convicium in Æschinem coniectum notavit. Scripserat enim: alter alteri obiicit vocis flexiones, **Æschini plorare** etiam Demosthenes, significans Demosthenis locum, qui exstat de Cor. 287: *τῇ φωνῇ δακρύειν.* Priorem syllabam nominis Æschini hausit terminatio vocis præcedentis es. Deinde vix credo Ciceronem contra veritatem scripsisse, sæpe a Demosthene Æschinis vocem dulcem et claram

commemoratam esse, sed sic potius: illumque ipse dicit voce dulci et clara fuisse. Significatur locus, qui est de Cor. 313, ubi Æschines appellatur λαμπροφωνότατος.

Ibid. 70: nam et iudicabit, quid cuique opus sit, et poterit, quocumque modo postulabit causa, dicere. Valde vereor, ne post cuique exciderit causa.

Ibid. 73. In loco longiore, quam ut totus transscribatur, perspicuum est cum causali sententia, quæ sic decurrit: Cum hoc decere ..... quantum sit, appareat in alioque ponatur aliudque totum sit, utrum decere an oportere dicas cet., nullo modo coniungi hæc posse: cum hoc, inquam, decere dicimus, illud non decere, et id usquequaque non solum propter indicativum verbi modum, sed quod ipsa verba ne minima quidem ex parte causæ significationem ullam habent aut ad oratoris eius, quod deceat, servandi officium pertinent; quod tamen delendo editores inde a Lambino grassantur, non solum ideo temere fit, quod nulla additamenti probabilis origo demonstratur, sed etiam quod ipsa verba aptissima sunt ad declaranda ea, quæ proxime præcedunt: quod semper usurpamus in omnibus dictis et factis, minimis et maximis. Unum perversum est, quocumque modo verba accipiuntur, inquam, quoniam, neque si præcedentibus adiunguntur, neque si ad causalem sententiam trahuntur, ulla hic est orationis interruptæ redintegratio. Opinor Ciceronem sic scripsisse: Cum hoc decere (quod semper usurpamus in omnibus dictis et factis, minimis et maximis, cum hoc **uspiam** decere dicimus, illud non decere, et id usquequaque) quantum sit, appareat cet. Primum Cicero, quemadmodum sparsim et in singulis rebus decere et non decere aliquid dicatur, significat, deinde huius verbi usum et decoris iudicium ad omnia pervulgari dicit (et id usquequaque). Ac de tota quidem loci forma et cohærentia

nulla est dubitatio; si ex illo *inquam* aptius aliquid erutum fuerit, non repugnabo.

Ibid. 163: *Verba .. legenda sunt potissimum bene sonantia, sed ea non ut poetæ exquisita ad sonum, sed sumpta de medio:*

„*Qua ponto ab Helles*“

superat modum at auricos (alii codices: *tauricos*) *locorum splendidis nominibus illuminatus est versus, sed proximus inquinatus* cet. Qui difficilem hunc locum tractarunt, inter quos est etiam Lachmannus, non attenderunt in brevi illo versus fragmento: *Qua ponto ab Helles* nihil omnino esse, quod *superare modum* dici possit; deinde extrinsecus arcessunt et audacter inferciunt complura ad efficiendum illum versum, ad quem pertinet iudicium, quod sequitur, Ciceronis: *splendidis* cet. Quod requiritur, latet in ipsis illis verbis. Scriptum enim fuerat ad hunc modum:

„*Qua ponto ab Helles superat* **Tmolum et Taurios.**“

Locorum splendidis nominibus cet. Apparet, quam apte huic continuetur proximus versus: *finis, frugifera* cet. (Nihil obstat, quod alius quoque antiquus poeta apud Sen. Ep. 80, 7 *ponto ab Helles* dixit in definiendis Græciæ finibus.)

Ibid. 183: *neque enim ipse versus ratione est cognitus, sed natura atque sensu, quem dimensa ratio docuit, quid acciderit.* Scribendum esse **accideret**, periti admoniti intelligent, imperiti docendi non sunt.

Ibid. 221: *in veris causis aut forensibus.* Non delendæ erant duæ postremæ voces, sed scribendum: **ac** *forensibus.* [Schuetzius et.]

Ibid. 230: *Sunt etiam, qui .... infringendis concidendisque numeris in quoddam genus abiectum incidant Siculorum simillimum.* Ferri

non posse Siculorum complures intellexerunt, in corrigendo minus felices; nam ne cum versiculis quidem apte comparatur oratio membratim nimis concisa. Mihi in mentem venit **assiculorum**, ut assularum similis oratio huiusmodi dicatur.

Brutus. *)

§ 31: His (Gorgiæ et sophistis) opposuit sese Socrates, qui subtilitate quadam disputandi refellere eorum instituta solebat verbis. Huius ex uberrimis sermonibus exstiterunt doctissimi viri cet. Ablativum verbis prorsus vitiose abundare præsertim post illa, quæ præcedunt, subtilitate quadam disputandi, multi intellexerunt; sed æque certum est non debere simpliciter tolli vocabulum, quod cur quis addiderit, ne minima quidem causa fingi possit, atque sub eo aliud latere. Veri vestigium attigerat Orellius, qui adverbium ad Socratis refellendi formam notandam pertinens subesse suspicatus est; sed quod urbanissime scriptum fuisse coniecit, nimis a codicum scriptura discedit, quæcumque excogitatur superlativi forma. Longe probabilius ex solebat verbis efficitur solebat **acerbius**.

Ibid. 46: Itaque ait Aristoteles, cum sublatis in Sicilia tyrannis res privatæ longo intervallo iudiciis repeterentur, tum primum, quod esset acuta illa gens et controversa (codices

---

*) Bruti codices constat omnes satis esse recentes, ex uno aliquo antiquiore derivatos, nec nisi novis describendi mendis et corrigendi conatibus differre. Itaque vestigia remotiora subtilius persequendi nulla est facultas. Quæ hic proponuntur emendationes, fere omnes evulgatæ iam sunt in libro Hauniæ a. 1879 edito et sic inscripto: *Det philologisk-historiske Samfunds Mindeskrift*, p. 166 sqq.

fere controversia) natura, artem et præcepta Siculos Coracem et Tisiam conscripsisse. Qui gentem controversias libenter agitantem Latine controversam appellari posse defendat, nemo iam, opinor, est; quod autem Iacobsius controversiis nata scribi voluit nec paucos, qui assentirentur, habuit, mutatio plane improbabilis est, maxime in controversiis pro controversia substituendo, ut omittam vix recte controversiis natum eum dici, qui controversias amet. Multo lenius efficitur, quod et orationi et sententiæ aptissimum sit; scribendum enim sine dubio est: quod esset acuta illa gens et controversa **in ea iura**, artem cet. Et ingenium Siculorum et iura in ea gente incerta occasionem dedisse artis quærendæ Aristoteles dixerat. Quam facile ex in ea iura nasci potuerit natura, apparet.

Ibid. 73: in quo tantus error Accii fuit, ut his consulibus XL annos natus Ennius fuerit; cui si æqualis fuerit Livius, minor fuit aliquanto is, qui primus fabulam dedit, quam ii, qui multas docuerant ante hos consules, et Plautus et Nævius. Simpliciter scribendum, quemadmodum sententia postulat, quid pravi posita illa condicione sequatur, ostendens: cui si æqualis **fuit** Livius cet. Fuerit ex versu præcedenti errore huc irrepsit.

Ibid. 79: P. etiam Scipionem Nasicam, qui est Corculum appellatus, qui item bis consul et censor fuit, habitum eloquentem aiunt, illius, qui sacra acceperit, filium. Mire et perverse in notando sine ulla dubitatione certo homine coniunctivus ponitur; utrum **accepit** an **acceperat** Cicero scripserit, dubitari potest.*)

*) In proximis etiam sublato dicunt, quod, cum aiunt in alium depravatum esset, additum esse multi intellexerunt et ipse positus arguit (— necessario enim verba etiam L. Lentulum

Ibid. 109: Tuus etiam gentilis, Brute, M. Pennus facile agitavit in tribunatu C. Gracchum, paulum ætate antecedens; fuit enim M. Lepido et L. Oreste consulibus quæstor Gracchus, tribunus Pennus cet. Hic locus in Baiteri et Kayseri exemplo summo iure infelici signo notatus est; nec tamen mendum in adverbio facile sedem habet, pro quo sive valide sive facete substituas (— utrumque enim fuit qui commendaret —), relinquitur ac priore mutatione etiam augetur offensio ac suspicio, quæ ex eo nascitur, quod homo aliunde, si excipias de Off. III, 47, ignotus in tribunatu suo C. Gracchum ingenio et populi favore florentissimum et potentissimum facile aut valde agitasse dicitur (nam in tribunatu necessario cum agitavit coniungitur, ut ipsius Penni tribunatus intelligatur). Accedit, quod proximis verbis dicitur Pennus eo tempore tribunus fuisse, quo Gracchus quæsturam gereret necdum consilia et leges suas protulisset. Sed omnem de mendo dubitationem tollit, quod in codicibus non C. Gracchum paulum, sed paulum C. Gracchum scribitur, ut appareat C. Gracchi nomen omnino nihil ad præcedens verbum pertinere, sed tantum ad antecedens, Gracchumque a Cicerone cum Penno una ætatis comparatione coniungi. De ipso Penno quod Cicero dixit, totum continetur verbis facile agitavit in tribunatu; itaque ubi nunc agitavit scribitur, scriptum

primum locum obtinere debebant —), relinquitur aliquid scabri et vitiosi in hac coniunctione: etiam L. Lentulum . . . ., Q. Nobiliorem . . . . et T. Annium Luscum . . non indisertum dicunt fuisse; nam et coniunctio prave in tertio membro additur, et exspectabatur indisertos; sed correctio erroris pusilli incerta tamen est. Et quidem facillime ex deduxisset natum esse potest. Quod § 90 scribendum annotaveram: nihil recusans Galba pro sese populi Romani fidem implorans cum suos cet., sublata particula et post pro sese, occupavit Campius.

fuerat verbum aliquod per se sine obiecto, quid in Penno fuerit facultatis, declarans. Scripserat Cicero: facile actitavit in tribunatu, paulum C. Gracchum ætate antecedens cet. Facile Pennus cum plebe actitasse tribuniciisque actionibus aptus fuisse dicitur.*)

Ibid. 116: Habemus igitur in Stoicis oratoribus Rutilium, Scaurum in antiquis; utrumque tamen laudemus, quoniam per illos ne hæc quidem in civitate genera hac oratoria laude caruerunt. Et rhetorica orationis forma et ipsius sententiæ cursus et progressio ostendit scribendum esse: **Habeamus** igitur ...., utrumque tamen laudemus. Neque enim tamquam verum ponitur Rutilium in Stoicis oratoribus habendum esse, quorum omnino nullum erat certum genus aut nomen; sed ex iis, quæ præcedunt, summa sic concluditur, ut, si Rutilius et Scaurus oratores habendi sint, alter Stoicis ascribendus, alter antiquis dicatur.

Ibid. 131: Doctus etiam Græcis T. Albucius vel potius pæne Græcus; loquor, ut opinor; sed licet ex orationibus iudicare. Quod verbis doctus Græcis significari hic putatur, Latine dici doctus lit-

*) § 110 recte Peter post Aldum et Victorium erat ad sequentia traxit restituitque e codicibus in quibusdam laudandis viris .. probabilis .. industria; sed scribendum erat: quorum neuter summi oratoris habuit laudem et uterque in multis causis versatus <est>. Erat cet. Est quam sæpe post us exciderit, dixi et ante multos annos in appendice Asconiana p. 4 et in Adv. Crit. II p. 278. Hic quidem errorem etiam obiecit concursus verborum est et erat. Sententiam ipsam parum recte Peter enarravit. Cicero quod de Scauro et Rutilio dixit, transtulit communiter ad alios quosdam eiusdem ætatis viros, in quibus laudandis magis industriæ quam ingenii rationem habitam iudicat; deinde duobus tamen illis, Scauro et Rutilio, non tam ingenium omnino defuisse quam oratorium ingenium censet.

teris Græcis cum exempla declarant (ut § 169 et 175), tum ratio; neque enim umquam Græca sic absolute dicuntur. Sed etiamsi litteris addideris, remanet tamen vitium orationis in etiam, quod, quo referatur, non habet. Fortasse Cicero scripserat: Doctus etiam <in> Græcis T. Albucius vel potius pæne Græcus, ut Albucius, etiamsi cum Græcis compararetur nec Romana regula æstimaretur, doctus fuisse significaretur.

Ibid. 150: ætatesque vestræ ut illorum nihil aut non fere multum differunt. Prorsus perverse inter non et multum interponitur fere (longe enim aliter per se dicitur non ferme). Quod et sententia et loquendi usus requirit, efficitur leni transpositione: nihil fere aut non multum. Similem transpositionem in § 187 factam demonstrabo. Cum librarius omissam errore vocem in margine aut inter versus addidisset, pravo loco inserta est.*)

Ibid. 156: æqualitas vestra . . . tantum abest ab obtrectatione et invidia, quæ solet lacerare plerosque, uti cet. Lacerandi verbum ponitur de invidiæ vi et impetu in eos, quibus invidetur, expromendo; de ipsorum, qui invident, animi affectu molesto et angore macerare dicitur ut de similibus æstibus, quibus animi coquuntur et torquentur, idque verbum hic a Cicerone positum opinor.

---

*) In proxima paragrapho (151) adverbium una, ut nunc cetera scribuntur, prave ponitur omisso mecum nec omnino apte additur in ea re notanda, quæ proprie ad Sulpicium pertineat, non communiter ad eum et Ciceronem. Opinor a Cicerone scriptum fuisse: nam et in iisdem exercitationibus ineunte ætate fuimus et postea una Rhodi; nam ille etiam profectus est, quo melior esset et doctior. Sed hæc suspicio ex earum genere est, quibus difficile est nullis codicum vestigiis adiuvantibus verisimilitudinis notam imprimere.

Ibid. 169: omnium autem eloquentissimus xtra hanc urbem T. Betucius Barrus Asculaus, cuius sunt aliquot orationes Asculi habitæ, lla Romæ contra Cæpionem nobilis sane cet. ronomen ille, quod in re nota demonstranda poni solet, ic nullo modo ferri potest ante loci nomen (Romæ) potum, seiunctum ab ipsius orationis et eius nobilitatis gnificatione. Scribendum est: cuius sunt aliquot rationes Asculi habitæ, **una** Romæ, contra Cæionem, nobilis sane cet.

Ibid. 187: Quare tibicen Antigenidas dixerit iscipulo sane frigenti ad populum: „Mihi cane t Musis"; ego huic Bruto dicenti .. apud ıultitudinem „mihi cane et populo, mi Brute," ixerim cet. In hoc verborum ordine adverbium sane ecessario cum frigenti coniungitur exoriturque affirmatio ; concessio prorsus inepta, negari non posse populo tibicinem lum displicuisse; hanc autem ipsam significationem alio ›co plane requirit sententia; nihil enim se recusare icero dicit, quin sic Antigenidas loquatur, sibi Brutum iter alloquendum esse. Scriptum igitur fuerat: Quare ibicen Antigenidas dixerit sane discipulo frienti ad populum cet. Prorsus gemina hæc correctio st ei, qua paulo ante § 150 usi sumus *)

Ibid. 197: At vero, ut contra Crassus ab ado-

*) Simili transpositione ante plus quinquaginta annos (Emendationes Ciceronis librorum de Legg. et Acad. p. 171) alium Bruti locum sanavi (§ 230), ubi omnia recta et plana sunt, si sic scribitur: si quidem et Crasso vivo dicere solebat (Hortensius) et magis iam etiam vigebat cum Antonio et, Philippo iam sene pro Cn. Pompeii bonis dicente, in illa causa, adolescens cum esset, princeps fuit cet. In codicibus scribitur: vigebat Antonio et cum Philippo. Non desierunt editores satagere prave enarrando aut violentissime mutando.

lescente delicato, qui in litore ambulans scalmum repperisset ob eamque rem ædificare navem concupivisset, exorsus est, similiter Scævolam ex uno scalmo captionis centumvirale iudicium hereditatis effecisse, hoc in illo initio consecutus, multis eiusdem generis sententiis delectavit animosque omnium, qui aderant in hilaritatem a severitate traduxit. Ex verbis hoc consecutus nulla omnino sententia effici potest; nam quod fuit, qui hoc de delectatione animorum intelligeret, quæ postea proprio verbo ablativisque ei adiunctis significatur, refutatione indignum est. Et tamen perspicuum est initio cum delectavit coniungendum esse; nam delectatio ex ridiculo illo initio nasci cœpta reliqua deinde oratione aucta confirmataque est. Præpositionem in ante initio prave poni Ernestius sensit. Scripserat Cicero: hoc ille (illico?) initio, consecutis multis eiusdem generis sententiis, delectavit cet. [Ille pro in illo scribendum esse iam alii suspicati sunt. Quid, quod ipsum consecutis et ex codice aliquo et antiqua editione annotari video, pro quo Schuetzius consecutisque scripsit? Nostræ ætatis editoribus hoc ne mentione quidem dignum visum est.] Sed restat dubitatio in delectavit absolute posito, cum præsertim obiectum huic verbo aptissimum subiiciatur alii verbo (traduxit) adiunctum. Sine dubio scribendum est: delectavit animos omnium, qui aderant, <et> in hilaritatem a severitate traduxit.

Ibid. 220: itaque cum ei (C. Curioni) nec officium deesset et flagraret studio dicendi, perpaucæ ad eum causæ deferebantur; orator autem vivis eius æqualibus proximus optimis numerabatur propter verborum bonitatem cet. Quod Kayserus verba vivis eius æqualibus uncis inclusit, delendi, quæ nemini addere in mentem venire potuit, teme-

ritas hoc tamen loco excusatur, quod recte sensit inepte dici aliquem vivis eius æqualibus oratorem bonum habitum esse. Quid æquales de aliquo iudicent iudicarintve, quid posteri, quæritur, non quid vivis æqualibus iudicatum fuerit; mortui enim nihil iudicant. Sed mendi manifesti difficilis et incerta correctio est, nisi quod præpositio ab necessario requiri videtur (ab æqualibus .. numerabatur). Hoc persequens vestigium originem mendi me repperisse puto positam in omissione aliquot litterarum, quod eædem aut prope eædem bis scribendæ essent. Opinor enim Ciceronem scripsisse: orator autem <**a tem**>**poris** eius æqualibus proximus optimis numerabatur. Sæpius enim Cicero non modo hominis aut rei, sed etiam temporis et ætatis æquales dixit.

Ibid. 234: qui (Cn. Lentulus) cum esset nec peracutus, quamquam et ex facie et ex vultu videbatur, nec abundans verbis, etsi fallebat in eo ipso, sic intervallis, exclamationibus, voce suavi et canora, admirando irridebat, calebat in agendo, ut ea, quæ deerant, non desiderarentur. Hic quoque manifestissimi mendi, de quo nemo dubitat, difficilis emendatio est, sed tamen ita, ut aliquid sit certi. Neque enim dubitari potest, quin in Lentulo duo dicantur excelluisse, alterum positum in verborum et pronuntiationis forma, alterum in actionis calore, utrumque suo verbo notatum, altero ad ablativos præcedentes (intervallis cet.) accommodato, altero ad illud in agendo. Itaque apparet anaphoræ figura Ciceronem usum sic scripsisse: sic intervallis .... † irridebat, <**ita**> calebat in agendo, ut cet. Deinde illud quoque certum est, tribus illis ablativis, qui priori verbo adiunguntur, non potuisse addi quartum gerundii ablativum (admirando) ad effectum illarum trium rerum spectantem, cum præsertim, quodcumque verbum pro irridebat posueris, ipse Lentulus admirari dicatur, non alii Lentulum.

Opinor Ciceronem scripsisse: sic intervallis, exclamationibus, voce suavi et canora **ad mirandum illiciebat, <ita>** calebat in agendo, ut cet. Præpositione cum verbo conflata accommodatum gerundium videtur ablativis præcedentibus. Nihil tamen affirmo nisi de universa loci forma.*)

Ibid. 238: at (erat in C. Macro) in inveniendis componendisque rebus mira accuratio, ut non facile in ullo diligentiorem maioremque cognoverim. Accurationis nomen, quod neque apud Ciceronem alibi neque apud quemquam bonum scriptorem legitur, eo magis suspicionem movet, quod, si in usu omnino fuisset, multiplex eius ponendi occasio fuisset, et quod ipsum adiectivum accuratus nusquam de personis in virtutis aliquo genere notando dictum reperitur. Recte contra dicitur, quod a Cicerone scriptum puto: mira **cura et ratio.** Apparet, quam facile, si scriptum errore fuit mira curacratio, inde nasci potuerit accuratio.

Ibid. 249: Quid igitur de illo iudicas, inquam, quem sæpe audivisti? Sic Ciceroni de Marcello quærenti Brutus respondet: Quid censes, inquit, nisi id, quod habiturus es similem tui? Quod hic Ciceronem pro eo, quod est censes te habiturum esse similem tui, dixisse putant censes id, quod habiturus es s. t. (aliter enim enarrari hæc non possunt), nihil potest magis barbarum esse; ne tertio quidem post Christum sæculo quisquam sic dicturus erat indicativo modo (es) additoque id. Accedit, quod prave ponitur futurum

*) Ad deterrendos homines a coniecturis temere tentandis utile esse potest, quod hoc loco Kayserus scripsit: admiranda dignitate valebat in agendo, sublato altero verbo, altero depravato, effectoque hoc orationis monstro: intervallis, exclamationibus .... admiranda dignitate valere in agendo.

tempus (habiturus es), quoniam de oratore iam pridem claro et consulatu functo dicendum erat habes. Perspicuum est igitur summam responsi et iudicii Bruti contineri his verbis coniunctis: Quid censes nisi similem tui (me eum iudicare)? Quæ interponuntur verba, id quod habiturus es, pertinent ad declarandum, quid ipse Cicero de hoc Bruti iudicio sensurus sit. Scriptum fuerat: Quid censes, inquit, nisi (id quod **agniturus** es) similem tui? Brutus Ciceronem ipsum hanc Marcelli similitudinem agniturum esse significat. His aptissime adiunguntur ea, quæ sequuntur.

Ibid. 265: 'L. Torquatus, quem tu non tam cito rhetorem dixisses, etsi non deerat oratio, quam, ut Græci dicunt, *πολιτικόν*. L. Torquatus rhetorne esset ac dicendi magister, nemo quærebat; id unum agebatur, oratorne esset an tantum homo rei publicæ peritus. (De Græco nominis, quod est *ῥήτωρ*, usu cogitari eo minus potest, quod in altero ipso *τοῦ πολιτικοῦ* nomine Græci usus proprietas a Latino separatur.) Ipsum, quod adiungitur: etsi non deerat oratio, lusu quodam verborum ostendit, quid Cicero scripserit: non tam cito **oratorem** dixisses, etsi non deerat oratio, quam, ut cet. Mendum natum est ex citoratorem, semel scripta littera o; tum enim ex ratorem factum est rhetorem.*)

Ibid. 304: exercebatur una lege iudicium Varia ceteris propter bellum intermissis, cui

*) § 296 oratio sic interpungenda est: assentior, sed tamen non isto modo (quo tu loqueris); ut Polycliti doryphorum sibi Lysippus aiebat, sic tu suasionem legis Serviliæ tibi magistram fuisse (aiebas); hæc germana ironia est. In ea interpunctione, quæ in editionibus est, particula ut perverse inter priora et id, quod sequitur, sic distrahitur.

frequens aderam, quamquam pro se ipsi dicebant oratores non illi quidem principes, L. Memmius et Q. Pompeius, sed oratores tamen cet. Quemadmodum se torserint editores et enarratores, ut reperirent, quid contrarii aut correctionis hoc loco particula quamquam significaretur aut quid omnino cum illius particulæ usu coniunctum, supervacaneum est persequi. Quæ Orellius enarrando et verborum ambagibus tentaverat, recte Peter repudiavit; sed nihilo melius ipsi duplicem enarrandi conatum successisse ipse sensisse videtur. Opinor scribendum esse: cui frequens aderam, **quoque** pro se ipsi dicebant oratores non illi quidem principes cet.

Ibid. 312: Itaque prima causa publica pro Sex. Roscio dicta tantum commendationis habuit, ut non ulla esset, quæ non digna nostro patrocinio videretur. Etiamsi non offendat, de quo dixi ad Finn. III, 50, non ulla pro nulla positum, ipsa sententia, si diligentius attendas, perversa est. Ex felici primæ novi oratoris causæ eventu non efficitur, ut omnes causæ ab eo agi debere videantur eiusque patrocinio dignæ esse (quod longe aliud est quam eius patrocinium ab omnibus expeti); verus splendidi successus fructus is est, ut novus orator eo loco habeatur, quo non minima quæque causa aspirare possit, sed quædam causæ infra eius dignitatem esse iudicentur. Hæc sententia efficitur tolliturque offensio geminata una littera: ut **nonnulla** esset, quæ non digna nostro patrocinio videretur.

Ibid. 325: aliud autem genus (eloquentiæ) est non tam sententiis frequentatum quam verbis volucre atque incitatum, quali est nunc Asia tota cet. Quicumque aut ratione perspexit aut consuetudine et sensu percepit, quibus finibus contineatur ablativi cum verbo esse usus in declarandis iis, quæ hominis reive alicuius propria sint (quem ablativum qualitatis appellare consue-

imus), breviter admonitus facillime sentiet prorsus fieri on posse, ut Asia (Asia tota) dicatur esse hoc vel illo ;ali) genere eloquentiæ, quod neque genus eloquentiæ roprietas (qualitas) rei hominisve intelligi appellarive po- ɔst neque Asiæ toti tamquam personæ huiusmodi pro- rietas tribui. Mendi, quo oratio laborat, et origo per- ɔicua et correctio facillima est; scripserat enim Cicero: ualе est nunc Asiā totā. Cum in qualest (quale t) vocalis deesse videretur, prave pro e additum est i. imile aliquid in § 265 accidisse vidimus. [Sic iam in ditione antiqua Norimbergensi scribi apud Orellium anno- ıtur.]

Cap. II.

Ciceronis orationes.*)

Pro Quinctio 63 (ubi redarguit orator Nævii querelam, uinctium iudicium non accepisse nec defensum esse): ostulabam, inquit (Nævius), ut satisdaret (Quinc- us). — Iniuria postulabas; ita videbare; recu- abat Alfenus. — Ita, verum prætor decernebat. orrupta esse verba ita videbare, manifestum est et ab liis intellectum; nam ut orationis formam omittam, quæ ɔcta esset, si scriberetur: Iniuria postulare videbare, on, quid nescio cui visum sit, Cicero dicit, sed simpliciter firmat Nævium iniuria, ut satisdaretur, postulasse. Scrip-

*) In orationibus Ciceronis pro Quinctio, pro Cæcina quattuorque extremis Philippicarum coniecturæ quædam meæ apud Kayserum in contextu positæ aut in annotatione commemoratæ sunt, nullo addito indicio, ubi editæ a me explicatæque essent. Breviter igitur significandum puto, earum causas explicatas esse in epistola ad Halmium, quæ inserta legitur annalium philologicorum Lipsiensium volumini LXXIII p. 117 sqq. Attendi maxime cupio ad ea, quæ de § 2 orationis pro Cæcina disputavi.

sisse Cicero videtur: Iniuria postulabas; **itaque videbare.**

Ibid. 73: Hæc est iniqua certatio, non illa, qua tu contra Alfenum equitabas; huic ne ubi consisteret quidem contra te, locum reliquisti. Ne hic quidem mendum coargui opus est, quoniam omnium consensu manifestum est. Apparet desiderari non solum absolutionem sententiæ prioris (qua tu contra Alfenum), sed præterea aliquid, cui contrarium subiiciatur hoc: huic ne cet.; nam præcedere debet æquioris cum Alfeno concertationis significatio et nomen aut pronomen, cui contrarium referatur huic. Depravandæ orationis causa fuit sine dubio bis positum Alfeni nomen et oculi ab altero ad alterum nomen aberratio. Cicero enim ad hanc formam scripserat: Hæc est iniqua certatio, non illa, qua tu contra Alfenum <utebare. Aliquid tamen Alfeno> **æqui dabas**; huic ne ubi — — — reliquisti. De singulis verbis nihil affirmari potest.

Pro Roscio Com. 17: Q. Roscius — Quid ais? Nonne, ut ignis in aquam coniectus continuo restinguitur et refrigeratur, sic refervens falsum crimen in purissimam et castissimam vitam collatum statim concidit et exstinguitur? — Roscius socium fraudavit. Potest hoc homini huic hærere peccatum? Apparet refervens crimen per se prave et inusitate dici, si cum collatum coniungatur, alterumutrum participium prorsus abundare, cum præsertim hoc comparationis membrum superiori sic respondeat, ut duobus verbis (restinguitur et refrigeratur) duo verba exæquentur, uni participio unum participium referri debeat, duo vitiose referantur. Cicero scripserat tantum: sic refervens falsum crimen in purissimam et castissimam vitam statim concidit et exstinguitur? Ad interpretandum participium

refervens, quod similitudine ab aqua ebulliente et rem aliquam aspergente transfertur ad crimen, ascriptum est usitatius in hac re vocabulum collatum. Vitium orationis sensit Lambinus, sed aberravit, cum refervens sustulit, collatum reliquit.

Pro Tullio 35 et 36: absolvantur omnes de simili (cod. T des..ili) causa necesse est. Hoc solum bona mehercule si hoc solum esset, tamen vos, tales viri, cet. Sublatis duabus vocibus, quæ scribendo male præceptæ sunt (Hoc solum), omnis difficultas removetur: absolvantur omnes de simili causa necesse est; bona mehercule. Si hoc solum esset, tamen cet. Cum ironia orator affirmat bonam sane illam absolvendi causam esse.

Ibid. 54: Hoc sequitur, ut familia M. Tullii concidi oportuerit? Pudet confiteri ne me ipsum quidem, priusquam a Siesbyeo meo admonerer, restituisse: ut familiam Tullii concidi oportuerit.

In Verrem act. II lib. I, 79: Video enim et ex iis, quæ legi et audivi, intelligo, in qua civitate non modo legatus populi Romani circumsessus, non modo igni, ferro, manu, copiis oppugnatus, sed aliqua ex parte violatus sit, nisi publice satisfactum sit, ei civitati bellum indici atque inferri solere. Hæc sic scribuntur, tamquam legatus populi Romani contrarius ponatur minoris dignitatis homini (verbi causa: non modo legatus, sed tribunus); verum sententia posita est in gravioris iniuriæ et levioris in eadem legati persona comparatione. Itaque Cicero scripserat alio verborum ordine: in qua civitate legatus populi Romani non modo circumsessus, non modo igni, ferro, manu, copiis oppugnatus, sed aliqua ex parte violatus sit, nisi quis audacius suspicari vult Ciceronem tantum posuisse: in qua civi-

tate legatus populi Romani non modo igni, ferro, manu, copiis oppugnatus cet. [Priorem coniecturam occupaverat Hotomannus; Orellius ascripsit: „nihil opus“ !]

Ibid. 134: Habonius, qui legem nosset, qua in lege numerus tantum columnarum traditur, perpendiculi mentio fit nulla, et qui non putaret sibi expedire ita accipere, ne eodem modo tradendum esset, negat id sibi deberi, negat oportere exigi. Etiamsi tradendi verbum in toto hoc loco et in hac re non per se ad operis a priore redemptore ad novum transitionem necessario pertineret, tamen de numero columnarum in lege operi faciundo indicato non poneretur quasi de memoria rei ad posteritatem prodenda, neque in lege numerus columnarum indicabatur, sed, ut ad numerum traderentur, præscribebatur. Apud Priscianum pro traditur scribitur traderetur. Opinor Ciceronem scripsisse: qua in lege numerus tantum columnarum tradi iubetur, perpendiculi mentio fit nulla.

Ibid. II, 22 (postquam Cicero dixit de Nævio Turpione a Verre ad hereditatem a Dione petendam apposito): Etenim erat eiusmodi causa, ut ipse prætor, cum quæreret calumniatorem, paulo tamen consideratiorem reperire non posset. Hunc hominem Veneri absolvit, sibi condemnat cet. In hac orationis forma nullis machinis effici potest, ut non hunc hominem Cicero Nævium Turpionem significet. Atqui Nævius accusator neque damnari neque absolvi potuit, sed Dio. Id cum Hotomannus intellexisset, pro hunc scribi voluit hic. Sed neque hic aptum est, neque hominem recte de Dione dicitur. Sine dubio verba quædam interciderunt, cum Cicero in hanc aut similem formam scripsisset: Hunc hominem <cum apposuisset, Dio-

ném> Veneri absolvit, sibi condemnat. Significat Dionem a Nævio accusatum et absolutionem pecunia a Verre emere coactum esse.

Ibid. 31: si vero illud quoque accedit, ut in ea verba prætor iudicium det, ut vel L. Octavius Balbus iudex ..... non possit aliter iudicare; si iudicium sit eiusmodi: L. Octavius ......, non necesse erit cet. Apparet servato in geminata particula si eodem verbi modo scribendum esse: si iudicium st eiusmodi; alioquin Cicero scripsisset: ut iudicium sit eiusmodi. Idem mendum permultis locis correxi.*)

Ibid. III, 65 (de Apronio): ut, quicum vivere nemo umquam nisi turpis impurusque voluisset, ad eius convivium spectatissimi atque honestissimi viri tenerentur. Sic Halmius e codice Lag. 42 et φ (Fabriciano) scripsit pro eo, quod antea ex ceteris edebatur: quocum inire convivium nemo. Apparet eam vitæ quotidianæ coniunctionem, quæ significetur, cum vivere cum aliquo dicamur, hic a Cicerone significari non potuisse, sed cum ipsius convivii societate comparari longe humiliorem eorum condicionem, qui spectatores convivii

---

*) Ibid. 54 omnia recte in Baiteri et Kayseri exemplo ita scribuntur ut in optimis codicibus (Lagg. 29 et 42) a prima manu et in aliis, nisi quod editores mendi notam apposuerunt. Cicero significat Verrem, cautum hominem, ne sibi præda aliquo casu e manu elaberetur, statim curasse, ut aliquid præsens et numeratum haberet. § 176 recte Ernestius vidit scribendum esse: tantum mihi licet dicere, quantum possim (pro possum), tantum iudici suspicari, quantum velit, servato in membris inter se relatis eodem verbi modo. In § 180 quemadmodum oratio distinguenda esset, dixi in Ep. ad Orell. p. 90, ad quam admonitionem si Kayserus attendisset, inanem suspicionem omisisset.

turpissimi hominis retineantur. Itaque, nisi deteriorum codicum scripturam retinere malumus aberratumque in duorum optimorum archetypo putare, ex eorum vestigiis efficiendum est: quicum convivari nemo cet. Facillime error oriri poterat ex concursu syllabarum cum et con.*)

Ibid. 81: statuit senatus hoc, ne illi quidem esse licitum, cui concesserat omnia, a populo factarum quæsitarumque rerum summas imminuere. Rem facere de privato homine familiares opes sibi parante recte et usitate dicitur; res facere (plurali numero) aut res ab aliquo factæ nusquam dicitur, nedum res a populo factæ. Agitur hoc loco de pecuniis, quæ ex licitatione et redemptione populo a publicanis debentur. Scriptum igitur fuerat: populo pactarum quæsitarumque rerum. Præpositio orta est ex geminata littera, quæ præcedit (omnia). Populo res a censoribus pactæ quæsitæque erant, non a populo.

Ibid. 83: Audistis, quanti decumas acceperit a Docimo civitas, tritici modium $\overline{V}$ et accessionem. Mirifica hæc est oratio: quanti ..... millia et accessionem. Acestenses decumas suas acceperunt (hoc est: Docimo enormi pretio addictas ipsi redimere coacti sunt) tritici modium $\overline{V}$ et accessione (HS MIↃ, quam tritico Verres in addicendo ascripserat). Atque hanc correctionem, quoniam iam a Lambino et Schuetzio factam video, omisissem, nisi recentissimi editores inde ab Halmio totius loci sententiam prorsus evertissent unius codicis alioquin sane boni (Lag. 42) mendo (tantundem) pro ceterorum verissima scriptura (tantidem) in orationem inducto. Omnis rei agendæ modus per se per-

*) § 48 certum est mendosum esse in earum rerum iure. sed quid sub rerum iure lateat, non reperio. (Earum munere?)

spicuus manifestissime exponitur paragrapho sequenti de A. Valentio et Liparensibus et deinde multis locis. Qui tantundem scripserunt, debuerant simul in his verbis, quæ præscripsimus, quantum scribere, non quanti, ut in errore sibi constarent.

Ibid. 85: Itaque qui tot annis agellos suos te prætore redimere a piratis solebant, iidem se ipsos abs te pretio imposito redemerunt. Demonstrativum tot neque, quo referatur, habet nec aptum est ad trium annorum spatium. Scribendum est qui **quotannis**. Annua pactio cum piratis facta aptissime significatur.

Ibid. 118 oratio sic interpungenda est: Nummos dabat arator. Quomodo aut unde? Qui si largissimus esse vellet, cumulatiore mensura uteretur, ut antea ..... venibant, is nummum dabat. Unde?

Ibid. 134: tu Apronium, hominem vix liberum, contaminatum ...., eum in tanto tuo dedecore profecto ne verbo quidem graviore appellasses, neque apud te tam sancta religio societatis fuisset, ut ...., nisi rem tam notam esse omnibus et tam manifestam videres. Manifestum est hoc dici, Verrem, nisi rem omnibus notam esse videret, profecto suæ existimationis conservandæ causa in Apronium animadversurum, saltem graviter eum increpiturum fuisse. Atqui, ut nunc scribitur, aperte contrarium dicitur, Verrem ne gravi quidem verbo appellaturum fuisse. Cicero scripserat: profecto <**non**> ne verbo quidem graviore appellasses (hoc est: profecto non tam leniter tractasses, ut ne verbo quidem graviore appellares), neque apud te tam sancta religio societatis fuisset cet. Non intellecta orationis forma, in qua, quod negando tollitur (non), ipsum negative effertur (ne — quidem), principalis

negatio omissa est. Eandem orationis formam habet Cæsar B. G. VII, 47, 5 et Plin. Paneg. 17 restituit Gesnerus (nec non modo). Omitto similem negationum concursum cum dicitur: non quia —, idcirco non et similia. Senserat sententiæ vitium Manutius. [Non addi voluit Ernestius, sed ante profecto.]

Ibid. 159 (ubi agitur de suspicione a Timarchide in Metelli filium coniecta): O Timarchide, Metelli est filius in provincia non puer, sed adolescens pudens ac bonus, dignus illo loco ac nomine. Non minus a Ciceronis usu abhorret hæc orationis aversio ad hominem contemptum, qui nusquam iudicio adesse significatur (— nam testium, in quos orator invehitur, alia est causa —), quam præposita vocativo interiectio. Codex optimus (Lag. 42) scriptum habet Timarchidi, ex quo manifestissima enascitur emendatio: Os Timarchidi! Interponitur exclamatio indignantis de impudentia hominis; deinde oratio redit ad rem et ad iudices.

Ibid. 176: Mala est hæc quidem, ut dixi, defensio ac potius perdita maximorum peccatorum, huius autem et iniquitatis et inertiæ confessio, non defensio criminis; sed tamen hac ipsa tibi, si uti cupias, non licet. Apparet vitiose et inconcinne bis poni defensionis nomen ac primum malam dici defensionem, deinde negari defensionem esse. Sed codices præstantissimi V et F et mendum sic coarguunt, ut pluribus verbis uti non opus sit, et emendationem clare monstrant; sic enim in iis scribitur: Mala est hæc quidem, ut dixi, ac potius perdita maximorum peccatorum, huius autem iniquitatis et inertiæ confessione (confession. F) defensio criminis. Hinc facillime nascitur, quod ex omni parte satisfaciat: Mala est hæc quidem, ut dixi, ac potius perdita <e> maximorum peccatorum, huius autem et

iniquitatis et inertiæ confessione defensio criminis; sed tamen hac ipsa cet.*)

Ibid. IV, 54: ipse tamen prætor . . . . . in hac officina maiorem partem diei cum tunica pulla sedere solebat et pallio. Nihil contrarii significatur, sed continuatur et augetur eiusdem rei et studii descriptio. Itaque scribendum est: ipse **autem** prætor cet.

Ibid. 98 (de P. Scipione antiqua monumenta non artis contemptu suis sedibus relinquente): nam quia, quam pulchra essent, intelligebat, idcirco existimabat ea non ad hominum luxuriem, sed ad ornatum fanorum atque oppidorum esse facta, ut posteris nostris monumenta religiosa esse videantur. Accidit mihi hic, quod interdum alibi, ut, quia nec in codicibus ulla est minima mendi nota nec cuiquam e prioribus suspicionis aliquid obortum videtur, mihi ipse primum diffidam hærenti ac dubitanti, deinde quasi veritatis quodam convicio animi sententiam proferre cogar faterique gravem mihi ac certum errorem latere videri. Nam postrema hæc verba: ut posteris nostris cet. nullo modo cum superioribus recte cohærent; præterquam enim quod Ciceronis de Scipione iudicium terminari debet in hac contrariorum relatione: non ad hominum luxuriem, sed ad ornatum cet., ut reliqua ignave adhærere et trahi videantur, manifestissime vitiosa sunt primum posteris nostris, quoniam Scipio de posteris omnino aut saltem de suis cogitare debebat, deinde videantur, pro quo necessario

---

*) § 206, ubi in proponenda ex defensoris persona excusatione inepta est particula quidem, scribendum est simpliciter e codice Vat.: Fecerunt alii. Quid? Alia quam multa? Cur cet. Excusationi interrogando subiicitur refutatio, alia etiam multa alios fecisse, ut, si illa excusatio recipiatur, multo latius pateat.

dicendum erat viderentur. Utrumque (nostris et videantur) tum demum ferri potest aptissimumque fit, si separatim aliquid de Ciceronis aequalibus iis, quae de Scipione dicta sunt, adiungitur. Perspicuum mihi videtur hanc Ciceronem scribendi formam secutum esse: . . . ad ornatum fanorum atque oppidorum esse facta <Vos facite,> ut cet. Omnem hunc locum Cicero concludit iudices exhortando ad severe huiusmodi monumentorum violationem puniendam et exemplum posteritati prodendum. De ipso supplemento hoc unum affirmaverim aberratum esse a facta ad facite; possunt enim paulo plura excidisse velut <Vos severe vindicando facite> aut similia.

Ibid. V, 119: Atque ipsi etiam adolescentes cum Sextio suo de plaga et de uno illo ictu loquebantur cet. Ineptissimo in miserabili re et oratione ioco (nam iocus esse debet) carnifex appellatur suus. Scribendum aperte: sua de plaga. Pronomen ad praecedens nomen accommodatum est.

Ibid. 186: teque, Hercules, quem iste Agrigenti . . . . . . convellere ex suis sedibus atque auferre conatus est. Scribendum esse ex tuis, non opinor argumentis demonstrandum esse.

Pro Fonteio 5: Duorum magistratuum, quorum uterque in pecunia maxima tractanda procurandaque versatus est, triumviratus et quaesturae, ratio sic redditur, iudices, ut in iis rebus . . . . nulla significatio furti, nulla alicuius delicti suspicio referatur. Rationes bene et recte relatae efficiunt, non ut nulla suspicio referatur, quod quid sit, omnino nescio, sed ut nulla **reperiatur.***)

---

*) § 2 pro eo, quod scribitur: an vos in errorem ducere velit, admodum suspicor scribendum esse **inducere**. quod

Ibid. 17: Dubitabitis etiam diutius, iudices, quin . . . . . verissimum sit, aliud per hoc iudicium nihil agi, nisi ut M. Fonteio oppresso testimoniis eorum, quibus multa rei publicæ causa invitissimis imperata sunt, segniores posthac ad imperandum ceteri sint, cum videatis eos oppugnare, quibus populi Romani imperium incolume esse non possit? Sic in antiquissimo codice (Vat.) scribitur extrema parte sententiæ aperte fracta et manca; in codice Salisburgensi aliisque pro videatis scribitur videant, deinde oppugnari, quibus oppressis populi Romani imperium incolume esse non possit. Qui diligentius ad sententiam attenderit, facile animadvertet neque eos solos, qui oppugnent, nominari debere (quam verborum supplendorum rationem Niebuhrius secutus est ab Orellio hactenus iure reprehensus), neque eos, qui oppugnentur (quam supplendi viam Orellius cum codicibus inferioribus tenet), sed ex utrorumque comparatione et coniunctione argumentum duci. Itaque, quod etiam codicum in oppugnare et oppugnari dissensus arguit, ex ipsa verborum in utroque genere notando similitudine natus est error, cum sententia ad hanc formam a Cicerone composita fuisset: eos oppugnare, quibus <vincentibus, eos autem oppugnari, quibus> oppressis populi Romani imperium incolume esse non possit. Tenui ex Salisburgensi oppressis, quod tum manifestior est librarii a priore quibus ad alterum aberratio; rhetorica orationis figura perfectior erit,

---

Ciceronis et aliorum usus requirit; nam aliter apud Horatium A. P. 31 culpæ fuga in vitium ducere dicitur, de rei effectu, non de animi affectu et errore. Facillime in post m intercidere poterat. [In cod. Cusano, e quo fragmenta quædam Ciceroniana protraxit Kleinius, scribi video in errorem indici, supra i posito u.]

si eiusdem verbi participia ponentur: quibus vincentibus .... quibus victis, et potest oppressis, præterquam quod auctoritas codicis Vaticani præstantior est, videri interpolando ortum esse natumque ex eo, quod paulo supra positum est, oppresso. Itaque de hoc nihil affirmo; de sententiæ et orationis forma nulla est dubitatio. Sed tamen in verbo præcedenti apertissime codicis Vaticani auctoritatem Salisburgensis et ceteri vincunt, quod habent: cum videant, non videatis. Perspicue enim agitur, non quid iudices videant, sed quid ii, qui post Fonteium provinciis præfuturi sint, et quemadmodum illi huius iudicii eventu moveantur.

Pro Cæcina 51: Quæ lex, quod senatus consultum, ... quod fœdus aut pactio, quod, ut ad privatas res redeam, testamentum, quæ iudicia aut stipulationes aut pacti et conventi formula non infirmari ac convelli potest, si ad verba rem deflectere velimus ...? Mendum hic subesse arguunt cum vocabula iudicia et stipulationes perverse plurali numero ceteris singulari numero positis interiecta, tum omissum quæ, quod necessario ante pacti et conventi addi debebat, si ad hæc sola nomina pertineret, quod sequitur, formula iisque adiunctum novum contineret sententiæ membrum. Emendatio facillima est. Scribendum est enim: quæ **iudicii** aut **stipulationis** aut pacti et conventi formula. Cum antiquo more genetivo casu scriptum esset iudici, librarius vocali, quæ sequebatur, geminata iudicia effecit, eique accommodatum est stipulationes. Videre libet nunc, quantas turbas mendum pusillum animadversum aliqua ex parte, sed non perspectum excitaverit; nam Bakius scribendum coniecit fiducia aut stipulatio aut; Kayserus omnia hæc iudicia aut stipulationes aut uncis inclusit forti, ut solebat, remedio usus. Et tamen ipse, quid requireretur, obscure senserat,

cum dixit Bakium saltem fiduciæ aut stipulationis aut scribere debuisse.*)

Ibid. 54: Hac actione Appius ille Cæcus uti non posset, si tam vere homines verba consectarentur, ut rem, cuius causa verba sunt, non considerarent. Nihil loci esse in verbis consectandis veritati (vere) manifestum est, sed nihilo aptior, quam alii scribendo substituunt, severitas (severe), nec omnino de gradu ullius rei in verbis consectandis (tam), sed de ipso modo verba consectandi agitur. Lenissima correctione litteris rectius distributis verum efficitur: si ita in iure homines verba consectarentur cet. Initium erroris fuit i littera semel scripta, cum bis scribi deberet (sita), deinde in in m mutatum ad explendam vocem (tam); tum ex iure factum uere.

Ibid. 55: Neque enim dubium est, quin, si ad rem iudicandam verbo ducimur, non re, familiam intelligamus, quæ constet ex servis pluribus, quin unus homo familia non sit. Necessario ad unam particulam quin initio positam refertur sententia ex duobus membris contrarie relatis ἀσυνδέτως conflata: familiam intelligamus, quæ c. ex s. p., unus homo familia non sit. Itaque tollendum est alterum quin, pro quo saltem ponendum erat et quin, sed cum sententiæ detrimento.

Ibid. 69: Deinde si de iure vario quidpiam iudicatum est, non potius contra iuris consultos statuunt, si aliter pronuntiatum est, ac Mu-

*) § 33 oratio sic interpungenda est: Audire cupio, qui in pace et otio, cum manum fecerit, copias pararit . . . . ., hoc dicat: Feci equidem cet. Vix fore Cicero significat, qui sic se defendat. Ut vulgo interpungitur, ut de verbis hoc dicat taceam, aut qui aut cum prorsus abundat nec ferri potest

cio placuit, quam ex eorum auctoritate, si, ut Manilius statuebat, sic est iudicatum. Recte olim intellexeram verbum, quod est statuunt, pravo tempore positum esse; non animadverteram infinite (impersonaliter, ut vulgo loquimur) ponendum fuisse ut reliqua in hac sententia verba. Etiam ad codicum vestigia proxime accedit vera scriptura, quæ hæc est: **statutum st, si.** Facillime st excidit ante si; deinde factum est statuunt.

Ibid. 73: quod (ius civile) si non modo oppressum, sed etiam desertum aut negligentius asservatum erit, nihil est, quod quisquam sese habere certum aut a patre accepturum aut relicturum liberis arbitretur. In iure civili nulla certa spes constituitur, quid quisque a patre accepturus sit, quoniam hoc a voluntate et testamento patris pendet. Præterea perverse componitur et comparatur secura exspectatio hereditatis, quam quis ipse a patre accepturus sit, et eius, quam liberis suis relicturus sit; contra recte et apte comparatur, quod quis ipse a patre accepit et tenet, et quod liberis relicturus est; utriusque enim secura possessio et spes tollitur, si convellitur ius civile. Scripserat Cicero: quod quisquam sese habere certum a patre acceptum aut relicturum liberis arbitretur. Propter relicturum in eiusdem temporis formam a librario translatum est alterum participium, tum additum aut. Paulo post (§ 74), ubi pravum est pronomen infinitum quæcumque, cum codex optimus habeat: quæ mina tua iure mancipii sint, ceteri: quæ cum omnia tua iure mancipii sint, scribendum videtur: quæ <in> manu tua iure mancipii sint.

Ibid. 80: Cum exemplis uterer multis etiam illa materia æquitatis, a verbo et ab scripto plurimis sæpe in rebus ius et æqui bonique rationem esse seiunctam cet. Iure editores hæserunt in illa materia æquitatis, quæ tamquam propria ac

separata certique generis additur exemplis. Sed lenissima correctione res expeditur: Cum exemplis uterer multis (— est enim illa materia æquitatis —), a verbo et ab scripto cet. Aptissime Cicero significat se in æquitate defendenda usum esse propria huius generis materia, quæ in exemplis posita sit. Conferatur Brut. 143: cum de æquo et bono disputaretur argumentorum et similitudinum copia.

Ibid. 95: Ipse porro Cæcina cur se moribus deduci volebat, idque tibi de amicorum de his de Aquilii sententia responderat et æquum? At enim Sulla legem tulit. Quam mendosa hæc sint, nihil opus est coarguere, quoniam editores verba de his de Aquilii, deinde et æquum signo infelici summo iure notarunt, neque ulla sententiæ species apparet. Verum tamen multo minus gravia vulnera sunt, quam videntur. Primum enim illud et æquum a superioribus separandum est atque ei, quæ sequitur, disputationi hac forma præponendum est: Est æquum. At enim Sulla cet. Cicero adversarios significat, cum id, quod hactenus defenderit, æquum esse concedere cogantur, novo argumento uti conari, quod ex Sullæ lege ducant. Deinde ea, quæ præcedunt et superiorem locum concludunt, sic scribenda sunt: idque tibi de amicorum, his de Aquilii sententia responderat, omisso de, quod errore ante his repetitum est. Cæcina Æbutio ex amicorum sententia responderat, his ex Aquilii, quem ante consuluerat.*)

---

*) Ibid. 99: Iam populus cum eum vendit, qui miles factus non est, non adimit ei libertatem, sed iudicat non esse eum liberum, qui, ut liber sit, adire periculum noluit. Et ratio et id, quod paulo post sequitur, huic prorsus ex æquo positum: qui . . . censeri noluerit, ostendit coniunctivo modo scriptum fuisse nolit.

Ibid. 104 (in epilogo): habetis hominem singulari pudore, virtute cognita et spectata fide, amplissimi se tutire nomine tocius, in utraque fortuna cognitum multis signis et virtutis et humanitatis. Ita scriptum est in uno ex duobus optimis codicibus atque sine dubio etiam in altero.*) Quæ tentatæ sunt correctiones, omitto atque hoc unum admoneo, prorsus perverse dici amplissimo totius Etruriæ nomine, ut significetur homo magnæ in Etruria famæ et dignitatis, ne dicam neque Cæcinam, qualis tota oratione significetur ac describatur, amplissimum hominem Romana consuetudine appellari potuisse neque Etruriam hoc tempore suos habuisse, intra quos nomen auctoritasque contineretur, fines. Cicero scripsit: amplissimis **vetere** nomine **negotiis**. Cæcinam prorsus iis, quæ per totam orationem sparsa sunt, indiciis convenienter hominem significat ampla et late diffusa negotia (fenerandi, emendi, vendendi) vetere et honesto nomine *(unter einer alten Firma)* gerentem. Mendi initium factum est litteris ne semel scribendis, cum bis scribi deberent (nominegotiis). Vestigium veri mansit in amplissimis (amplissimi s). Ante ea verba, quæ hic emendavimus, hæc leguntur: habetis hominem singulari pudore, virtute cognita et spectata fide. Offendit hic non solum et vitiose inter secundum et tertium membrum interpositum, cum inter primum et alterum nulla interponatur coniunctio, et deinde ordo verborum pravus, qui primum audienti aut legenti errorem obiicit (virtute cognita et spectata fide).

*) Ex cod. Tegernseensi profertur: amplissimi totius se turi re nomine; verum totius etiam in infimi gradus codicibus, qui Etruriæ ex interpolatione scriptum habent, servatur post nomine. Qui cod. Tegernseensem cum editione aliqua contulit, in qua esset totius Etruriæ, verborum ordinem indicare oblitus est.

sed pudori et fidei, quæ proprie hominem in negotiis occupatum commendant, prave ex æquo adiungitur *virtus*, quæ et illas laudes et ceteras communi notione complectitur. Accedunt cum summa offensione repetita verba (*cognita* — *cognitum*, *virtute* — *virtutis et humanitatis*), quorum utrumque altero loco recte et apte positum est. Cicero nihil scripsit nisi: *singulari pudore et spectata fide*; quod interponitur, *virtute cognita*, ab aliena manu additum est et ex iis, quæ proxime sequuntur, huc retractum. [Irascor mihi, quod non animadverterim hoc iam Kayserum vidisse.]

Pro Cluentio 103 Cicero, ut suspicionem diluat, quæ in Cluentium ex Staieni damnatione ducebatur, quasi ea confirmaretur Staienum pecunia a Cluentio accepta in Oppianici iudicio iudices corrupisse, postquam Staienum maiestatis damnatum esse dixit, Staieni damnationi contrarias ponit duas C. Fidiculanii Falculæ, qui in eadem Oppianici causa iudex fuisset, absolutiones, cum bis post id iudicium accusatus esset. Ac priorem quidem absolutionem se non numerare dicit, quod Fidiculanius tum non proprie captæ ob rem iudicandam pecuniæ accusatus fuisset; altera vehementer utitur; nam tum Fidiculanium repetundarum postulatum fuisse, cuius iudicii proprium sit in senatore captæ ob rem iudicandam pecuniæ crimen. In ipso hoc transitu a prioris Fidiculanii absolutionis mentione ad alterius commemorationem interponuntur verba aliquot de Staieno mendose scripta et obscure cum reliqua oratione cohærentia: *capta nusquam Staienus eadem lege dixit. Proprium crimen illud quæstionis eius non fuit. Fidiculanius* cet. Diligentius attendenti apparebit hunc esse disputationis et argumentationis ordinem, ut, finita prioris Fidiculanii absolutionis commemoratione, Cicero, antequam ad alteram transeat, quam proprie ad rem pertinere dicit, rei præparandæ causa breviter interponat, in Staieno huiusmodi iudicium, quod proprie ad captæ pecuniæ

crimen pertineat, nullum factum esse. Scripserat igitur Cicero: **Causam** nusquam Staienus **ea de re** lege dixit. Proprium crimen illud quæstionis eius (de maiestate, qua Staienus damnatus est) non fuit. Satis videri potest esse: Causam n. St. ea de re dixit; sed non abundat lege; significatur enim iactatam fortasse in maiestatis iudicio etiam captæ pecuniæ invidiam fuisse, sed legitimum eius rei iudicium non fuisse.*)

Ibid. 113: Nego rem esse ullam in quemquam illorum obiectam, quæ Fidiculanio non obiecta sit, aliquid fuisse in Fidiculanii causa, quod idem non esset in ceterorum. Duo gravia hic locus orationis vitia habet. Primum etiamsi Latine diceretur obiicere in aliquem pro eo, quod est alicui, tamen Cicero in hac contrariorum relatione non dixisset in quemquam — Fidiculanio. Deinde a legitima consuetudine abhorret nego — aliquid fuisse. Scripserat Cicero: Nego rem esse ullam **quoiquam** illorum obiectam, quæ Fidiculanio non obiecta sit, **aut quidquam** fuisse in Fidiculanii causa cet. Priore loco in natum est ex præcedenti littera m.

Ibid. 127: In M'. Aquilium et in Ti. Guttam video esse subscriptum. Quid est hoc? Duos esse corruptos solos pecunia? Dicant; ceteri videlicet gratis condemnarunt. Neque brevi interrogationi de rei commemoratæ significatione ac momento

---

*) § 46 et 57 bis pro iam scribendum est **nam**; confirmatur enim, quod præcedit, non præparatur novæ rei commemoratio. [Altero loco correxit Pluygersius.] § 76 pro statuerunt scribendum est **statuerent**, causali significatione, apte ad imperfecta primariæ sententiæ. § 37 cum Halmius oblitus esset brevi illo tempore dici ad eandem formam atque paucis illis diebus, coniecturam inutilem posuit. Quid Kayserus? Tria illa verba delevit; tanta est levitas.

(Quid est hoc?) sententia infinita recte adiungitur, et prorsus ridicula est exhortatio illa, ut censores aliquid dicant. Apparet hanc necessario esse orationis formam: Quid est hoc? Duos esse corruptos solos pecunia **dicunt**; ceteri videlicet gratis condemnarunt. Sed dicunt vix in dicant transisset, scriptumque potius fuit **indicant**.*)

De lege agraria II, 57: quem (agrum Recentoricum) ego excipi et propter hominum necessitudinem et propter æquitatem, Quirites, ipse vehementer gaudeo. Sed quæ est hæc impudentia? Sic editur e Gruteri coniectura, pronominibus ego et ipse vitiose geminatis et distractis; codices habent sæpe vehementer gaudeo, in quo latet **reapse** v. g. Res ipsa Ciceroni placet, non actio Rulli.**)

Ibid. 102: vos, quorum gratia in suffragiis consistit, libertas in legibus, honos in iudiciis et æquitate magistratuum, res familiaris in pace cet. Plebis Romanæ, quam Cicero alloquitur, nullus est honos, quem iudiciis præsertim defendat. Codices, ubi editur honos, habent hos; scribendum **ius**. [Sic iam Kayserus.]

Ibid. III, 3: Completi sunt animi auresque vestræ, Quirites, me gratificantem septem tyran-

---

*) Breviter significare satis est, § 107 scribendum esse: Longum est de singulorum virtute **illa** (codd., edd. ita) dicere; quæ, quia cognita sunt ab omnibus, verborum ornamenta non quærunt, et § 133 scriptum a Cicerone videri: putarunt prætermitti accusatorem non **posse** (codd., edd. potuisse), cum animadversum esset in iudices (agitur enim de censorum deliberatione ante notæ subscriptionem).

) § 71 pro Quamquam cet. scribendum est: **Iam quam illud est egregium ....? Interrogando transitur ad novam rem.

nis ceterisque Sullanarum assignationum possessoribus agrariæ legi et commodis vestris obsistere. Prorsus monstrorum similes hi sunt tyranni, homines ex misero et egenti Sullanorum colonorum grege, certo etiam numero comprehensi. Quorum neque in superioribus orationibus neque in reliqua horum temporum memoria ullum tenuissimum vestigium reperias. Sed manifesta horum tyrannorum est origo. Nam Cicero ad genus hominum significandum unum et alterum nomen sermonibus vulgi iactatum posuerat, hac orationis forma: me gratificantem **Septimiis, Turraniis** ceterisque Sullanarum assignationum possessoribus.

Pro C. Rabirio (perduell.) 24: At C. Decianus, de quo tu sæpe commemoras, quia, cum hominem omnibus insignem notis turpitudinis, P. Furium, accusaret summo studio bonorum omnium, queri est ausus in contione de morte Saturnini, condemnatus est, et Sex. Titius, quod habuit imaginem L. Saturnini domi suæ, condemnatus est. Nusquam Cicero duas sententias sic copulatas eodem verbo terminavit. Alteroutro loco tollendum est condemnatus est.

Pro Murena 3: Quis mihi in re publica potest aut debet esse coniunctior quam is, cui res publica a me una traditur sustinenda, magnis meis laboribus et periculis sustentata? Mendosum esse una multi, ne dicam omnes, intellexerunt, quod qui tolli simpliciter voluerunt, unde natum esset, quærere et dicere obliti sunt, qui corrigere, nihil probabile effecerunt. Scripserat Cicero: cui **rei publicæ** a me **ruina** traditur sustinenda, ... sustentata. Latini enim ruinæ nomine utuntur de ipsa re ruenti aut ruinam minanti; itaque eorum usu ruina sustinetur et fulcitur, ne vere res cadat; post red. in sen. 18 etiam ruinæ consulum, hoc

est, quas ipsi edebant, fulciri dicuntur. Cicero rem publicam labantem ac ruentem se Murenæ custodiæ tradere significat.*)

Ibid. 39: Sed si nosmet ipsi, qui et ab delectatione omni negotiis impedimur et in ipsa occupatione delectationes alias multas habere possumus, ludis tamen oblectamur et ducimur, quid tu admirere de multitudine indocta? Prorsus nugatorium est eos, qui ab delectatione omni impediantur, tamen multas habere delectationes; augetur pravitas, quod delectationes in ipsa occupatione inesse dicuntur, quæ omnem delectationem impediat (nam negotia ab occupatione non differunt). Qui diligenter attenderit, et mendi indicium et tenue correctionis inveniendæ vestigium reperiet in perverso ordine verborum, ut nunc scribuntur; debebat enim certe dici: ab omni delectatione. Pro delectatione, quæ cum negotiis sæpe multiplex coniungitur, alius rei nomen a Cicerone positum erat, negotiis et occupationi prorsus contrariæ. Scripserat enim sine dubio: Sed si nosmet ipsi, qui et ab **relaxatione animi** negotiis impedimur et in ipsa occupatione delectationes alias multas habere possumus, ludis tamen oblectamur et ducimur cet. Relaxare animum et nihil agere prohibebantur, qui in negotiis occupati erant.

Ibid. 49: Etenim te inquirere videbant . .; observationes, testificationes, seductiones testium, secessionem subscriptorum animadver-

---

*) § 8 quæ sententia posita a Cicerone fuerit, nec obscurum est et a multis intellectum; orationis forma universa hæc fuit: — quanta antea nemini, sic cen<seo, quos labores beneficii adipiscendi spe sus>ceperis, eos, cum adeptus sis, deponere esse hominis . . ingrati.

tebant, quibus rebus certe ipsi candidatorum vultus obscurior ei videri solet. Interpolationem huius loci ante multos annos coargui. Remoto vocabulo vultus, cuius nullum est in codicibus vestigium, quæritur, quemadmodum ex reliquis apte efficiatur ea sententia, quæ aperte subest, eas omnes res, quas Cicero nominavit, indicia esse spei de successu petitionis imminutæ ac pæne amissæ, et efficiatur cum aliquo lepore ac verborum lusu. In ea investigatione nemo attendit, quam supervacaneum et prave positum sit adverbium certe, quasi præter alias res una saltem animadverti dicatur. Sed in illis litteris latet ipsum illud nomen, quod quæritur, a quo pendeat genetivus candidatorum, rem eam appellans, quæ obscurari videatur. Scripserat enim Cicero: quibus rebus cretæ ipsæ candidatorum obscuriores videri solent (sic pro obscurior ei et solet complures codices). Iocans Cicero desperantium candidatorum ipsas togas candidas obscurari significat, pro togis cretas nominans, quibus infici ut albæ niterent, solebant. Ad quam rem pertinet, quod Livius IV, 25 antiquo tempore sancitum narrat, ne cui album in vestimentum addere petitionis liceret causa, et apud Persium V, 177 cretatæ ambitionis mentio et apud ipsum Ciceronem, quæ pro Planc. 85 dicuntur de ioco, qui ex Cretæ nomine duci potuerit. Video Ieepio in mentem venisse, requiri substantivum, quod album colorem significaret; sed id quod esset et ubi lateret, non invenit. (Candor hominis de albo colore non dicitur.)

Ibid. 71, ubi Cicero exponit homines tenues de plebe nihil habere, quod hominibus nobilibus magistratus petentibus præstare possint, præter officium comitandi similemque operam, verba, quæ et olim et nuper editoribus molestiam facessiverunt, perquam tenue mendum traxerunt, alioquin prorsus sana: Si nihil erit præter ipsorum (sic codd. longe plures, non eorum) suffragium, tenue est; sive (codd. si ut) suffragantur, nihil valent gratia;

ipsi denique, ut solent loqui, non dicere cet. Neque ipsorum suffragia (singula) multum ponderis habent, neque gratia valent ad candidatos aliis commendandos; hoc est enim suffragari. Si quem ea dubitatio movet, quam ipse ad I de Finn. 20 exposui, pro sive scribendum erit sin.

Pro Sulla 5: An vero, in quibus subselliis hæc ornamenta ac lumina rei publicæ viderem, in his me apparere nollem, quorum ego illum in locum atque in hanc excelsissimam sedem dignitatis atque honoris multis meis et magnis laboribus et periculis ascendissem? Quid esset in extrema parte sententiæ vitii, senserunt aliqua ex parte, qui in codicibus minus bonis aut cum pro quorum substituerunt aut post ego addiderunt opera aut ope aut auxilio. Manifestissimum est enim neque recte post illam pronominum inter se contrarie relatorum coniunctionem: in quibus subselliis —, in his —, sic subiici quorum, ut referatur ad ornamenta ac lumina rei publicæ, neque omnino cum huiusmodi genetivo copulari posse illum locum (locum ornamentorum rei publicæ), ne dicam necessario sententiam terminari in verbo nollem et in comparatione Ciceronis et ceterorum, qui adsint. Omnia recta erunt sic scripta: An vero .... me apparere nollem? Quor ergo illum in locum atque in hanc excelsissimam sedem .... ascendissem? Interrogando Cicero ostendit, si in iis subselliis, in quibus senatores clarissimi sedeant, apparere nollet, frustra sumptam fuisse omnem antecedentis vitæ industriam. Error facillime natus est ex antiqua scriptura (quor pro cur) non intellecta.

Ibid. 20: neque enim est causa adversata naturæ, nec homo nec res misericordiæ meæ repugnavit. Nimis infinite naturæ dicitur pro na-

turæ meæ, quamquam Cicero ingenium suum potius nominasset aut mores in tali re quam naturam. Est omittitur in duobus optimis codicibus. Scribendum igitur videtur: neque enim causæ adversata natura st. nec cet. Causæ natura cum homine et re copulatur.*)

Ibid. 50: Te enim existimo tibi statuisse, quid faciendum putares, et satis idoneum officii tui iudicem posuisse. Sic codices uno excepto Tegernseensi, in quo est potuisse, unde Halmius effecit esse potuisse. Verum potestatis notio prorsus abundat post idoneum. Vitiosum est perfectum tempus; nam omnino Torquato sui officii iudicium Cicero concedit. Videtur subesse: et satis idoneum officii tui iudicem ipsum esse. Ex ipsū esse, hausta vocali i, ortum est posuisse.

Ibid. 66: Eius (Autronii) voces, eius minæ ferebantur; eius aspectus, concursatio, stipatio, greges hominum perditorum metum nobis seditionesque afferebant. Multa hic mendum coarguunt, primum metus nomen cum seditione, quæ metuitur, tamquam eiusdem generis coniunctum, deinde afferendi verbum, quod rectissime de metu dicitur, de seditione positum, quæ concitatur, non affertur alicui, tum seditiones plurali numero appellatæ, cum de una agatur, postremo ipsa res et sententia; neque enim ulla exstitit propter rogationem de pœna damnatorum levanda seditio, sed, ut ipse Cicero perspicue dicit, paulisper, ne exsisteret, timor fuit (omnis ille terror, omnis seditionis timor atque opinio). Manifestissimum est Ciceronem hic quoque metum seditionis dixisse; prorsus tamen temere faceret, qui simpliciter que particulam tolleret, quæ quo-

---

*) § 39 Ciceronis usus postulat quia negare noluit pro qui n. n. (alioquin enim scriptum esset qui n. nollet).

niam addi a nullo potuit, significat ante seditionis excidisse alterum nomen similis significationis neque litteris multum ab iis, quæ in seditionis nomine primæ sunt, distans. Scripserat Cicero: metum nobis <cædis> seditionisque afferebant.

Ibid. 79: Vestra enim . . . . . hoc maxime interest . . . . . in magnis disquisitionibus repentinisque periculis vitam uniuscuiusque esse testem. Semel apud Ciceronem (de harusp. resp. 13) disquisitio facinoris de diligenti inquisitione et perscrutatione legitur; alioquin neque substantivum hoc neque disquirendi verbum apud eum æqualesve positum reperitur; ad iudicii certamen significandum accommodari omnino nequit. Opinor Ciceronem scripsisse in magnis **disceptationibus.** (§ 71 in his: unumquemque eorum prius ab sua vita quam vestra suspicione esse damnatum vehementer offendit addita præpositio; sed simpliciter eam delere non audeo.)

Pro Flacco 5: Atque utinam inimici nostri ac bonorum omnium mecum potius contendant, utrum tum omnes boni duces nostri an comites fuerint ad communem conservandam salutem. Verbum contendant, quod Ascensius primus posuisse videtur, et per se minus aptum est (agitur enim non de certamine, sed de comparatione et quæstione) et a codicum vestigiis longissime discedit, in quorum et præstantissimo et longe plurimis scribitur: potius tum est utrum tum omnes. Opinor fuisse: mecum potius **æstument**, utrum cet.

Ibid. 7: Et is est reus avaritiæ, qui in uberrima re turpe compendium, in maledicentissima civitate, in suspiciosissimo negotio maledictum omne, non modo crimen effugit? Recte intellectum est in verbis turpe compendium vitiosam

esse sententiam et orationem; sed quod simpliciter verba tolli nuper quidam voluerunt, neque causa et origo additamenti intelligitur, quod præsertim in compendii nomine antiquitatis colorem habeat, et potest etiam, si solum relinquitur in uberrima re, desiderari aliquid in significatione occasionis sceleris et furtorum. Longe probabilius est Ciceronem scripsisse: in uberrima re <ad> turpe compendium, hoc est, in re, quæ uberrimam præberet turpis compendii materiam. (De ordine verborum, si opus est, conferri possunt, quæ scripsi Emend. Liv. p. 331.)

Ibid. 25: Sed cum L. Flacci res agatur, cuius ex familia qui primus consul factus est, primus in hac civitate consul fuit, cuius virtute regibus exterminatis libertas in re publica constituta est, quæ usque ad hoc tempus honoribus, imperiis, rerum gestarum gloria continuata permansit cet. Manifestissimum est orationis et sententiæ vitium; apertum est enim pronomina relativa cuius (virtute) et quæ ad familiæ nomen referri, sed, ut nunc verba scribuntur, nullo modo cum eo coniungi posse, quoniam certissima anaphoræ figura comprehenduntur hæc: cuius (ex familia), cuius (virtute), quæ (etsi in hoc extremo repugnat genus). Perspicuum est æqualiter decurrere debere tres laudum gradus ad familiam, non ad Flacci personam pertinentium, sed has familiæ laudes cum Flacco copulandas esse. Itaque Cicero necessario ad hanc formam scripsit: ex <ea> familia, cuius qui primus consul factus est, primus in hac civitate consul fuit, cuius virtute . . ., quæ usque cet. Fieri potest, ut scriptum fuerit: L. Flacci . ., <civis> ex ea familia, cuius qui cet., et error ortus sit ex permutatione similium litterarum ciuis et cuius. Qui hic quoque licenter delendo se expedivit, eum nihil moror.

Ibid. 28: Hæc . . . magnitudo animorum in

maioribus nostris fuit, ut, cum in privatis rebus.... tenuissimo cultu viverent, in imperio atque in publica dignitate omnia ad gloriam splendoremque revocarent. Quid sit in extremis verbis vitii, facile animadvertet, qui diligenter attenderit. Neque enim in dignitate de splendore agitur, sed in imperio agitur de dignitate et splendore. Accedit, quod publica dignitas pro rei publicæ dignitate insolentissime dicitur. Admodum suspicor Ciceronem scripsisse: in imperio atque in <re>publica <ad> **dignitatem** omnia splendoremque revocarent. Cum ad præpositio inter a et d intercidisset, reliqua facile vitiata sunt. Longe rectius dignitas quam gloria cum splendore coniungitur.

Ibid. 39: Sed aliud esse causæ suspicamur, ne forte isti parum versuti esse videantur. In iis, quæ præcedunt, nulla minima est causæ significatio, ad quam referatur aliud. Rectum est **aliquid** . . causæ.

Ibid. 69: nunc vero hoc magis, quod illa gens (Iudæorum), quid de nostro imperio sentiret, ostendit armis, quam cara dis immortalibus esset, docuit, quod est victa, quod elocata, quod servata. Tam aperta et elegans est victoriæ et gentis perdomitæ amplificatio tribus membris anaphora coniunctis, ut mirer ne hoc quidem loco Kayserum, duce tamen Bernaysio, pravam illam delendi, quæ expedire nequiret, consuetudinem abiecisse. Ad litterarum vestigia proxime accedit, orationi et sententiæ satisfacit hæc scriptura: quod est victa, quod **bello capta**, quod **servit** (Nic. Angelius: quod serva).

Ibid. 104: Quotus enim quisque est, qui...... optimi atque amplissimi cuiusque hominis atque ordinis auctoritatem magni putet? Illam viam sibi vident expeditiorem ad honores et ad

omnia, quæ concupiverunt. Sic codices. Qui nuper aliter interpuncta oratione ante sibi interposuerunt si, non minus sententiam prava condicionis forma quam orationis structuram perverterunt. Scribendum erat: Aliam viam sibi vident expeditiorem cet.*)

Post red. ad Quir. 10: At de me ut valeret (rerum gestarum memoria), semper senatus flagitavit; ut aliquando proficeret, cum primum licuit, frequentia atque auctoritate perfecit. Inanis aliquid lusus est in hac coniunctione: ut .. proficeret, — perfecit; neque satis effectus rei significatur proficiendi verbo. In P est a prima manu perficet'. Opinor fuisse: ut aliquando pervinceret. Paulo post recte Mommsenius vidit geminandum esse consule; sed scribendum erat hoc ordine: inimico autem .... <consule>, altero consule referente.

Ibid. 13: cum omnia cum omnibus fœdera reconciliatione gratiarum sanguine meo sancirentur. Scribendum esse: cum omnia cum omnibus fœdera <ac> reconciliationes gratiarum sanguine meo sancirentur, et sententia ostendit (— nam cum fœderibus cohærent gratiarum reconciliationes hominum antea dissentientium ad communia consilia persequenda, cum sanguine Ciceronis perversissime coniunguntur —) et pluralis numeri genetivus (gratiarum), quoniam alioquin reconciliatione gratiæ scribendum fuit. Excidit ac post a. (Initio paragraphi opinor Ciceronem scripsisse: Hic quantum interfuit inter me et inimicos meos! Nam illa figura orationis, qua vocabulo tantum pro ut

*) Quam vellem editores non corrupissent § 12 Ciceronis orationem (existimatio vestra tenebræ, hoc est, quid vos de se existimetis, contemnunt ac pro nihilo ducunt) recepta Pantagathi coniectura.

subiicitur sententia simplex et demonstrativa, ab hoc loco aliena est.)*)

De domo 7: Hic tu me etiam . . . . . . hostem Capitolinum appellare ausus es, quod, cum in Capitolio senatum duo consules haberent, eo venirem? Hoc sic dicitur, tamquam Clodius Ciceronem tum ipsum, cum in senatum, qui in Capitolio haberetur, venisset, ita appellasset. Sed agitur de convicio nuper in Ciceronem ab Clodio coniecto. Itaque scribendum est: quod . . . . . venerim. (Propter eandem causam in proximis verbis retentum oportuit, ut nunc video fecisse Kayserum, venisse, pro quo in P est venistis, non substitutum venire.)

Ibid. 18: Num igitur in hoc officio, quod fuit præcipue meum, sententia mea reprehenditur? Rem maximam fuisse (potuisse P) summi periculi non solum a fame, sed etiam a cæde, incendiis, vastitate, nemo negat cet. Post fuisse nuper e Mommsenii coniectura additum est et, vix occultato, nedum sublato mendo; quid est enim hoc, neminem negare rem maximam fuisse et rem summi periculi a fame? Error ortus videtur ex concursu similium litterarum cum terminatione verbi præcedentis (reprehenditur) scriptumque fuisse: <Terro>rem maximum fuisse summi periculi. Ex potuisse fortasse faciendum est

*) § 16 recte me, quod in codicibus post tum additur, ex postrema eius particulæ littera ortum, a prioribus editoribus sublatum esse, pravissime a recentioribus deletum esse vos, vel solus verborum ordo ostendit, cum necessario coniungantur hæc: tum in perorando posuit, sed multo clarius sententia; dicitur enim, quantus omnium consensus in populo pro Cicerone rogando fuerit.

populi fuisse, ut tota sententia haec fuerit: Terrorem maximum populi fuisse summi periculi cet.

Ibid. 72: Hunc tu etiam, portentosa pestis, exsulem appellare ausus es . . .? Nusquam sic Cicero pronomine hic de se utitur; debebat saltem dicere: Hunc tu hominem cet. Sed sine dubio Cicero scripsit: Hic tu etiam, p. p., exsulem <me> appellare ausus es . . .? Cum excidisset me post -em, ad orationis formam explendam ex hic factum est hunc.*)

Ibid. 96: remque publicam concidere unius discessu quam omnium interitu occidere malui. Ex condere, quod in P a prima manu scriptum est, faciendum erat non concidere, quod prope idem est atque occidere, sed considere, hoc est, aliquantisper conquiescere, quod effectum est Ciceronis discessu.

Ibid. 116: Hanc vos, pontifices, tantam, tam variam, tam novam in omni genere voluntatem, impudentiam, audaciam, cupiditatem comprobabitis? Cum nominibus vitiorum (impudentiam, aud., cup.) prave coniungitur voluntatis nomen, in quo nulla est reprehensio. Scriptum fuerat: in omni genere voluntatum impudentiam cet. In varietate voluntatum impudentiam ceteraque vitia perpetua fuisse orator significat. Quam facile genetivus unius litteræ mutatione ad tres accusativos accommodatus sit, apparet.

Ibid. 118: Hanc tu igitur dedicationem appellas, ad quam non collegium, non honoribus populi Romani ornatum pontificem, non denique adolescentem quemquam, cum haberes in collegio familiarissimos, adhibere potuisti? At affuit adolescens frater uxoris Clodii. Mendosam igitur

*) § 73 cum communi (τῷ κοινῷ) coniungitur non consilium, sed concilium (conciliabulum).

orationem esse Mommsenius vidit, corrigendo aberravit. Nam post non denique requiritur significatio eius, quod minimum exspectari debuerit. Sine dubio scriptum fuerat: non denique <**non**> adolescentem q. Noluit Cicero senem dicere, quoniam satis erat virilis ætatis pontificem affuisse. Librario minus diligenter attendenti altera negatio abundare visa est.*)

Ibid. 141: Quare quid est mirum, si iste metus furore instinctus, scelere præceps neque institutas cærimonias persequi neque verbum ullum sollemne potuit effari? Neque furor metus recte dicitur pro pavore atque furore, neque ullus minimus in Clodio significatur metus. Scribendum est: **mentis** furore instinctus.

De harusp. resp. 7: voce tantum attigi legum initium et iudicii. Qui accusationem alicui minatur, neque initium neque finem legum dicendo attingit, sed aut simpliciter leges aut, quod Ciceronem scripsisse arbitror, legum **metum** et iudicii. (Supra § 1 periculum iudicii dixit.)**)

Ibid. 46: Non sedabantur discordiæ, sed etiam crescebat in eos odium, a quibus nos defendi putabamur. In codicibus antiquis (P G) defensi scribitur. Scribendum sine dubio est: a quibus nos <**non**> defensi putabamur, aut tantum: a quibus **non** defensi p. Non in se suasque partes auctum post suum

*) § 132 e codicibus restituendum est ex vestris manibus ac facibus eripui (pro faucibus). E faucibus eripitur, quod quis devorare conatur, quod de re publica inepte dicitur; orator incendium urbi intentatum a Catilinariis significat. De § 140 dixi *Kleine philologische Schriften* p. 373.

) § 25, de quo loco dixi Adv. Crit. II p. 225, fortasse ex liberatus rectius efficitur **libero aditu.

discessum odium Cicero dicit, quod omnino negat ullum fuisse nisi Clodii artibus apud perditos homines excitatum, sed bonorum civium iram et odium in eos, quos Ciceronem parum iuvisse ac defendisse putarent.

Ibid. 48: in quibus legibus inerat curiata illa lex, quæ totum eius tribunatum continebat, quam cæcus amentia non videbat. Non legem ipsam Cicero negat Clodium vidisse, quod omnino inepte dicitur, sed cæcum amentia non animadvertisse dicit, eam legem, quæ de se lata esset, Iulianarum numero contineri. Scribendum igitur: quod cæcus amentia non videbat. Pronomen errore accommodatum est ad superius quæ.*)

Ibid. 62: terræ motus horribilis cum quibusdam multis metuendisque rebus. Mendosum esse quibusdam multis, nihil opus est demonstrari; illud miror non animadversum, ineptam esse in tali re metuendarum rerum mentionem; sed totum illud rebus in P scriptum supra versum est, unde in ceteros codices transiit. In iis, quæ restant: cum quibusdam multis metuendisque, latere videntur hæc: cum quibusdam <monstris> mutis metuendisque. Ad ipsum terræ motum accesserat, ut oculis obiicerentur miræ et inusitatæ rerum formæ ipso silentio terribiles. Excidisse substantivum certum est.

Pro Sestio 131: cumque itinere toto urbes Italiæ festos dies agere adventus mei videbantur, viæ multitudine legatorum undique missorum celebrabantur cet. Vere recteque olim negaveram hæc cum superioribus una sententia coniungi posse non solum propter verborum modum mutatum (cum . . .

---

*) § 54 sine dubio scribendum est: aut universus interitus aut victoris dominatus ac (pro aut) regnum. Non tria disiunguntur, sed duo.

fuisset, cumque ... accepisset, cumque .... videbantur cet.), sed etiam propter rerum dissimilitudinem; nam in superioribus de uno adventus Brundisini die agitur, hic et in iis, quæ sequuntur, de itinere per Italiam et introitu in urbem; quæ contra Seyffertus disputavit, inania sunt. Sed quod cumque simpliciter deleveram, nullam probabilitatem ea correctio habebat. Scribendum erat: **Cunctæ** itinere toto urbes Italiæ festos dies agere adventus mei videbantur.

Ibid. 133: ille se sic cum inimico meo copularat, ut illius meæ proscriptionis, quam adiuvabat, Sex. Clodius, homo iis dignissimus, quibuscum vivit, toambuam essese scriptorem esse diceret. Sic in P scribitur mendose. Quod editur: illum meæ proscriptionis .... tabulam, sese scriptorem cet. (illum e coniectura Naugerii et scholio Bob., tabulam ex recentioribus codicibus), manifestum est, ne quid dicam de illius in illum mutato, Sex. Clodium, cum Vatinium sibi in Cicerone proscribendo socium fuisse significaret, non potuisse sibi personæ (scriptoris), illi instrumenti culpa vacantis partes tribuere. Ex eo ipso, quod in codicum scriptura nullo pronomine Vatinius significatur aut a Clodio separatur, apparet utriusque in re agenda partes communiter comprehensas fuisse, idemque codicis antiquissimi, et cui soli fides debetur, vestigia monstrant, e quibus hoc eruitur: illius meæ proscriptionis .... **ambo una** sese **scriptores** esse diceret. Vestigia perturbavit primum t littera ex præcedenti verbo geminata, deinde singularis numerus (scriptorem) ad sese . . diceret accommodatus, cum ambo obscuratum esset.

In Vatin. 32: Quem accumbere atratum videras? Dominum cum toga pulla et eius amicos ante convivium? Cicero negat atratum quemquam accubuisse, dominum cum amicis ante convivium (antequam

accumberetur) cum toga pulla visum esse concedit. Sc tum fuisse videtur: Quem .. videras? <Videras> minum . . . . . . ante convivium. (Violentam del medicinam adhibere non debueram.) Similiter iam Gover

Ibid. 39: si es odium publicum populi, natus, universorum hominum rusticanor quid est cet.? Nihil erat, cur proprie rustica odio esset Vatinius. Cicero sine dubio, ut omnes sine ceptione comprehenderet, scripserat: universorum minum, rusticanorum, <urbanorum>. Librarii oc a prioris vocabuli terminatione (-anorum) aberravi alterius.

Pro Cælio 14 (de Catilina): Neque umquan illo delendi huius imperii tam consceler impetus exstitisset, nisi tot vitiorum t immanitas quibusdam facilitatis et patie radicibus niteretur. Vitiorum immanitatem obs et compensare non nescio quæ facilitas poterat; tatis ad agendum promptæ et patientiæ radices re bantur (facillitatis P[1]).*)

Ibid. 72: iis autem amicitiis maiorum quorum imitari industriam continentia maxime velit. De ipso Cælio non velit dicendu sed debeat. In codicibus scribitur velitis (P is), rectissimeque significatur, quos iudices Cælium iu ac pæne adolescentem imitari velint. Sed ad eam s tiam explendam necessario addendum pronomen, quo cedentis syllabæ similitudo hausit: quorum <eum> tari industriam . . maxime velitis.**)

---

*) § 10 videndum, ne Cicero scripserit mecum prætor mecum prætore me, altero pronomine prorsus abu

**) De prov. cons. 37 oratio sic interpungenda et scriben Fuerit toto in consulatu sine provincia, cui

Pro Balbo 25: Hanc tu igitur, patrone fœde- m ac fœderatorum, condicionem statuis aditanis, tuis civibus, ut, quod iis, quos mag- s adiutoribus tuis armis subegimus atque in cionem nostram redegimus, liceat, si populus omanus permiserit, ut ab senatu, ab impera- ribus nostris civitate donentur, id ne liceat sis? Quæ sententia esse debeat, dubium non est; cur ri codicum scriptura nequeat, olim a me dictum est, sed rrigendi initium infeliciter factum. Veritatis enim vestigia ntinentur ipso primo et extremo vocabulo (magnis — is), quorum ex errore origo probabilis inveniri nequit. num præterea ad emendationem inveniendam tenendum t, non illis, qui nunc sint, Gaditanis adiuvantibus Hispa- s a Romanis subactos Ciceronem dicere, sed maioribus orum. Scripserat enim Cicero ad hanc formam et sine ubio his ipsis verbis: quos magnis **adiut<i opibus a mai>oribus** tuis armis subegimus. Librarii oculus berravit ab iopibus ad ioribus mediis transmissis. pte opes nominantur, quia pecuniis copiisque magis quam rmis virisque sumministrandis Gaditani Romanos adiu- erant. Paulo post certissimum est Ciceronem scripsisse xterna virtute. Incredibile est fuisse, qui non videret anc ipsam geminationem alienigenarum hominum tudiis atque externa virtute prorsus esse Ciceroni- nam vel potius omnium oratorum communem. Ipsorum ominum, qui militare pro Romanis vetarentur, virtute illi rivabantur, non paterna, quæ sane nihil rem publicam uvisset.

Ibid. 33: Nihil omnino umquam de isto fœ- lere ad populum, nihil ad plebem latum esse

---

(pro fuerit), antequam designatus est, decreta pro- vincia. Concessive hoc dicitur; deinde orator urget nova interrogatione: Sortietur an non?

dico. De quibus igitur, etiamsi latum esset [neque legem neque pœnam gratam esse], ne quem civem reciperemus, tamen id esset, quod postea populus iussisset, ratum est. Locus, qui graviter mendosus infelicibusque, quæ appictæ sunt, notis dignissimus videtur, facile et certo in integritatem restituetur, verbis aliquot in suam sedem ex aliena retractis in hunc modum: Nihil omnino umquam de isto fœdere ad populum, nihil ad plebem latum esse dico, neque legem neque pœnam **rogatam** (pro gratam) esse. De quibus igitur, etiamsi latum esset, ne quem civem reciperemus, tamen id esset, quod postea populus iussisset, ratum est. [Similem corrigendi viam Lambinus et Ernestius ingressi erant.] Unum addo, ex his ipsis verbis: neque legem neque pœnam rogatam esse perspicue confirmari, quod olim paulo ante scribendum esse dixi: aut genere ipso atque obtestatione legis aut pœna (pro pœnæ); sed in verbis proxime præcedentibus nihil est cur tollatur sacrosanctum; idem enim dicitur, ac si scriberetur: aliquid tamquam sacrosanctum exceptum videretur.*)

In Pisonem 10 et 11: Quas leges (hinc enim nova sententia incipit) ausus est nonnemo improbus, potuit quidem nemo convellere, quam potestatem minuere, quo minus de moribus nostris quinto quoque anno iudicaretur, nemo tam effuse petulans conatus est, hæc sunt, o carnifex! in gremio sepulta consulatus tui. Leges et potestas, quæ tolluntur et evertuntur, recte et graviter sepeliri

*) § 39 lacuna sic explenda est: qui, cum maxima bella nobis inferrentur, <eos, a quibus inferrentur,> mœnibus excluserunt.

[redacted]

dicuntur; sed quid sit in gremio consulatus aliquid sepelire, prorsus non intelligo; nam et ipsum gremium consulatus ridiculam habet imaginem, et in gremio quæ conduntur, potius tutandi conservandique causa quam sepeliendi conduntur. Ex iis, quæ sequuntur: Persequere continentes his funeribus dies, apparet tempora et ordinem rerum a Cicerone hic significata esse consulatusque initium eum dixisse ab legum, quas commemorat, et censoriæ potestatis eversione factum esse. Scripserat igitur Cicero: in **prooemio** sepulta consulatus tui. Cum procemio operis initium consulatus comparat.

Ibid. 17: cum videres mærere rem publicam amplissimi ordinis luctu, o noster misericors! quid facis? Res publica suis incommodis mærebat, non senatus luctu. Cicero scripserat: cum videres **mærorem** R. P. (rei publicæ), amplissimi ordinis **luctum**. Error ortus est omissa nota litteræ m.*)

Ibid. 66: Convivium publicum non dignitatis causa inibit, nisi forte, ut cum patribus conscriptis, hoc est, cum amatoribus suis cenet cet. Sic cod. V. Amatores Pisonis patres conscripti per ironiam dici nisi cum fœdæ rei significatione vix poterant, magisque ad Pisonis in patres quam ad patrum in Pisonem affectum iocus pertinere debet. Nihil tamen moverem, nisi in codice palimpsesto Taurinensi et ceteris scriberetur maioribus. Aperte significatur: hoc est, cum **amoribus** suis cenet. Amores et deliciæ Pisonis senatores appellantur, quos, si Ciceroni credimus, infestissime oderat, quomodo Philipp. XIII, 26 deliciæ atque amores populi Romani L. Antonius appellatur, idem ibid. XIV, 8 sine ironia insigne

*) Proxima paragrapho, ubi scribitur: ut senatus .... ad vestitum rediret, vereor, ne ab oratore scriptum fuerit ad vestitum **<suum>**. Senatus vestem mutaverat sumpta equestri, non vestem posuerat.

odium omnium hominum; multa alia exempla lexica habent. [Sic iam Manutius, qui codicis palimpsesti auctoritatem ignorabat.]*)

Ibid. 75: Primo nonne compensabit cum uno versiculo tot mea volumina laudum suarum? Manifestissimum est non quæri, quid facturus Pompeius sit, sed de præterito tempore, itane Ciceronis versu commotum fuisse Pompeium probabile sit, quemadmodum Piso eum commotum esse dicat, ideoque Ciceronem everti voluisse. Scribendum igitur: nonne **compensabat.**

Ibid. 94: non ambitio ad gratiam, non iniquitas ad simulationem coniicietur. Sic codices aut coniicientur. Pro coniicietur, quod et præcedens coniicientur et sententia pravum esse convincit, recte Faernus scribi voluit connitetur; agitur enim de hominum studio in ordinem iudicum perveniendi. Simulationem hinc alienam esse ab aliis intellectum est, sed improbabiliter et ad sententiam et ad litterarum vestigia Lambinus simultatem substituit. Scribendum erat: non ambitio ad gratiam, non iniquitas ad **æmulationem** connitetur. Neque ambitiosi homines, ut gratia valeant, neque iniqui, ut æmulos premant et excludant, sese commovebunt.

Pro Plancio 36: de ipso denique ambitu reiectionem fieri voluerit iudicum alternorum. Alternorum iudicum (singulorum) reiectio neque usquam significatur, neque, qualis sit, fingi intelligive posse videtur. Sine dubio significatur ea, quæ in oratione in Vatinium 27 alternorum consiliorum reiectio dicitur, scriben-

*) § 70 codicum scripturæ ortæ ex hac videntur: quo tota tam sapiens et tanta civitas. Græcus atque advena cum toto populo Romano comparatur, non cum nescio quibus sapientibus. Deinde § 72 scribendum: sed eum casus .... et (pro sed) idem casus cet.

dumque hic iudiciorum alternorum, quoniam idem utrumque vocabulum significat, totum iudicum, qui in aliqua causa sedent sessurive sunt, numerum.

Ibid. 62: Omnes enim istiusmodi artes (rei militaris usus, eloquentia, iuris peritia) in iis reprehenduntur, qui, cum professi sunt, satisfacere non possunt, non in iis, qui se afuisse ab istis studiis confitentur. Nemini umquam in mentem venit artes illas in candidatis reprehendere; earum inopia offendebat in iis, qui eas professi erant; nam quod interdum defectum rei pro ipsa re appellari dicunt, id de aliis fortasse quibusdam effectibus fieri potest, reprehendi eloquentia aut ars militaris in eo, qui eam nec habet nec habere studuit, nullo modo potest. Pro reprehenduntur (reprenduntur) scriptum fuerat a Cicerone requiruntur, quemadmodum paulo post requiri solet.

Ibid. 98: qui (sceleratissimi homines ac nefarii) antequam de meo adventu audire potuissent, cum tantum abessent aliquot dierum viam, in Macedoniam ad Planciumque perrexi. Si brevitas intervalli (tantum) significaretur, non aliquot diceretur, sed paucorum. Codices boni (T E) habent tamen. Videtur fuisse: cum etiam tum abessent cet.

Pro Rabirio Post. 4: Hoc ille natus, quamvis patrem suum numquam viderat, tamen et natura ipsa duce, quæ plurimum valet, et assiduis domesticorum sermonibus in paternæ vitæ similitudinem deductus est. Certissimum est Ciceronem non dixisse: quamvis patrem suum numquam viderat, sed non minus certum neminem librarium pro quamquam . . viderat substituturum fuisse quamvis . . viderat. Accedit ad dubitationem commovendam, quod, si Cicero Rabirium reapse patre mortuo natum significasset, gravioribus id verbis et miserabilius aut hic aut

in epilogo dixisset. Prorsus suspicor Ciceronem sic scripsisse: Hoc ille natus, quamvis patrem suum numquam videret, tamen .... in paternæ vitæ similitudinem deductus esset (quod factum est, id Cicero, etiamsi Rabirius patrem ipsum ante oculos non habuisset, tamen futurum fuisse dicit). Videret imperfecto tempore pro vidisset posuit noto usu, de quo dixi Gramm. Lat. § 347 b not. 2. Vulgata scriptura orta videtur eo errore, quod Postumi cognomen sine dubio a maioribus eius gentis, in quam Rabirius adoptione transiit, acceptum huic ipsi Rabirio ex re impositum putaverunt.

Ibid. 21: Sive ille, ut ipse dicebat, gloriam, sive, ut tu vis, pecuniam quæsivit, sibi non Gabinii comes vel sectator nec ad Gabinii, cuius id negotium non erat, sed ad P. Lentuli, clarissimi viri, auctoritatem a senatu profectam et consilio certo et spe non dubia Roma contenderat. Et lacunam hic esse manifestum est et in iis, quæ interciderunt, orationem a Gabinio ad Rabirium transisse. Itaque ea brevissime et recte sic expletur: Sive ille .. gloriam, sive .. pecuniam quæsivit, sibi, <non Rabirio quæsivit; Rabirius enim> non Gabinii comes cet. Error igitur ortus est librarii oculo a priore non ad alterum aberrante.

Ibid. 31: aut in tanta mercede hominis, ut vis, avarissimi mille talentum decessionem esse concessam. Mirum videri Cicero significat, non, tantam mercedem avarissimi hominis fuisse, sed tantam ex ea decessionem esse factam. Videtur scribendum esse: aut **tantam** in mercede hominis, ut vis, avarissimi decessionem esse concessam. Summæ numerus ex superioribus repetitus esse videtur. Nam, quæ altera corrigendi via est, ut simpliciter tollatur tanta, minus probabilis mihi videtur.

Ibid. 38: Iam cedo, cum is, qui pecuniam Postumo debuit, non huic, sed Gabinio dederit, condemnato Gabinio utrum illa quo ea pecunia sit an nunc de ea? Ex litteris ut alibi sæpe in hac oratione misere distractis nec tamen ulla arte mutatis effici videtur: Iam cedo....: utrum illi **acquirenda** pecunia st an **huic reddenda?** Potius Rabirio pecuniam, quam rex ei debuerit, reddendam esse dicit quam Gabinio novam ad eam, quam iam acceperit, adiungendam (nam id est acquirere).

Ibid. 40: At permutata aliquando pecunia est; subductæ (codd. ductæ) naves Postumi Puteolis sunt, auditæ visæque merces. Fallaces quidem et fucosæ chartis et linteis et vitro delatæ, quibus cum multæ naves refertæ fuissent, una non potuerit parva. Rumorem hominum, qui Rabirium pecuniam regiam permutando ita accepisse narrabant, ut pro ea pretiosas merces Alexandrinas ei Puteolos naves advexissent, Cicero sic elevat, ut merces quidem Rabirio venisse confiteatur, sed parvi aut nullius pretii, ad speciem exiguo quodam numero rerum pretiosarum, chartarum, linteorum, vitri adiuncto et superimposito; itaque cum multæ naves huiusmodi futilibus rebus refertæ fuissent, exiguam ex iis pecuniam effectam esse. Hanc sententiam quibus verbis comprehenderit, ex obscuris codicum vestigiis tamen satis probabiliter eruitur: Fallaces quidem et fucosæ, chartis et linteis et vitro **velatæ**, quibus cum multæ naves refertæ fuissent, una **opus fuerit** parva **arca** (sequitur cataplus; codices habent parva artata plus). Unam eamque parvam arcam suffecisse dicit condendæ ei pecuniæ, quæ ex multis illis navibus efficeretur. Fallaces quidem cet. dicitur noto illo usu particulæ quidem, quo concessio coniungitur cum elevatione et refutatione, de quo usu dixi ad Cic. de Finn. I, 35. (Velatæ iam aliis in mentem venerat.)

Ibid. 41: nisi C. Cæsaris summa in omnes,

incredibilis in hunc eadem liberalitas exstitisset, nos hunc iam pridem in foro non haberemus. Scribendum videtur: nisi . . summa in omnes, incredibilis in hunc **et divina** liberalitas cet., hoc est, nisi liberalitas Cæsaris, quæ in omnes summa est, in hunc incredibilis et divina exstitisset.*)

Pro Marcello 10: omnium Marcellorum meum pectus memoria offudit. Inusitate memoria offundere pectus eius dicitur, qui eam cum benevolentia et grato animo recolit. Videtur Cicero scripsisse: omnium Marcellorum <in> meum pectus <se> memoria effudit.

Ibid. 12: ipsam victoriam vicisse videris, cum ea, quæ illa erat adepta, victis remisisti. Valde inusitate victoria adepta esse dicitur, quæ Cæsar vincendo adeptus erat, nec aptum huic sententiæ remittendi verbum. Codex Fuldensis: erant. Scribendum igitur: cum ea, quæ illā erant **ademptı**, victis remisisti, id est, reddidisti.

Philipp. II, 19: Hæc tu non propter audaciam dicis tam impudenter, sed quia tantam rerum repugnantiam non videas. Nihil profecto sapis. Sic codex Vaticanus. Vitium orationis apparet in quia . . . videas, quoniam in hac affirmatione coniunctivo locus non est. Deinde post hanc affirmationem: sed quia

---

*) § 43 nihil est, cur non recte dicantur turpes impensæ cupiditatum, quæ fiant ad cupiditates explendas. Deinde sic scribendum est: labentem excepit, corruere non sivit, fulsit et sustinuit re, fide, hodieque sustinet (hæc una serie recte decurrunt de iis, quæ Cæsar Rabirio tribuerit, quorum sententiam breviter enarrator aliquis in margine comprehendit illis verbis: nec amicum prudentem cet. Deinde transitur ad generalem Cæsaris laudem:) Nec illius animi cet.

tantam rerum repugnantiam non videas prorsus inutiliter additur gravis asseveratio (*profecto*). In Halmii correctione prorsus perverse concurrunt duæ sententiæ causales eodem spectantes (*quia — nihil sapis, qui — non videas*). Cicero postquam Antonium audaciæ insimulavit, non potest negare audaciam hanc esse, sed cum exceptione et condicione dicere, si audacia hæc non sit, stultitiam esse et ex hac una stultitia intelligi, quam nihil omnino sapiat Antonius. Itaque sic scripsit: <Si> *hæc tu non propter audaciam dicis tam impudenter, sed quia tantam rerum repugnantiam non videas, nihil profecto sapis.* Iam rectum est *videas*, quia condicioni incertæ subiicitur causa. Excidit *si* post *ri* (*circumsederi*).

Ibid. 91: *quo quidem facto tantum te cepisse odium regni videbatur, ut eiu omen nomen propter proximum dictatoris metum tolleres.* Sic Vat. Antonius sua lege dictaturam sustulisse videbatur, quod eius nomine Cæsar usus esset aliique usuri viderentur ad regnum obtegendum. Itaque non regnum aut regni nomen propter dictatoris metum, sed propter regni metum dictatura sublata est. *Nomen — tolleres* post superius illud *nomen — sustulisti* vitiosissimam habet tautologiam. Ciceronem scripsisse suspicor ad hanc fere formam: *ut eius omen proximum dictatoris metum tolleres.* Ad *omen* propter superiora (*dictaturæ nomen*) ascriptum est *nomen*. Cum non intelligeretur appositionis forma, qua in dictatoris metu omen regni inesse significatur, additum est *propter*.

Ibid. V, 7: *Quid? Hanc legem populus Romanus accepit? Quid? Per auspicia ferri potuit? Sed augur verecundus sine collegis de auspiciis.* Deest verbum (*dicere non audet* aut simile aliquid), superest particula adversativa. Verum in hac ipsa latet sine dubio, quod requirimus: Silet *augur verecundus* s. c. *de auspiciis.*

Ibid. 9: sic vero erant disposita præsidia, ut, quomodo hostium aditus urbe prohibentur, ita castellis et operibus ab ingressione fori populum tribunosque plebi propulsari videres. Opera et castella ad hostium prohibitionem, non ad fori ingressum pertinere manifestum est. Scribendum igitur: ut, quomodo hostium aditus urbe prohibentur castellis et operibus, ita ab ingressione fori cet. Erroris causa fuisse videtur, quod librarius non intelligeret ablativos diverso modo ad prohibentur referri (Gramm. Lat. § 278 a). [Hoc iam ante tria sæcula apud Iuntam occupatum erat, postea ab Ernestio probatum.]

Ibid. 21: tamen separatim suo nomine notanda censeo, iudicandumque nullos septemviros fuisse, nihil placere ratum esse, quod ab iis actum diceretur. Apertissime Cicero nunc et in posterum irrita esse vult, quæ quis ab illis septemviris ante acta nunc dicat dicturusve sit. Scripserat igitur **dicetur**, non diceretur.*)

Ibid. XI, 36: Animadverti, patres conscripti, exaudi rui etiam nimium a me Brutum, nimium Cassium ornari, Cassio vero sententia mea dominatum et principatum dari. Manifestum est Ciceronem de aliorum, non de suo iudicio dicere. Itaque rectius olim Naugerius quam nuper Halmius Kayserusque, quorum e scriptura (exaudiri — exaudivi) sententia probabilis effici non potest. Sed ad codicum vestigia propius accedere licet: Animadverti, p. c., **et audio** videri etiam nimium a me Brutum, nimium Cassium ornari, Cassio vero cet. Nihil est, cur tollantur verba nimium Cassium. Primum communiter de utroque dicitur, deinde de Cassio separatim.

*) § 42 Antonii nomen incommodissimo loco e margine irrepsit, ascriptum ad hominis impotentissimi appellationem.

Ibid. XII, 24: *Teneant alii castra, gerant res bellicas, oderint hostem — nam hoc caput est —; nos, ut dicimus* (scr. cum Grutero *didicimus*) *semperque fecimus, urbem et res urbanas .. tuebimur.* Verbum, quod est *oderint*, frustra Orellius tueri conatus est ea supplendo, quæ in verbis nec expressa sunt nec significantur. Ex ipso illo, quod subiicitur (*nam hoc caput est*), apparet, cuius sententiæ verbum requiratur. Geminata extrema præcedentis vocabuli littera effici videtur: **superent** *hostem*.*)

Ibid. XIII, 36: *Difficile est credere eos, qui me præcipitem egerint æquissimas condiciones ferentem ...., putare aliquid moderate aut humane esse facturos.* Manutio, qui recte senserat vitiose concurrere *credere .. putare*, opponitur Prisciani auctoritas, qui ex hoc loco profert *putare .. facturos.* Videlicet Manutius non *putare* tollere debuit, sed *credere*, quod librarius ad *difficile est* addidit, cum nondum animadvertisset sequi *putare*. [Hanc emendationem non attenderam iam cum Halmio communicatam et a Kaysero receptam esse.]**)

Cap. III.

Ciceronis epistolæ.

Epistol. ad famil. I, 9, 10: *Hæc cum ad me frater pertulisset, et cum tamen Pompeius ad me cum mandatis Vibullium misisset* cet. Sen-

---

*) § 23, ubi scribitur: *num aberret a coniectura suspicio periculi mei*, delenda est præpositio. Qui coniecturam facit, ut hoc loco *suspicio*, non aberrat a coniectura, quam facit, sed coniectura (coniectando) aberrat (a veritate).

**) XIV, 13 proxime cod. t scribendum: *impetus crimen*<que> *quæretur?*

tentia manifesto postulat: et cum **etiam** Pompeius cet. [Orellius 1845 item.]

Ibid. § 20: quidam homines et iidem illi, quos sæpe significatio neque appello. Ex hac primæ manus scriptura manus altera interpolando effecit: sæpe nutu significationeque appello. Neque nutu significari quisquam in epistola potest neque significatione appellari. Emendatio facillima est: quos sæpe significo neque appello.

Ibid. IV, 9, 4: Denique, si fuit magni animi non esse supplicem victori, vide, ne superbi sit aspernari eiusdem liberalitatem, et sapientis est carere patria, duri non desiderare, et, si re publica non possis frui, stultum est nolle privata. Sic codex Med. Recte ante sapientis additur si; vereor, ne simul post sapientis tolli debeat est, ut, quemadmodum post duri auditur sit, sic in priore membro audiatur fuit. Verum, utut hoc est, mendum, quod apparet in stultum est, occultatur, non tollitur omisso est; nam et stulti esse debebat, et ipsa stultitiæ appellatio gravem habet Marcelli offensionem, quæ nulla aut modica est in comparatione sapientiæ et duritiæ. Itaque totum hoc stultum est a librario ascriptum puto, qui non attendisset copulari non desiderare et nolle.*)

Ibid. 13, 7: quæ si colliges, et sperabis omnia optime et, quæ accident, qualiacumque erunt, sapienter feres. Recte dicitur bene sperare, prave omnia bene sperare, cum præsertim contrarium inferatur: quæ accident, qualiacumque erunt. Scribendum necessario: et sperabis omnia **optima** et, quæ accident, cet. Cf. VI, 13 extr.

---

*) Quod 5, 5 in epistola Servii Sulpicii annotaveram scribendum esse, una cum re publica floruisse (pro fuisse), video iam a Lambini æqualibus, deinde a Weiskio præceptum.

Ibid. V, 4 extr.: sin mihi neque magistratus neque senatum neque populum auxiliari propter eam vim, quæ me cum re publica vicit, licuerit, vide, ne, cum velis revocare tempus omnium servandorum, cum qui servetur non erit, non possis. Non posse revocari tempus hominum servandorum, cum qui servetur nemo sit, adeo est manifestum, ut cum admonitione id dicere stultum sit. Prave pro si volueris dicitur cum velis, totusque ambitus verborum mire claudicat superpositis duabus sententiis a cum incipientibus. Rectum erit ad sententiam: vide, ne tum velis revocare tempus o. s., cum qui servetur non erit, hoc est, vide, ne omnibus iam deletis sera futura sit servandi voluntas. Sed superest non possis, quod nemo, si sic scriptum fuisset, additurus erat. Itaque Cicero sic scripsit: vide, ne tum velis r. t. o. s., cum, <quia> qui servetur non erit, non possis. Quam facile excidere quia potuerit, patet.*)

Ibid. 15, 2: Tecum vivere possem equidem et maxime vellem .... Possumusne igitur esse una? Mire Cicero significat se cum Lucceio vivere posse; poterat enim æque cum aliis plurimis; prorsusque evertitur sententia eo, quod subiicitur: Possumusne igitur cet.? Scripsit Cicero: Tecum vivere, <si> possem, equidem maxime vellem. Sed fieri posse negat.

Ibid. VI, 4, 2: illud cuivis facile est docere, cur præcipue tu dolore nihil debeas; eius enim, qui tardior in te levando fuit, quam fore putaramus, non est mihi dubia de tua salute sen-

---

*) Quod 6, 1 pro prudenti scribendum conieceram pudenti (nam prudenti Ciceronem potius crediturum fuisse quam imprudenti) et 8, 3 inciderunt pro interciderunt, quod longe aliud significat etiam in duobus locis apud Schellerum non recte positis, utrumque pridem occupatum video.

tentia; de illis autem non arbitror te exspectare, quid sentiam. Pronomen illis, quo referatur, non habet (communes miseriæ intelligi hic nullo modo possunt). Scr. de aliis. In unius Cæsaris voluntate omnia posita esse Cicero dicit, de ceteris inutile esse dicere. [Sic iam Ernestius. O editorum negligentiam!]

Ibid. § 3: Equidem, nos quod Romæ sumus, miserrimum esse duco. Codex Med. qui et miserrimo. Scr.: nos, qui Romæ sumus, miserrimos esse duco. Suam miseriam ceterorum miseria graviorem Cicero putat.

Ibid. 10, 5: nam et ipse, qui plurimum potest, quotidie mihi delabi ad æquitatem et ad rerum naturam videtur, et ipsa causa ea est, ut iam simul cum re publica .... necessario revivescat atque recreetur cet. Quid hoc est monstri, Cæsarem delabi ad rerum naturam, quasi hactenus extra eam eiusque leges positus fuerit? Scribendum est: delabi ad æquitatem et ad verum natura videtur. Hæc inclinatio, quam ipsius Cæsaris natura efficit, coniungitur cum causæ Trebiani necessitate.

Ibid. VII, 1, 1: Neque tamen dubito, quin tu in illo cubiculo tuo, ex quo tibi Stabianum perforasti et patefecisti Misenum, per eos dies matutina tempora lectiunculis consumpseris, cum illi interea, qui te istic reliquerunt, spectarent communis mimos semisomni. Qui communes mimi sint, prorsus nescio, ac ne si vulgares quidem et obsoleti dicerentur, quid ea significatio ad hunc locum pertineret, intelligerem. Sine dubio Cicero scripserat: spectarent comminus mimos. Spectaculum comminus oculis subiectum ludens Cicero comparat cum prospectu longinquo amœnorum locorum, quem sibi Marius e cubiculo paraverat.

Ibid. 13, 1: Adeone me iniustum esse existi-

masti, ut tibi irascerer, quod parum mihi constans et nimium cupidus decedendi viderere ob eamque causam me arbitrarere litteras ad te iam diu non misisse? Mire sententia conturbata est. Quomodo enim Trebatii opinio (arbitrarere) de causa epistolarum a Cicerone non missarum cum causa iniustitiæ et iræ Ciceronis (viderere) coniungi potest? Omnia recta erunt detractis duabus litteris, quæ propter præcedens verbum alteri additæ sunt: Adeone me iniustum esse existimasti, ut .... viderere, ob eamque causam me arbitrare litteras ad te iam diu non misisse?

Ibid. 33, 2: quamquam venies, ut ipse intelligis, in maximarum quasi concursum occupationum, quas si, ut volumus, exceperimus, ego vero multam salutem et foro dicam et curiæ vivamque tecum multum cet. Quid sit excipere occupationes, quidve ea exceptio, si qua fingi potest, pertineat ad libere cum amicis vivendum, nescio. Contra multum ad eam rem pertinet occupationibus sese exsolvere. Scripserat Cicero: quas si .. expedierimus. (Paulo post pro opus est huc utrum scribendum sit o. e. hic, quod in antiqua aliqua editione esse video, an potius o. e. adhuc, ambigo.) Sequitur: tu vellem ne veritus esses, ne pluribus legerem tuas litteras, si mihi .. longiores forte misisses cet. Mendum esse in pluribus a multis intellectum est; neque enim longitudo epistolarum ullam habere causam poterat pluribus eas legendi. Opinor fuisse ne pigrius.

Ibid. VIII, 4, 4: sed cum senatus habitus esset ad Apollinis a. d. XI. Cal. Sext., et referretur de stipendio Cn. Pompeii, mentio facta est de legione ea, quam expensam tulit C. Cæsari Pompeius, quo numero esset, quoad peteretur. Cum Pompeius esse in Gallia, coactus est dicere

Pompeius se legionem abducturum, sed non statim sub mentionem et convicium obtrectatorum. Sublato postremo loco Pompeii nomine, quod errore geminatum est, oratio sic interpungenda est: — mentio facta est de legione ea, quam expensam tulit C. Cæsari Pompeius, quo numero esset, quoad peteretur, cum (qua occasione, quo tempore) Pompeius, esse in Gallia, coactus est dicere: se legionem abducturum cet.

Ibid. 9, 1: Post repulsam vero (Hirrus) risus facit; civem bonum ludit et contra Cæsarem sententias dicit; exspectationem corripit; Curionem prorsus curionem non mediocriter obiurgatus ac repulsa se mutavit. Quamquam Cælii epistolas propter totum orationis et scribendi genus cautissime attingere oportet, certissimum tamen est inter Cæsarem et Curionem impetu Hirri petitos prave interponi, ab eo correptam exspectationem, neque iis artificiis fidem habere possum, quæ adhibentur interpretandis verbis: Curionem prorsus curionem. Videtur Cælius scripsisse: contra Cæsarem sententias dicit, exspectatione corripit Curionem (hoc est, exspectatione earum rerum, quas Curio tribunus acturus sit; nondum enim quidquam Curio egerat); prorsus (hoc cum asseveratione adiungitur) Curionem non mediocriter obiurgat; sic repulsa se mutavit.

Ibid. 10, 2: Consules autem, quia verentur, ne illud senatus consultum fiat, ut paludati exeant, et contumeliose præter eos ad alium res transferatur, omnino senatum haberi nolunt cet. Cælius significare videtur, consules ipsos belli periculosi administrationem vitare cupere, et tamen vereri, ne, si ipsis præteritis belli administratio aliis mandetur, id sibi dedecori sit, ideoque id agere, ne quid omnino de ea re decernatur. Scribendum igitur videtur: Consules

autem, quia verentur, ne illud senatus consultum fiat, ut paludati exeant, aut contumeliose <se> præteritis ad alium res transferatur, omnino senatum haberi nolunt. (Aut pro et scribendum esse viderant iam Ernestius et Schuetzius.)

Ibid. 11, 2: Decrerant quidem (quidam Wesenbergius), qui inique (M quinique) transigi volebant, Domitii, Scipiones, quibus hac re ad intercessionem evocandam interpellantibus venustissime Curio respondit se eo libentius non intercedere, quod quosdam, qui decernerent, videret confici nolle. Vitiose hæc dici facile intelligitur; neque enim, qui decrerant, inique transigi volebant (et quæ potest hic significari iniquitas?), sed nihil transigi, specie tantum decernendi utentes, ut et ex reliqua narratione et ex venusto Curionis responso apparet. Scribendum igitur: Decrerant quidam neque transigi volebant, Domitii, Scipiones, quibus hac re (id est, si recte scribitur, ea re, ideo) ad intercessionem cet. (Mendum subesse senserant iam alii, correctionem non assecuti erant.)

Ibid. § 3: Quod ad rem publicam attinet, in unam causam omnis contentio coniecta est, de provinciis, in qua adhuc est. Incubuisse cum senatu Pompeius videtur, ut Cæsar Id. Novembr. decedat. Quis aut quid est adhuc in ea causa? Scribendum: in qua adhuc eo incubuisse cum senatu Pompeius videtur, ut cet. Sed præterea suspicor a Cælio positum fuisse: in unam causam omnis contentio conlecta est.

Ibid. 14, 1: Nunc furit (M fuerit) tam gavisos homines suum dolorem unumque moue studiosiorem antonianam (recte editiones: Antonii; nam). Sic M. A loquendi usu omnino abhorret gaudere dolorem alicuius; (longe alius generis esset gaudere gaudium suum;) cetera quam infeliciter nuper tentata

sint, nihil opus est dicere. Timide suspicor scribendum esse: tam gavisos homines suo in dolore venenumque evomit <in me> studiosiorem Antonii. Sequitur: nam Cn. Saturninum adolescentem ipse Cn. Domitius reum fecit, sane quam superior ea uita invidiosum. Sic enim in M scribitur; editiones habent superiore a vita. Inusitate dicitur a vita invidiosus; homo adolescens non superiore vita, sed ea, quam cum maxime agebat, invidiam conflabat. Sine dubio scribendum est: sane quam superiorem causa (superiorē cā), vita invidiosum.

Ibid. § 2: Nam mihi cum hominibus his et gratia et necessitudo est; causam illam, non homines odi. In M scribitur: gratia et necessitudinem cum causam illam unde homines odi. Scribendum est: Nam mihi cum hominibus his et gratiæ et necessitudines sunt; causam illam <amo>, unde homines odi, hoc est, causam illius partis amo, a qua parte homines odi. Animum suum Cælius in Cæsaris et Pompeii contentione distringi et in diversum trahi dicit, quod, in qua parte causam amet, ex eadem parte homines oderit.

Ibid. IX, 6, 6: Sed plus facio, quam Caninius mandavit; iure enim, si quid ego scirem, rogarat, quod tu nescires; ego tibi ea narro, quæ tu melius scis quam ipse, qui narro. Non iustam Caninii rogationem Cicero se pervertisse, sed brevem et simplicem amplificasse significat et latius extendisse. Scribendum igitur videtur: pure enim (nullo præterea adiuncto), si quid ego scirem, rogarat cet. Paulo post, ubi scribitur: quæ tua audiero, videtur fuisse: quæcumque audiero.

Ibid. 15, 2: Ego autem .... mirifice capior facetiis, maxime nostratibus, præsertim cum eas videam primum oblitas Latio tum, cum in

urbem nostram est infusa peregrinitas, nunc vero etiam bracatis et Transalpinis nationibus, ut nullum veteris leporis vestigium appareat. Minime placent facetiæ Latio oblitæ pro eo, quod est Latino colore oblitæ et infuscatæ; deinde Latium nullo modo peregrinum colorem significare potest, sed proprium et genuinum gentis Latinæ; prorsus vero monstri similes sunt facetiæ oblitæ nationibus bracatis et Transalpinis. Omnis hæc perversitas ex pusillo errore orta est, quem genuit brevior et antiqua genetivi forma; nam Cicero scripserat: præsertim cum eas videam primum oblitas Lati tum, cum in urbem nostram est infusa peregrinitas, nunc vero etiam <in> bracatis et Transalpinis nationibus cet. Facetiæ Latii et Latinæ proprietatis primum oblitæ sunt, cum omnes Itali in civitatem recepti sunt, nunc vero etiam magis obliviscuntur in Transalpinis nationibus.

Ibid. 16, 7: nunc, cum tam æquo animo bona perdas, non eo sis consilio, ut, cum me hospitio recipias, æstimationem te aliquam putes accipere. Latine non dicitur esse aliquo consilio. Præterea, cui consilio locus sit, dici debet, non, cui non sit. Opinor scribendum esse: non eo possis consilio <uti>, ut . . . . putes accipere? Interrogatur, quid fingi excogitarique possit; itaque recte possis ponitur pro potes.

Ibid. X, 18, 3: Sed certe, nisi uno loco me tenerem, magnum periculum ipse Lepidus, magnum ea pars exercitus adiret cet. Et supra Plancus se periclitari et commovere se voluisse dixit et paulo post subiicit: Itaque . . ab Isara castra movi. Valde igitur inclino, ut Plancum scripsisse putem: Sed certe, si uno cet. [Sic iam Manutius et alii.]

Ibid. 34, 3: Etsi omni tempore summa studia officii mutuo inter nos certatim constiterunt cet. Sine dubio scribendum officii mutui. Cum semel

scriptum esset (mutuinter), vocalis non recta suppleta est.

Ibid. XI, 10, 1: Non mihi rem publicam plus debere arbitror quam me tibi. Gratiorem me esse in te posse, quam isti perversi sint in me, exploratum habes; si tamen hæc temporis videantur dici causa, malle me tuum iudicium quam ex altera parte omnium istorum cet. Ridicule Brutus gratiorem se esse posse dicit; gratum se esse affirmare debet. Sensu carent verba: si tamen hæc temporis videantur dici causa, in quibus ipse coniunctivus vitiosus est. Quæ deinde subiiciuntur (malle me cet.), prorsus, unde pendeant, nihil habent. In M scribitur: sit an hoc tempore is uideantur. Hinc primum efficitur: Exploratum habes vita (ne hæc temporis videantur dici causa), malle me cet. Utrum unde sic Brutus vita posuerit an tota vita scripserit, non definio. Deinde in posse subest verbum, unde pendeat sententia infinita gratiorem me esse in te. Ad sententiam aptissimum est nosces.

Ibid. XIII, 66, 1: A te hoc . . peto . . ., ut ad ea, quæ tua sponte sine cuiusquam commendatione faceres in hominem tantum et talem calamitosum, aliquem afferant cumulum meæ litteræ cet. Iniuria in suspicionem vocatum est calamitosum; est enim idem, ac si scribatur in calamitate, postquam calamitosus factus sit. Sed prorsus inepte cliens inferioris ordinis et negotiator appellatur tantus homo. Proximum est litteris et ad sententiam probabile: in hominem **tam tuum** et talem.

Ibid. XIV, 1, 5: et, si nos premet eadem fortuna, quid puero misero fiet? Quæ est hæc eadem fortuna et quæ eius oppressio, quidve ea ad puerum pertinet? Una addita littera recta sententia oritur: et, si nos **perimet** eadem fortuna, cet. Si utrumque idem

mortis casus rapuerit, quid post parentum mortem filio futurum sit, quæritur.

Ibid. XV, 17, 2: Mindius Marcellus et Attius pigmentarius valde gaudebant se adversarium perdidisse. Prave Mindio cognomen nobilissimæ familiæ additur. Uterque homo contemptim (sine prænomine) quæstus genere notatur: Mindius **macellarius** et Attius pigmentarius.

Epistol. ad Attic. I, 1, 2: Nostris rationibus maxime conducere videtur Thermum fieri cum Cæsare; nemo est enim ex iis, qui nunc petunt, qui, si in nostrum annum reciderit, firmior candidatus fore videatur, propterea quod curator est viæ Flaminiæ, quæ cum erit absoluta sane facile eum libenter nunc ceteri consuli acciderim. Minucium Thermum Cicero hoc anno cum Cæsare consulem fieri cupit, quia, si in eum annum reciderit candidatus, quo ipse Cicero petiturus sit, absolutæ viæ Flaminiæ gratia adiutum eum iri et gravem competitorem fore prævidet. Prave concurrere facile et libenter et ab pronomine eum novam incipere sententiam apparet. Hæc sententia huiusmodi fuit: Eum libenter nunc **Cæsari consulem accuderim.** Iocoso Cicero verbo utitur de pari consulum conflando. Prior sententia vim absolutæ viæ Flaminiæ ad Thermum commendandum declarabat; fortasse scriptum fuerat: quæ cum erit absoluta, sane **faciet**, hoc est, sane aget et multum valebit, nisi aliquid post facile excidit. [In accuderim inciderat Bosius, qui in ceteris longe abit.]

Ibid. 14, 5: Cum decerneretur frequenti senatu, contra pugnante Pisone, ad pedes omnium singillatim accidente Clodio, ut consules populum cohortarentur ad rogationem accipiendam, homines ad quindecim Curioni nullum

senatus consultum facienti assenserunt; ex altera parte facile quadringenti fuerunt. Acta res est. Mire Cicero narrationem rei actæ plenam sic concludit, ut actam dicat. Scribendum: **Accepta** res est, hoc est, comprobata et senatus consulto confirmata. Itaque subiungitur, quid deinde Clodius ad senatus consulti effectum impediendum egerit. Actus et acceptus etiam in Livii codicibus confunduntur (Emend. Liv. p. 353 not.).

Ibid. 16, 3: pauci tamen boni inerant (in consilio iudicum, apud quos de Clodii incesto quæri debebat), quos reiectione fugare ille non potuerat, qui mæsti inter sui dissimilis et mærentes (M merentis) sedebant cet. Qui mæsti sint, mærere, sane nihil opus est dici. Duplex erat animorum affectus: mæsti inter sui dissimilis et **mirantes** sedebant.*)

Ibid. 18, 1: Abest enim frater ἀφελέστατος et amantissimus. Metellus non homo, sed litus atque aer et solitudo mera. Tu autem cet. Certissimum est (quod dico propter infelices quorundam conatus, telluris umbram amplectentium), hoc loco inter Quinti fratris et Attici mentionem nihil aliud interponi potuisse nisi tertii cuiusdam hominis nomen, qui una cum Cicerone esset, ut eius sermonibus et consiliis uti posse videretur, sed qui ad eam rem ineptissimus esset. Sed neque Metellus quisquam hoc apud Ciceronem loco erat neque sic nude appellari poterat. Verum nomen vereor ne frustra quæramus. Potest tamen, tribus primis litteris, ut

---

*) § 13, ubi in M est fabam minimum litteris ni expunctis, quod Hofmannus subesse suspicatus est fabæ hilum, eandem significationem propius ad litteras assequare, si Græca voce Ciceronem usum statuas: fabæ μυοῦν futurum. (§ 17 scribendum: crebras a nobis litteras exspecta, **sed** pluris etiam ipse mittito. Particulæ antiquæ ast nihil hic loci est; a vocalem librarius errore geminavit.)

iam Malaspina fecerat, ad priora tractis (amantissimus mei), in mentem venire **Tullius**, ut intelligatur Marcus is, qui VIII, 11 B extr, necessarius Ciceronis appellatur.

Ibid. § 2 (quem locum Adv. II p. 234 sq. minus recte tractavi): In re publica vero, quamquam animus est præsens, tamen voluntas etiam atque etiam ipsa medicina efficit. Pro efficit scribendum esse deficit iam ab aliis intellectum est; sed voluntas ab animo præsenti separari et ei contraria poni nequit. Latet sub hoc nomine participii præsentis accusativus, cui adiungatur etiam atque etiam. Non satisfacit, quod proximum occurrit, volentes; longe aptius: **volutantes** etiam atque etiam. Verbum tamen, quod est volutare, hoc significatu non reperitur apud Ciceronem nisi de Re p. I, 28.

Ibid. 19, 2: Atque in re publica nunc quidem maxime Gallici versantur metus; nam Hædui, fratres nostri, pugnant pueri in alam pugnarunt et sine dubio sunt in armis excursionesque in provinciam faciunt. Ex litteris pugnant pueri in alam pugnarunt prorsus certa emendatione efficitur: **pugnam permalam** pugnarunt. Sed deinde desideratur nomen alterius populi Gallici infidi et hostilis, qui contrarius ponitur Hæduis Romanorum amicis; eius nominis tenue vestigium relictum est in litteris et. Carnutesne fuerint, non definio; prior huius nominis pars (Carnut-) facile excidere poterat propter litterarum similitudinem (-arunt), sed sedes eorum longius a provincia aberant.

Ibid. § 9: nam, quod me esse ad scribendum vides, ex ipso senatus consulto intelligere potes, aliam rem tum relatam, hoc autem de populis liberis sine causa additum, et ita factum est a P. Servilio filio, qui in postremis sententiam dixit cet. Manifestum est corrupta esse et verba sine

causa (nam sine causa an cum causa additum hoc fuerit, nihil omnino ad id, de quo Cicero scribit, pertinet) et ita factum est. Scribendum videtur: hoc autem de populis liberis in eam causam additum et infartum est (esse?) a P. Servilio filio.

Ibid. II, 1, 5: sed ego illam (Clodiam) odi male consularem; [ea] est enim seditiosa, [ea] cum viro bellum gerit, neque solum cum Metello, sed etiam cum Fabio, quod eos in hoc esse moleste fert. Extrema hæc in M prima manu sic scribuntur: eos esse in hoc esse moleste fert, ex quo efficitur: quod eos esse innocentes moleste fert. Clodiam Cicero dicit Metellum et Fabium odisse nullam aliam ob causam, nisi quod a Clodii Clodiæque vitiis et sceleribus abhorreant.

Ibid. 7, 1: Orationes autem a me duas postulas, quarum alteram non libebat mihi scribere, qui absciram, alteram, ne laudarem eum, quem non amabam. Ex vestigiis litterarum erui videtur: quia obscura erat. In minutis et difficilibus rebus versatam esse orationem nec ullam luminum occasionem habuisse significat.*)

Ibid. 16, 4: Si possum discedere, ne causa optima in senatu pereat, ego satisfaciam publicanis cet. Ne pro ita, ut non *(ohne dass)* dici nequit, neque discedere aptum est. Ne cum satisfaciam coniungendum est; Cicero enim se ideo publicanis satisfacturum dicit, ne optima causa, hoc est, equestris ordinis cum senatu coniunctio, in senatu pereat. Itaque scribendum opinor: Si possum decidere, hoc est, quasi cum utraque parte pacisci *(ein Compromiss finden)*.

---

*) De 14, 2 dixi in ephemeridibus Gallicis, quæ inscribuntur *revue de philologie* 1878 p. 186.

Ibid. 24, 4: Modo cædem timueramus, quam oratio fortissimi senis Q. Considii discusserat; ea, quam quotidie timere potueramus, subito exorta est. Etiamsi Latinum esset cædem discutere, quod non est, tamen Considii senis oratio non poterat cædem a Cæsare, Pompeio, Crasso cogitatam impedire. In M scriptum est: que oratio, ex quo nascitur verum: quem <metum> oratio .. Q. Considii discusserat. Usitatissime dicitur metum, timorem, similia discutere. In iis, quæ sequuntur, recte Wesenbergius ante quam excidisse substantivum vidit; sed vis parum aptum videtur; nihil tamen melius reperio.

Ibid. III, 8, 4: cuius enim scelere impulsi ac proditi simus, iam profecto vides, atque utinam iam ante vidisses neque totum animum tuum mærori mecum simul dedisses! Cicero Atticum mallet ante casum et exsilium suum providisse, quid sibi immineret periculi fraude et scelere inimici. Atqui illo tempore nulla erat mærendi causa, sed cavendi; mæror calamitatem secutus est. Itaque Ciceronem scripsisse credo: neque totum animum tuum errori mecum simul dedisses. Suum errorem Cicero proximis verbis significat: quod ei crediderim, quem esse nefarium non putarim; eum errorem nunc demum luget.

Ibid. 12, 3: Ego etiam nunc eodem in loco iaceo sine sermone ullo, sine cogitatione ulla. Licet tibi, ut scribis, significarem, ut ad me venires si donatam ut intelligo te istic prodesse, hic ne verbo quidem levare me posse. Infeliciter tentatas loci manifesto corrupti emendationes vel unum significarem in significarim mutatum coarguit. Licet sic, ut hoc loco putant, pro quamquam positum a Ciceronis usu prorsus abhorret (ad Fam. XIII, 27, 1 incredibiliter erratur; sine ulla anacoluthia Cicero

fieri posse dicit, ut eodem exemplo plures epistolas mittat). Apparet Ciceronem antea voluisse, Atticum ad se venire, nunc id consilium improbare et abiicere. Ea sententia his verbis concepta erat: Scilicet tibi, ut scribis, significaram, ut ad me venires; id omittamus; intelligo te cet. Particula scilicet concedendi habet vim, non iniuria Atticum scribere, antea id a Cicerone significatum esse; alterius erroris origo nata est ex littera extrema vocabuli venires geminata et proximis male distractis (si do- pro id o-).

Ibid. 15, 4: Neque hæc eo scribo, quo te non meo casu maximo dolore esse affectum sciam, sed profecto, si, quantum me amas et amasti, tantum amare deberes ac debuisses, numquam esses passus me, quo tu abundabas, egere consilio cet. Ridicule comparatur Attici amor et amoris, ut ita dicam, debitio (si tantum me amare debuisses, quantum amasti), ridiculeque concluditur, Atticum, non si amasset, sed si amare debuisset, melius Ciceroni prospecturum fuisse. Comparari (vel sic satis artificiose et contorte) Attici amorem et eius pro meritis Ciceronis amandi eius officium et, ut ita dicam, obligationem, apparet ex iis, quæ subiiciuntur: quod erat amoris — quod meritis meis perfectum oportuit. Omnia igitur recta erunt omisso amare, quod additum est, cum non animadverteretur, debere absolute dici: si, quantum me amas et amasti, tantum deberes ac debuisses *(wenn du mir soviel schuldig, so verpflichtet gewesen wärest)*.

Ibid. § 5: Quod te cum Culleone scribis de privilegio locutum, est aliquid, sed multo est melius abrogari; si enim nemo impediet, quid est firmius? Sin erit, qui ferri non sinat, idem senatus consulto intercedet. Ubi editur parum apta interrogatione: quid est firmius, in M scribitur: sic

est firmius, id est, una detracta littera restitutoque scribendi compendio: SC (senatus consulto, quo id, quod a Clodio latum esset, privilegium iudicaretur irritumque esse iuberetur) *est firmius* (legem abrogari). Pusilli erroris correctio simul admonitionem habet, quam insistendum sit codicis Medicei vestigiis.

Ibid. IV, 1, 1: *cognoram enim, ut vere scribam, te in consiliis mihi dandis nec fortiorem nec prudentiorem quam me ipsum nec etiam propter meam in te observantiam nimium in custodia salutis meæ diligentem, eundemque te, qui primis temporibus erroris nostri aut potius furoris particeps et falsi timoris socius fuisses, acerbissime discidium nostrum tulisse* cet. Omitto infelicem Hofmanni coniecturam, quam secutus Baiterus *me* pro *nec* scripsit. Prorsus fieri nequit, ut inter duo contraria, quæ in Attici persona notantur (*te in consiliis* cet. et *eundemque te* cet.), interponatur aliquid, quod ad Ciceronem ipsum pertineat; quid deinde coniuncti habent Ciceronis in Atticum observantia et in suæ salutis custodia diligentia? Verum non minus pravum est, Atticum propter Ciceronis in se observantiam minus diligentem fuisse in eius salutis custodia. Etiamsi violenta mutatione scribas *pro præterita mea in te obs.*, nihil efficiatur nisi importuna et odiosa Attici reprehensio, quod non satis observantiæ Ciceronis responderit. Quid Cicero, quo erat tum animi affectu, timiditatis suæ culpam ex aliqua parte in amicos transferens, senserit scripseritque, apparet ex libri tertii ep. 15, 4, ubi Cicero, ut in Attico parum sibi consilii et auxilii fuisse queri possit, culpæ partem in se transfert, quod antea non satis Atticum coluerit. Itaque hoc quoque loco sic scripserat: *cognoram enim, ut vere scribam, te in consiliis mihi dandis nec fortiorem nec prudentiorem quam me ipsum nec, etiam propter meam in te* inob-

servantiam (meam inobservantiam?), nimium in custodia salutis meæ diligentem, eundemque te cet. At inobservantia non reperitur ante Suetonium. Poterat tamen æque facile fingi atque indiligentia, intolerantia, alia non magis frequentata; inconsiderantiam recte Manutius restituit ep. ad Qu. fr. III, 9, 2, ipsum quoque apud solum præterea Suetonium servatum.

Ibid. 2, 4: Vix tandem sibi (M tibi) de mea voluntate concessum est. Delent editores sibi, quod unde ortum sit, nemo dixerit. Scribendum est: Vix tandem sivi; de mea voluntate concessum est. Se primum concedendi signum dedisse, quod ceteri secuti sint, significat. V et b quoties in codicibus permutentur, quis nescit?*)

Ibid. 10, 1: Ego hic pascor bibliotheca Fausti; fortasse tu putaras, his rebus Puteolanis et Lucrinensibus; ne ista quidem desunt. Hæ res, præsertim post pascor, mire infinite appellantur nec ullam habent voluptatis, quam Cicero sectetur, significationem. Scripserat Cicero: ostreis Puteolanis. Apte ad hunc iocum adiungitur: ne ista quidem desunt.**)

*) § 6 eadem temeritate, quam sæpe reprehendo, damnantur verba prope omnium fanorum, lucorum, quæ cur quis addiderit, ne umbra quidem causæ excogitari potest. Prope infinitam se legationem liberam obeundorum votorum causa postulaturum fuisse Cicero dicit.

**) Cum hanc emendationem cum Ussingio communicassem, is me admonuit, eam iam a Fulvio Ursino propositam esse. Nolui tamen tollere maluique hoc quoque loco conqueri, quam multæ et egregiæ huiusmodi emendationes veterum Italorum aliorumque neglectæ iaceant. Idem Ursinus mihi in Livii lib. XXVIII c. 21, 2 præripuerat, quo invento pæne gloriabar, de catasta servorum.

Ibid. 11, 2: Ego mecum præter Dionysium eduxi neminem, nec metuo tamen, ne mihi sermo desit; abs te opere delector. Scribendum: nec metuo tamen, ne mihi sermo desit; **<ita> ab isto puero** delector. Ut supra I, 19, 2 ex per ortum erat pueri, sic hic ex puero ortum est pere ascitumque ex præcedenti pronomine o; quemadmodum in desit ita litteræ quædam geminatæ interciderint, apparet. Puerum familiariter et amanter servum adolescentem vel iuvenem Cicero appellat. De addita apud delectandi verbum præpositione ab dixi ad Cic. de Finn. I, 14.

Ibid. 15, 4: Publius sane diserto epilogo criminans mentes iudicum commoverat. Quem aut quos criminatus erat? Reos criminando iudicum mentes non commovit, quoniam ex illis propter ipsum illum epilogum duo absoluti, unus pæne absolutus est. Scribendum: criminans **<me>** mentes cet. Clodius in epilogo occasionem arripuerat Ciceronem incessendi.

Ibid. 16, 5: Drusus reus est factus a Lucretio, iudicibus reiiciendis a. d. V. Non. Quinct. De Procilio rumores non boni, sed cet. Scire velim, quomodo cum verbis reus est factus coniungantur ablativi iudicibus reiiciendis; nam ut ablativi simul et modi et temporis futuri significationem habeant („ita, ut iudicum reiectio futura sit"), fieri nullo modo potest repugnante prorsus gerundivi apud antiquos usu, neque cum nominis delatione sic coniuncta erat reiectio iudicum, ut illo modo cum eius mentione conflari posset. Sine dubio excidit aliquid, cum huiusmodi esset orationis forma: D. reus est factus a Lucretio; iudicibus reiiciendis **<dies est dictus>** a. d. V. Non. Quinct. Eiusdem epistolæ § 9 editur, quemadmodum in M secunda manu scribitur: huic tamen nescio cui, quod videbatur is te visurus esse, vitiose abundante pronomine is; prima

manu in M scribitur: quod videbatur isti visurus esse, in quo latet: quod videbatur istic <te> visurus esse. Isti pro istic scriptum etiam alibi memini.

Ibid. 17 (18), 3 (postquam dictum est iudicii formæ inusitatæ, quæ intentata candidatis esset, intercessisse tribunos plebis): Res cedit; comitia dilata ex senatus consulto, dum lex de tacito iudicio ferretur. Verbum, quod est cedit, nullam habet significationem huic loco aptam. M habet cidit, ex quo efficitur cecidit.

Ibid. 18, 4: absoluto Gabinio stomachantes alii iudices hora post Antiochum Gabinium nescio quem, solidis pectoribus, libertum, accensum Gabinii, lege Papia condemnarunt. Itaque dixit statim resp. lege maiestatis. Mendi sedes et origo est in dixit. Scripserat Cicero: Itaque eluxit statim res publica legem maiestatis. Cum gravi indignatione acerbe iocans Cicero rem publicam luctum, quem Gabinio absoluto tamquam lege maiestatis sublata et mortua suscepisset, deposuisse dicit recreatam scilicet damnatione pusilli hominis alia lege accusati. (Paulo post non sine causa Siesbyeus miratur hoc uno loco apud Ciceronem edi ad nihil, cum et ipse alibi et ceteri antiquiores præpositionibus subiiciant nihilum, nihilo, a quo usu Plinius aliique deflectunt.)

Ibid. 19 (17), 1: Putavi de nummis ante comitia tributim uno loco divisis palam, inde absolutum Gabinium. Dictaturam fruere iustitio et omnium rerum licentia. Hæc conclusio est epistolæ, cuius reliqua pars folio codicis archetypi amisso intercidit. In ea epistola Cicero scripserat de oratione a se in senatu habita: <Dis>putavi .... palam, inde absolutum Gabinium; <rem publicam in> dictaturam ruere iustitio et omnium rerum licentia.

(Ruere iam Klotzio in mentem venerat.) Etiam in ep. 18, 1 (16, 9), ubi transpositio Mommsenio suasore a Baitero recepta parum satisfacit, folium excidisse videtur.

Ibid. V, 3, 1: Quid de his cogites et quando, scire velim. Mendum non est in quando, sed in de his. Verbum enim, quod est cogito, non iudicii Attici de rumoribus (id esset: Quid sentias), sed consiliorum significationem habet et pertinet ad itinera, quæ Atticus meditabatur; cf. ep. 5, 2 et 6, 2 et ep. 7. Cicero igitur, et quo proficisci cogitet, quærit, et quando; prior quæstionis pars latet sub illo de his. Mihi in mentem venerat de villis, Ussingio de viis.

Ibid. 4, 4: Dum acta et rumores vel etiam, si qua certa habes de Cæsare, exspecto. Et dum pravum est, et acta perverse cum rumoribus coniunguntur et contraria ponuntur certis. Scribendum: **Dumtaxat** rumores vel etiam, si qua certa habes de Cæsare, exspecto. Saltem rumores perscribi vult, si certi nihil sit. De ep. 7 et de ep. 11, 6 dixi in ephemeridibus Gallicis, quæ inscribuntur *revue de philologie*, a. 1878 p. 177 summamque disputationis significavi in libro de institutis rei publicæ Romanæ vol. II p. 60 sq.

Ibid. 12, 2: De Messalla ad te statim, ut audivi, de Gyaro dedi litteras, et id ipsum consilium nostrum etiam ad Hortensium, cui quidem valde συνηγωνίων. Vitiata quædam hic esse manifestum est. Primum enim cur Cicero Atticum certiorem facit, se ad eum biduo ante de Messalla scripsisse? Deinde proxima illa: et id ipsum consilium nostrum etiam ad Hortensium nec structuram nec sententiam, ut nunc scribuntur, habere videntur. Res sic habet: Atticus Ciceronem certiorem fecerat, Messallam iudicio absolutum esse, suaseratque, ut ei Cicero litteris datis gratularetur. Cicero id se statim fecisse respondet et præterea suo ipsum con-

silio (sine Attici admonitione) ad Hortensium scripsisse, qui Messallam defenderat. Itaque sic verba scribenda et interpungenda sunt: **Ad Messallam** . ., statim ut audivi, de Gyaro dedi litteras et — id ipsum consilium nostrum — etiam ad Hortensium, cui quidem valde συνηγωνίων. Quid pro ad te scriptum fuerit, pro certo non reperio; sententiæ satisfacit auctore te; sed nimis audax mutatio videtur.

Ibid. 21, 5: Is, ceteroqui abstinens, sed Iulia lege transita, semel tamen in diem, non, ut alii solebant, omnibus vicis, præter eum semel nemo accepit; facit, ut mihi excipiendus sit, cum teruncium nego sumptus factum. Lege transita pro eo, quod est contra legem, Latine non dicitur, nec Cicero confessurus erat legem violatam esse. Deest obiectum verbi accepit. Scribendum videtur: Is, ceteroqui abstinens, Iulia lege **prandia**, semel tamen in diem, non, ut alii solebant, omnibus vicis, accepit <et> facit, ut mihi excipiendus sit cet. Bis positum accepit effecisse videtur, ut verba quædam ex inferiore loco huc retraherentur.

Ibid. VI, 1, 7: Igitur ut meo decreto solvatur Scaptio statim, quam id rectum sit, tu iudicabis cet. Hæc scriptura, quæ coniecturis non lenibus effecta est, ne orationem quidem habet tolerabilem (ut — solvatur —, quam id rectum sit pro eo, quod est: quam rectum sit solvi), nedum sententiam iis, quæ Cicero ipse antea dixit, aptam. Neque enim Cicero Scaptium coegerat pecuniam statim accipere, quod nolebat, sed ei concesserat, ut causa differretur, si forte Scaptius apud alium proconsulem plus consequi posset; cf. ep. 2, 7 et 3, 5. Scribendum est: Igitur meo (sic M) decreto soluta res (sic M) Scaptio **stat**; quam id rectum sit, tu iudicabis.

Ibid. 3, 5: Scaptio, qui in Cappadocia fuit, puto esse satisfactum; is a me cet. Manifestum est et ex adiectis illis qui in Cappadocia fuit et ex iis, quæ deinde narrantur, alterum hic Scaptium nominari, a superiore, qui Cyprios vexaverat, diversum, quem et liberaliter a se tractatum nec sibi offensum Cicero significat. Sed et durus est transitus orationis, et mendi indicium faciunt codices, in quibus scribitur Scaptius; in codice W est aut Scaptius. Opinor subesse: **Alteri e Scaptiis.**

Ibid. 5, 4: Valebis igitur et puellæ salutem Atticulæ dices nostræque Piliæ. In M scribitur prima manu salutem asticulate. Fuisse opinor: Ἀττικωτάτῃ. Deminutivum Latinum, quod Malaspinæ coniecturæ debetur, feminina forma a cognomine viri ductum longissime a legitimo usu aberrat.

Ibid. 6, 3 (ubi dubitatur, cui administratio provinciæ mandanda fuerit): Puero tradere? Fratri autem? Illud non utile nobis; nam præter fratrem cet. Vera loci forma hæc fuit: Puero **traderem**? Fratri autem? Illud <**non rei publicæ, hoc**> non utile nobis. (Traderem cod. Z^b et Wesenbergius.)

Ibid. § 4: At nunc Cælius, non dico equidem, quid egerit, sed tamen multo minus laboro. Sine dubio scriptum fuerat: At nunc Cælius, non dico equidem, <**nihil**>, quid egerit, sed tamen multo minus laboro.

Ibid. VII, 15, 2: Uni Favonio (ex omnibus senatoribus, quos Cicero Capuæ convenerat) leges ab illo (Cæsare) nobis imponi non placebat, sed is auditus in consilio; Cato enim ipse iam servire quam pugnare mavult cet. Quod editur, haud auditus, in particula haud a Ciceronis consuetudine fere constanti recedit, sententiæ plane repugnat; neque enim de consilio habito quidquam Cicero narrat. Scribendum est:

sed is auditur sine consilio. Homines Favonii verba et sermones sic audire dicuntur, ut nihil inde consilii nascatur.

Ibid. 26, 2: Quod me amicissime admones, ut me integrum, quoad possim, servem, gratum est; quod addis, ne propensior ad turpem causam videar, certe videri possum. Nullo modo Cicero se ad turpem causam propensiorem videri posse concedit, quæque sequuntur, ad omnem huiusmodi reprehensionem removendam pertinent; se enim nihil, nisi quod rectum esset, quamdiu de pacis condicionibus ageretur, fecisse demonstrat. In M est uidere. Scribendum igitur: certe ridere possum. Priorem Attici admonitionem Cicero admittit, altera sic offenditur, ut eam sibi cum risu contemnere licere dicat. Quam molliter æger Ciceronis animus omnem huiusmodi suspicionis aut reprehensionis tactum tulerit, etiam aliæ epistolæ ostendunt.

Ibid. VIII, 1, 2: sic enim parari video, ut Luceriam omnes copiæ contrahantur, ut ne is quidem locus stabilis sit, sed ex eo ipso, si urgeamur, paretur fuga. Sic coniectura scribitur; nam in M est tantum stabilis, sed. Locum stabilem Latine dici, in quo aliquis consistat nec ultra fugiat, prorsus nego scripsisseque Ciceronem puto: et (sic codd.) ne is quidem locus standi sit, sed cet. Cum standi loco Siesbyeus comparat locum habitandi Parad. 18, deversorium commorandi, non habitandi Cat. 84, receptaculum nihil sentiendi Tusc. V, 117; cf. Gramm. Lat. § 417.

Ibid. 6, 3: Spero etiam, quoniam adhuc nihil nobis obfuit, nihil mutasset nec tegentia hoc quod cum fortiter et diligenter, tum etiam mehercule. Modo enim cet. Et totius loci formam et mendorum sedes indicare possum et aliquam etiam partem corrigere. Scriptum enim fuerat ad hanc formam et his fere verbis: Spero etiam, quoniam adhuc nihil

nobis obfuit **timiditas et neclegentia**, hoc, quod cum fortiter et diligenter, tum etiam mehercule <bonis copiis suscipiatur, bene eventurum. De te quoque mehercule;> modo enim audivi quartanam a te discessisse; moriar cet.

Ibid. 11, 4: Conculcari, inquam, miseram Italiam videbis proxima æstate qaut (m. 2. aut) utriusque in mancipiis ex omni genere collectis, nec tam iptio (Z[b] emptio, editiones fere proscriptio) pertimescenda, quæ Luceriæ multis sermonibus denuntiata esse dicitur, quam universam interitus cet. Initium emendationis proficisci debet a mancipiis, quod vocabulum, præsertim adiuncto illo ex omni genere collectis, prorsus ineptum est ad significandas Cæsaris et Pompeii copias et milites; appellari sic poterant sectatores utriusque ad res urbanas turbandas conducti. Scribendum: Conculcari, inquam, miseram Italiam videbis proxima æstate <**aut alterius**> aut utriusque **immanibus copiis** ex omni genere collectis, nec tam **direptio** pertimescenda . . . . quam **universæ** interitus. Pro immanibus copiis si quis maluerit vi, **manu, copiis**, non intercedam. (Direptio et universæ iam aliis in mentem venerant. Qui ex qaut effici voluit quati, non animadvertit hoc verbum non potuisse tamquam gravius superponi longe graviori conculcari.)

Ibid. 12, 3: Nec vero hæc extrema quisquam potest iure reprehendere, quod mare non transierim. Id enim, etsi erat deliberationis, tamen obire non potui; neque enim suspicari debui, præsertim cum ex ipsius Pompeii litteris . . . non dubitarim, quin is Domitio subventurus esset; et plane, quid rectum et quid faciendum mihi esset, diutius cogitare malui. Si diceretur Latine esse deliberationis transire mare, tamen

id significaret non, quod hic requiritur, deliberatum ac certum, sed rem esse ad deliberandum propositam. Videtur Cicero scripsisse: Id enim et, si erat **delibe-ratæ rationis**, tamen obire non potui ....., et plane, quid rectum ... esset, diutius cogitare malui. Neque, si deliberatum ac decretum fuisset mare transire, se obire id potuisse Cicero ait nec omnino id de-liberatum etiam tum fuisse, sed in quæstione ac dubitatione positum. Paulo ante (§ 1), ubi editur: ut sumeres ali-quid temporis, quo quia tibi (M[1] quod tibi et quia) perexiguo opus est, explicari mihi tuum consilium plane volo, prorsus inepta est causæ signi-ficatio (quia); scribendum videtur: quo tibi **quidem** perexiguo opus est; explicari <**enim**> mihi cet.

Ibid. 12 A, 4: Quamobrem placitum est mihi altia video C. Marcello et ceteris nostri ordinis, qui hic sunt, ut Brundisium ducerem cet. Ex corruptis litteris eruitur certa emendatione: Quamobrem placitum est mihi, **adhibito** C. Marcello cet. (§ 1 ex M efficitur: factum est, ut Domitius implicaretur et neque .... neque ....)*)

---

*) Ep. 14, 3, ubi in M sic scribitur: de Domitio varia audimus, modo esse in Tiburti aut Lepidi quo cum Lepidus accessisse ad urbem, quod item falsum video esse; ait enim Lepidus cet., Ciceronem duos rumores falsos sic inter se comparare, ut alterum haud lepide, alterum lepidius fictum dicat, post Bosium plures viderant. Et ipsum hunc in adverbiis lusum et scribendi errores (Lepidi . . Lepidus) ortos esse ex eo, quod in Tiburti Lepidi (eius, qui mox veriora de Domitio cogno-scendi auctor nominatur, hominis Attico satis noti) Domitium esse a quibusdam narrari Cicero scripsisset, alii velut Græ-vius et nostra ætate Stuerenburgius intellexerant scripturam-que veram aut veræ proximam effecerant: modo esse in Tiburti<Lepidi>, haud lepide, modo, cum lepidius,

Ibid. 16, 2: Etsi, qua spe proficiscar, video, niungoque me cum homine magis ad vastan-ım Italiam quam ad vincendum parato. Domum ıem exspecto. Sub extremis his latere potest: **Donum quidem** exspecto. Subeundum sibi Cæsaris donatum Cicero prævidet.

Ibid. IX, 5, 3: ego vero hæc officia mercanda ta puto. Mercari officia neque quid sit, intelligo, si id significat, quod unum significare posse videtur, icia tamquam mercem aliquam comparare, alienissimum est hoc loco. In M scribitur officiam ei candida, ex quo ici videtur aut **pensanda** aut potius **rependenda**. (§ 1 in-iciter Curtii nomen illatum est; nam neque Curtii nescio ius præcipuæ in curia partes erant, et manifestum est rumque verbum referri ad pronomen hæc cum pondere itio positum. Quid lateat in codicis M scriptura cur m, difficile est dictu, quod nihil omnino requiritur nisi c: Hæc qui in mea villa non feram, in curia ıtero ferre?)*)

---

accessisse ad urbem, quod item cet. Baitero „illepidas“ coniecturas annotare supervacaneum visum est. Profecto non lepide vir, dum vixit, mihi peramicus iudicavit.

*) Ep. 7 A, 1, ubi editur, quemadmodum in cod. M ab altera manu scriptum est: Nedum hominum humilium, ut nos sumus, sed etiam amplissimorum virorum consilia ex eventu ... a plerisque probari solent, ferri omnino non potest nedum pro non modo et contra usum et contra originem adverbii positum, quod X, 16, 6 non minus prave et contra codicem Med. scriptum Manutius et Lambinus correxerunt; sed si attenderis hic antiqua manu non modo prima verba sic scribi: Cicero meum meum hominum, sed omitti etiam solent, facile apparebit totum epistolæ initium corruptum esse nec unius vocis correctione restitui posse. Forma loci huiusmodi fuisse videtur: Balbus

Ibid. 10, 2: Sicut ἐν τοῖς ἐρωτικοῖς alienant immundæ, insulsæ, indecoræ, sic me illius fugæ neglegentiæque deformitas avertit ab amore cet. Certis indiciis mendum hic coarguitur. Nam neque ipsæ feminæ recte alienare amatores dicuntur, quos non alliciunt nec tenent, et desideratur æqualitas comparationis, quoniam in altero membro non Pompeius ipse Ciceronem a se alienare dicitur, sed eius acta Ciceronem ab amore deterrere. Iam in M non alienant scribitur, sed sic: alienantur immunde insulis unde decore fit sic. Hinc prodit: Sicut . . . **alienamur, <si (cum?) quid>** immunde, insulse, indecore fit, sic me illius cet. Infra § 6 e codicum vestigiis: Quod quæris a me, fugamne fidam an moram defendam utiliorem putem non improbabiliter efficitur: fugamne **infidam** an moram **offensam** utiliorem putem. Et fuga et mora aliquid molesti adiunctum habet, mora ex offensione Pompeii. Offensum Ciceronem aliquoties dixisse, quod offendat et odio sit, lexica ostendunt.

Ibid. 11, 3: Pridie autem apud me Crassipes fuerat, qui se pridie Non. Martias Brundisio profectum atque ibi Pompeium reliquisse dicebat, quod etiam, qui VIII. Idus illinc profecti erant, nuntiabant; illa vero omnes, in quibus etiam Crassipes, qui prudentia potius attendere, sermones minacis, inimicos optimatium, municipiorum hostis, meras proscriptiones, meros Sullas cet. Non puto desperari debuisse de huius loci restitutione. Nam et satis leniter et ad sententiam perapte hæc efficiuntur: illa vero omnes (nuntiabant), in quibus etiam Crassipes, qui **<pro>** prudentia

---

et Oppius s. d. M. Ciceroni imp. <Etsi, M. Cicero, videmus> non modo hominum .... a plerisque probari, tamen cet. De singulis nihil affirmari potest.

(qui prudentius?) **potuit** attendere, sermones minacis cet. Pronomen illa initio positum universe significat et prænuntiat, quæ deinde singulatim enumerantur, sermones minacis cet. Crassipedi maiorem fidem Cicero habet quam ceteris. (Potuit iam Kayserus et antea alii.)

Ibid. 13, 4. In hoc loco, ubi comparantur Cæsaris et Pompeii opes et copiæ hominumque erga utrumque affectus, plura, quæ primo aspectu insanabilia videntur, tamen satis certo corrigi possunt. Primum, ubi editur: et habebit non, ut ille, vectigal, sed civium bona, apparet nimis infinite dici vectigal; in M est non alie vectigal. Scripserat Cicero: et habebit (Cæsar) non **Italiæ** vectigal, sed civium bona. Sequitur: adde imbecillitatem bonorum virorum, qui quidem, quod illum (Pompeium) sibi merito iratum putant, oderunt, ut tu scribis, ludum CC vellem scribis quisnam hic significasset. Pro ludum temerario prorsus, cum nihil ex tota sententia intelligeretur, conatu substitutum est dudum (quod debebat esse iam pridem). Quid subsit, intelligitur ex VIII, 16, 2; loquitur enim Cicero de iudicibus trecentis sexaginta lege Pompeia lectis, quos quamquam Pompeii partibus studere par esset, tamen Atticus aversæ ab eo voluntatis signa dedisse scripserat. Itaque hæc fuit orationis et sententiæ forma: ut tu scribis **iud.** (id est iudices) CCCLX **bis iam** hic **significasse**. Verbi, quod est vellem, primæ litteræ ex nota numeri (LX) ortæ videntur, scribis ex superioribus errore repetitum. Iudices et ludos compendio (iud. — lud.) scripta etiam alibi permutata memini. Subiiciuntur hæc: Sed et iste, quia plus ostenderat, quam fecit, et vulgo illum qui amarunt, non amant; municipia vero et rustici Romani illum metuunt, hunc adhuc diligunt. In pronomine iste mendum esse, si non tota oratio ostenderet, vel ex eo appareret, quod in tota hac compara-

tione constanter Pompeius ille, Cæsar hic appellatur, iste pronomen ad neutrum accommodari potest. Una littera mutata totam sententiam restituet: Sed et isti (iudices, quos tu commemorasti), quia plus ostenderat, quam fecit, et vulgo illum qui amarunt, non amant. In Pompeio non amando conspirabant et iudices illi et vulgo (omnino ceteri), qui illum antea amaverant.

Ibid. 15, 1: Cum dedissem ad te litteras, ut scires Cæsarem Capuæ VII. Kal. fore, allatæ mihi Capua sunt et hoc mihi et in Albano apud Curionem v. K. fore cet. Ex ipsa verborum copulatione (et — mihi et) apparet sententia, Ciceronem a Cæsare colloquendi potestatem petivisse, illum Ciceroni duplicis loci, ubi convenire se posset, optionem dedisse: allatæ mihi Capua sunt, et hic <copiam> mihi et in Albano apud Curionem V. K. (hoc est: a. d. V. Kal.) fore.

Ibid. § 4: Mandata Cæsaris ad consules et ad Pompeium, quæ rogas, nulla habeo, et descripta attulit illa e via misi ad te, e quibus mandata puto intelligi posse. Si Cicero mandata Cæsaris non habebat, quid habebat misitque ad Atticum, unde ipsa mandata intelligi possent? Responsa scilicet Pompeii, quæ aliquis Ciceroni attulerat; eius nomen latet in litteris illa e via. Scripserat Cicero: — nulla habeo; set rescripta attulit Matius; ea misi ad te cet. Viæ mentio prorsus aliena est. Matii nomen, etsi prope ad litteras accedit, certum non esse, non est, cur dicam.

Ibid. 16, 3: Dolabella tuo nihil scito mihi esse iucundius. Hanc adeo habebo gratiam illi; neque enim aliter facere poterit cet. Neque, quæ hæc gratia significetur, intelligo neque, quid adeo sibi velit, neque, quo pertineat in causa reddenda futurum po-

[redacted]

terit. Iocatur Cæsar se Dolabellæ, quod tam iucundus sibi sit, nullam gratiam habere, quoniam Dolabellam sua natura cogat iucundum Cæsari esse, neque aliter facere possit. Scriptum igitur a Cæsare fuerat: nec ideo habebo gratiam illi; neque enim aliter facere poterat.

Ibid. X, 8, 4: An qui (M anui) valde hic in absentis solus tuli scelus, eiusdem cum Pompeio et cum reliquis principibus non feram? Præter valde manifesto corruptum offendunt graviter in comparando pronomina non recte inter se relata; nam eiusdem (Cæsaris) prorsus flagitat relativum ad eundem Cæsarem relatum, cum præsertim nulla alia eius in relativa sententia significatio sit. Prima adverbii valde littera orta est ex præcedenti pronomine, fuitque hæc sententiæ forma: An, cuius adhuc in absentis solus tuli scelus, eiusdem.....? Adhuc in Pompeium principesque absentes Cæsar iram et scelus exercuerat. Ipsam Ciceronis manum in adhuc restitutam non affirmo, et tamen, ut credam, inclino. *)

Ibid. § 6: Iam quibus utatur vel sociis vel ministris, si ii (M[1] tantum si) provincias, si ii (M[1] si) rem publicam regent, quorum nemo duo menses potuit patrimonium suum gubernare? Scribendum: Iam quibus utetur vel sociis vel ministris? Ii provincias, ii rem publicam regent, quorum nemo ... gubernare? Mendi ex geminatis litteris origo perspicua est. Utetur iam Wesenbergius et Kayserus.

Ibid. 10, 1: Misi ad te epistolam Antonii. Ei cum ego sæpissime scripsissem nihil me contra Cæsaris rationes cogitare . . . ., me autem, quia cum lictoribus invitus cursarem, abesse velle

---

*) Ep. 4, 2 annotaveram, quoniam exspoliare aliquem ex provincia nihil sit, scribendum esse: persequi et alia provincia exspoliare conatur; postea didici idem Ernestio et Schuetzio placuisse, si Orellio credas, „male“.

nec id ipsum certum etiam nunc habere, vide, quam ad hæc παροινικῶς. Manifesto pravum est sæpissime; nam neque ullo modo credi potest vestigiove ullo significatur, frequenter hoc tempore inter Ciceronem et Antonium missas esse epistolas, præsertim de una re, et apertissime ad unas litteras Ciceronis inhumaniter respondisse Antonius insimulatur. Cicero posuerat: Ei cum ego **æquissime** scripsissem cet. (ita, ut epistola animum Antonii offendere non posset); cf. Verr. III, 147: lex æquissime scripta.*)

Ibid. 12, 5: Quare vi aut clam agendum est, et si vi forte ne cum pestate; clam autem istis? Ex litterarum vestigiis facile eruitur verum: etsi **vis fortunæ st in potestate**. (Potestate Baitero in mentem venerat.)

Ibid. 14, 1: Mihi quidem etiam lippitudo hæc, propter quam non ipse ad te scribo, sine ulla lacrima est, sed (M[1] lacrima se set) sæpius odiosa est propter vigilias. Primum ridicule Cicero Attico narrat, non, se lippitudine laborare, sed lippitudinem esse sine lacrima; dein prava sunt sed et sæpius. Scribendum: Mihi quidem etiam lippitudo hæc . . . sine ulla lacrima **et per se** odiosa est <et> propter vigilias. § 3 supplendæ litteræ videntur: ut iam celandus magis de nostro consilio quam **ad id adhibendus** videretur. [Ursinus quam adhibendus.]

Ibid. 16, 2: Consilium nostrum spero vacuum periculo fore; nam et dissimulabimus et, ut opinor, acerrime asservabimus. Neque usitate dicitur consilium asservare neque significationem habere potest a dissimulando diversam neque aptum est ad ut

*) In Antonii epistola mendose scribitur: quam verum est; in M est: quia verum est. Quid lateat, nescio; nam tuum consilium quiescendi verum est nimis a litteris discedit.

opinor. Cicero scripserat: nam et dissimulabimus et, ut opinor, <non> acerrime **asservabimur**. Custodiam non valde diligentem fore sperat, fretus Hortensii favore, quem significat ep. 17, 1 et 18, 1. Non excidit post -nor (opinor). [Asservabimur iam Orellius.]

Ibid. 17, 1: Pr. Idus Hortensius ad me venit scripta epistola. Vellem cetera eius; quam in me incredibilem ἐκτένειαν! Qua quidem cogito uti. Nihil est hoc separatim positum: scripta epistola, pravaque sunt, quæ sequuntur: Vellem cetera eius; nam si quid significarent, hoc significarent, epistolam Hortensii non respondisse ceteris eius factis; atqui laudatur epistola. Scribendum est: Pr. Idus Hortensius ad me venit scripta epistola **belle ut** cetera eius. Quam in me incredibilem ἐκτένειαν! Belle et velle quam nullo fere discrimine in codicibus scribantur, notum est. Ne quis in nominativo ut cetera post ablativos hæreat, efficient inspecta, quæ ad Cic. de Finn. II, 17 annotavi. Addit Siesbyeus Orat. 163, N. D. II, 2.

Ibid. 18, 1: nam illa Hortensiana omnia fuere infantia ita fiet; homo nequissimus a Salvio liberto depravatus est. In perturbatis litteris infantia ita fiet subest **inania fidei** (inania iam Orellius); pars erroris geminationi litterarum debetur. Benigna Hortensii voluntas simulata fuerat.

Ibid. XI, 7, 5: Sed totum ut hoc Balbus sustineat et Oppius et eorum crebris litteris illius voluntas erga me confirmetur. Perversum est sed totum, totaque constructio perturbata. Scribi oportet: **In eo est** totum, ut hoc Balbus sustineat et Oppius cet.*)

---

*) In eadem epistola § 1 suspicor quædam excidisse et hanc fuisse veram loci formam: — arbitratus es. **Faciam** igitur, ut scribis istis placere, <etsi rationem

Ibid. 13, 4: itaque tum et a tuo villico sumpsimus et aliunde mutuati sumus, cum Quintus quereretur per litteras sibi nos nihil dedisse, qui neque ab illo rogati sumus neque ipsi eam pecuniam aspeximus. Si reliqua recta essent, saltem querebatur dicendum erat; nam causalis significatio prorsus aliena est; verum non agi de præteriti temporis querela tum prolata, cum Cicero pecuniam mutuam sumeret, cum alia ostendunt (verbi causa dedisse, pro quo dicendum erat dare) tum perspicue illa rogati sumus et aspeximus, pro quibus rogati essemus et aspexissemus ponenda fuerant. Omnia recta erunt restituto queritur pro quereretur. Quintus frater nunc queritur se tum nihil accepisse; eam querelam Marcus refellit.

Ibid. 15, 4: suspicor enim coheredes dubiam nostram causam putare et eo rem in integro esse. Vale. Scribendum: et eo rem in integro esse <velle>. Vale. (Iam Cratander malle addebat, Corradus velle pro vale scribi volebat.)

Ibid. 22, 1: Nam quod te vereri scribis, ne illi obsint, eique rei mederi, ne rogari quidem se passus est de illo. Incommodo illi, quod Atticus significabat, non ipse medebatur (scribis te mederi), sed Ciceronem admonebat, ut mederi conaretur. Scribendum igitur: eique rei <me vis (vel iubes)> mederi, ne rogari quidem cet. Proxime § 2, ubi editur: gravitatem huius cæli, quæ mihi laborem affert in dolore, laboris mentio aliena est, apta languoris.

---

eorum non probo; significas enim placere> iisdem istis, lictoribus me uti cet. Error ex bis posito placere ortus est. In superiore epistola (6) § 2 et 3 præter Oppii nomen illud etiam certum est, in primis litteris verbi recipio subesse scripsi.

[redacted]

Ibid. 24, 4: Ita aut nihil puto eum habere, quod putet ad me celerius perferendum, aut eo me magis esse despectum, ut . . . . . . ad me referre non curet. Prorsus alienum est magis (— poterat dici eo usque —); scribendum videtur: aut **adeo** me <in> **malis** esse despectum.

Ibid. XII, 32, 2: Ciceroni velim hoc proponas, ita tamen, si tibi non iniquum videbitur, ut sumptus huius peregrinationis, quibus, si Romæ esset domumque conduceret, quod facere cogitabat, facile contentus futurus erat, accommodet ad mercedes Argileti et Aventini, et cum ei proposueris, ipse velim reliqua moderere cet. Quo tandem modo Cicero filius, si Romæ maneret domumque conduceret, poterat contentus esse sumptibus peregrinationis, qui tum nulli futuri erant? Manifestissimum est Ciceronem sumptus peregrinationis filii accommodari velle ad regulam aliquam et mensuram, qua contentus futurus esset, si Romæ maneret nec peregrinaretur. Itaque hic ut alibi interdum transpositio facta est aliquot verborum primum errore omissorum, deinde alieno loco insertorum. Cicero enim scripserat: ut sumptus huius peregrinationis accommodet ad mercedes Argileti et Aventini, quibus, si Romæ esset domumque conduceret, quod facere cogitabat, facile contentus futurus erat, et cum ei proposueris cet.

Ibid. 40, 4: Nam quod ad me de Lentulo scribis, non est in eo. Postrema hæc verba non videntur intelligi posse. Aptissimum et ad sententiam et ad litterarum vestigia est: non **extimesco**.

Ibid. 43, 1: scies ante utrumque. Quod scies recte illam rem fore levamento bene facis cum id esse, mihi crede, perinde, ut existimare tu non potes. Ineptissime coniungi quod scies . . ., bene facis apparet, sive verbi scies significationem sive tem-

pus spectes, nec minus manifestum est abundare recte satisque esse per se fore levamento; nam nec male nec recte aliquid levamento est. Sublato scies, quod ex superioribus hic repetitum est, verbum præsentis temporis facile eruitur: Quod **rere** illam rem fore levamento, bene facis. Deinde adiungitur nova sententia: **quam** id sit, mihi crede, perinde, ut <est>, existimare tu non potes. Negat Cicero ne Atticum quidem, quantopere id, de quo agitur, levamento sit, perinde existimare posse. [Partem aliquam veri viderant et in ipsum verbum reri inciderant Manutius et Lambinus.]

Ibid. XIII, 33, 3: vide etiam, quo anno quæstor aut tribunus mil. fuerit; si neutrum ea de in præfectis aut in contubernalibus fuerit, modo fuerit in eo bello. Videtur subesse: si neutrum, vide, **ne** in præfectis aut in contubernalibus fuerit.

Ibid. XV, 2, 2: Consilium meum a te probari, quod ea non scribam, quæ tu a me postularis, facile patior cet. Coniunctivus postularis minus aptam habet incertæ et infinitæ postulationis significationem. Rectius erit **postularas**, quod mutatum consilium significat.

Ibid. 4, 1: Quoquo modo ego de illius (Antonii) nervis existimo, non videtur fieri posse sine bello; sed non cupio, quoniam cavetur Buthrotiis. Rides? Ast (M aps) condoleo non mea potius assiduitate, diligentia, gratia perfici. Primum superior sententia sic concluditur: — sine bello, sed non cupio. Deinde transitur cum ioco ad ea, quæ Attico cordi erant. In hac sententia mendum apparet in pravo illo ast et in condoleo. Scribendum videtur: Quoniam cavetur Buthrotiis, rides *'Αττικόν* (*ἀστικόν*?); **doleo** non mea potius assiduitate cet.

Ibid. 8, 2: Græceius ad me scripsit, C. Cassium sibi scripsisse, homines comparari, qui

armati in Tusculanum mitterentur. Id quidem mihi videbatur, sed cavendum tamen ut ille que plures videndæ. Sed aliquid crastinus dies ad cogitandum nobis dare. Etsi abhorreo ab iis locis commemorandis, in quibus ne opinando quidem ad certam aliquam et definitam rectius scribendi formam pervenire possim, libet tamen exemplo monstrare, quemadmodum, etiamsi absolvi emendatio nequeat, primæ tamen eius lineæ duci et veri exquisitio quibusdam finibus circumscribi possit. Primum quod ante videbatur editores addunt non (alii haud aut vix), neque excidere id facile poterat, neque recte dicitur id non videri pro eo, quod est non videri verum (— nam longe aliter de decreto et iudicio dicitur videri aut non videri —), et pravo loco in hac orationis forma ponitur quidem. Scriptum fuerat ad hanc formam: — mitterentur. <Ementitum> id quidem mihi videbatur, sed cet. Deinde in litteris ut ille que latet substantivum feminini generis particula que adiunctum significansque aliquid, quod defensionis præsidiique causa circumspiciendum et comparandum sit; sic enim ponitur videre hic V, 1, 3, Tusc. III, 46, de Or. III, 2. Fuitne tutelæque? Quamquam unum Varronem testem huius nominis plurali numero positi habeo. Postremo in sed (post -de) latere arbitror debet (debet aliquid crastinus dies . . nobis dare), quod, ut alibi, de probabilitate rei, quam soleo logicam necessitatem appellare, dicitur. Sed hæc hariolationis magis quam certæ emendationis vim obtinere iam dixi.

Ibid. 20, 2: Itaque, mi Attice, fortiter hoc velim accipias, ut ego scribo: Genus illud interitus, quo casurus est, fœdum ducens et quasi denuntiatum nobis ab Antonio ex hac nassa exire constitui, non ad fugam, sed ad spem mortis melioris. Genus interitus nobili aliquo exemplo illustratum significat. Ex litterarum vestigiis id

exemplum perspicue erui videtur: quo **Catulus usus** est. Q. Catulum patrem notum est in cædibus Marianis mortem sibi conscivisse insalubri halitu tectorii eius loci concamerati, in quo se inclusisset (Vell. II, 22).*)

Ibid. XVI, 11, 1: De Sicca ita est, ut scribis; asta ea ægre me tenui; itaque perstringam sine ulla contumelia Siccæ aut Septimiæ cet. Cuiusmodi res significetur, perspicuum est; ægre enim Cicero se dicit in causa aliqua agenda abstinuisse a mentione feminæ parum honestæ, itaque (in causa iterum agenda aut potius in oratione perscribenda et edenda) se leviter eam perstricturum. Ea femina quo nomine fuerit, apparere videtur ex eo, quod sequitur, ex Galli Fadii filia. Scriptum igitur fuerat: a **Fadia** ægre me tenui. (Ad litteras propius erat a Staia.) [A Fadia iam Lambinus.]

Ibid. 15, 6: Consenti in hac cura, ubi sum, ut me expediam. Scribendum: **Consenui** in hac cura cet. Senium sibi hanc curam attulisse significat ac prope se in ea consumptum.

Epistol. ad Quint. fratr. I, 1, 11: Atque inter hos (M nos) eos, quos tibi comites et adiutores negotiorum publicorum dedit ipsa res publica cet. Quo refertur inter hos? Nimirum ad eos, quos proxime ante Cicero nominavit, legatos et quæstorem. Quomodo igitur inter hos tamquam pars aliqua separari atque excerpi possunt ii, quos res publica

---

*) Ep. 26, 4, de quo loco dixi Adv. Crit. II p. 240, non paucos specus, sed paucos **pedes** scribendum est, propius ad codicis Med. vestigium, quoniam et pedum paucitas aptior est ad exiguitatem rei declarandam, et specus semper subterranei sunt. Significat Cicero paucorum pedum servitutem ne ad superficiem quidem et aream pertinere, sed ad subterranea, velut ad aquam simileve aliquid.

Q. Ciceroni comites et adiutores dederit, cum certissime omnes res publica dederit atque ab hoc toto genere deinde separentur ii, quos privatim sibi Quintus adiunxerat? Manifestissimum est mendum hic subesse, quod obscuriore indicio aliquis suspicari posset vel ex hoc concursu insuavi pronominum hos eos quos. Cicero scripserat: atque **interest hoc**: eos, quos tibi ..... res publica, dumtaxat finibus iis præstabis, quos ante præscripsi; quos vero aut ex domesticis convictionibus aut ex necessariis apparitionibus tecum esse voluisti ...., horum non modo facta cet. Sic demum recte duo contraria genera separantur.*)

Ibid. § 40: Sed quoniam primus annus habuit de hac reprehensione plurimum sermonis, credo propterea, quod tibi hominum iniuriæ .., quod insolentia præter opinionem accidebat ..., secundus autem multo lenior, quod et consuetudo et ratio ..... te patientiorem leniorem-que fecerunt, tertius annus ita debet esse emendatus cet. Recte Wesenbergius sensit non posse ex habuit in altero membro audiri fuit et ideo hoc apud lenior addi volebat. Sed ipsum hoc adiectivum ante leniorem, in hac præsertim epistola diligentissime elaborata, graviter offendit. Sine dubio Cicero scripsit: secundus autem multo **leviorem** (sermonem habuit).

Ibid. 3, 1: Sed certe a te mihi omnia semper honesta et iucunda ceciderunt; a me tibi cet. Recte aliquid iucunde alicui cadere dicitur, non item omnia iucunda alicui cadere, præsertim ab aliquo. Sine dubio scribendum, geminatis duabus litteris: iucunda **acciderunt**, quemadmodum ad Att. I, 5, 1 scri-

*) § 7, ubi editur: ea autem adhibita doctrina est, quæ vel vitiosissimam naturam excolere possit, necessario scribendum est posset.

bitur: mihi omnia, quæ iucunda .... homini accidere possunt, ex illo accidebant. [Sic iam Lambinus in margine 1584.]

Ibid. § 4: Primum enim te præsidio esse volui, si qui essent inimici, quorum crudelitas nondum esset nostra calamitate satiata cet. Quæro, cui Marcus Quintum præsidio esse voluerit; de Marci quidem præsidio non agitur, quoniam is iam calamitatem subierat. Comparatis, quæ leguntur ad Att. III, 9, 1, intelligitur significari periculum, quod ipsi Quinto impenderet, accusationis, cum ex provincia decessisset; eum cumulum addere poterant inimici Marci calamitate non satiati. Scribendum igitur: te <in> præsidio esse volui (et impetus inimicorum cavere).

Ibid. II, 3, 2: Qui (Pompeius) ut peroravit — nam in eo sane fortis fuit, non est deterritus, dixit omnia atque interdum etiam silentio, cum auctoritate peregerat —, sed ut peroravit, cet. Quid auctoritate peregerat et quidem sæpius? Nihil sane, sed **perfregerat** *(er drang durch)*. Sine accusativo dicitur perfringere etiam Or. 97. [Sic iam Gulielmus, cui nemo auscultavit.] Paulo post (§ 5) scribitur: Sed idem Nerius index edidit ad alligatos Cn. Lentulum Vatiam et C. Cornelium ista ei. Primum restituendum e M: ad allegatos, hoc est, ad eos, qui Sestii nomine ad Nerium missi erant et cum eo agebant; deinde scribendum videtur: Cn. Lentulum Vatiam et C. Cornelium **instare**. Hos duos Nerius superesse Sestio accusatores et imminere, si ipse destitisset, ediderat.

Ibid. 6, 1 et 2: Mihi cum sua sponte iucundum (quod Gabinio in senatu supplicatio contumeliose negata erat), tum iucundius, quod me absente; etenim εἰλικρινὲς iudicium sine oppugnatione, sine gratia nostra erat. Ante quod Idibus et postridie fuerat dictum de agro Campano actum

[redacted]

iri, non est actum. Perspicuum est postremam hanc sententiam a quod incipere (Quod .. fuerat dictum .. actum iri, non est actum), litteras ante ad priora pertinere. Iam in M pro etenim scribitur est enim et eram pro erat. Scripserat igitur Cicero sic: — quod me absente; est enim εἰλικρινὲς iudicium; sine oppugnatione, sine gratia nostra damnant.

Ibid. 8, 1: Tu metuis, ne me interpelles? Primum, si in isto essem, tu scis, quid sit interpellare. An te Ateius? Mehercule mihi docere videris istius generis humanitatem, qua quidem ego nihil utor abs te. In litteris corruptis ante a te is (sic enim M) latet accusativus pluralis, homines significans Ciceroni interpellando molestos, quos vellet istam humanitatem non interpellandi a Quinto discere. Proxime ad litteras accedit Antiates, ut Cicero in Antiati epistolam scripsisse putetur et de officiosa molestia colonorum vicinorum queri.

Ibid. 11, 2: Vehementer vexatus Gabinius, exagitati tamen a Domitio publicani, quod eum essent cum equis prosecuti. Vexationi Gabinii non contrarium est, sed ad eam augendam pertinet, quod Domitius etiam eos, qui eum prosecutione cohonestassent, insectatus est. Itaque pro tamen scribendum etiam. Perfrequenter hæc commutantur.

Ibid. 14, 2: plane aut tranquillum nobis aut certe munitissimum (exspecto eum annum, qui sequitur), quod quotidie domus, quod forum, quod theatri significationes declarant nec laborant quod mea conscientia copiarum nostrarum, quod Cæsaris, quod Pompeii gratiam tenemus. Sedem mendi esse in laborant quod manifestum est, nec particula quod ullo modo ad hoc sententiæ membrum accommodari potest. Ne illud quidem dubium est, quin in laborant lateat verbum cum

mea conscientia coniunctum. Scriptum fuerat: nec **labat antiqua** mea conscientia copiarum nostrarum, quod cet.

Ibid. § 3: Quare suavitatis equidem nostræ fruendæ causa cuperem te ad id tempus venire, quod dixeras, sed illud malo tamen, quod putas magis etiam illa etiam magni æstimo me ἀμφιλαφίαν illam tuam et explicationem debitorum tuorum. Scribendum: sed illud malo tamen, quod putas magis e re **tua**; **nam** illa etiam magni æstimo, ἀμφιλαφίαν illam tuam cet. [E re tua subesse senserat iam Lambinus.]

Ibid. § 4: Ambitus redit immanis. Numquam fuit par. Idib. Quinct. fenus fuit bessibus ex triente coitione Memmii est quo cum Domitio. hanc Scaurus unum vincere. Messalla flaccet. Probabiliter scribi videtur: Idib. Quinct. fenus fuit bessibus ex triente coitione Memmii **ex æquo** cum Domitio; hanc Scaurus **unus** **<studet>** vincere.

Ibid. III, 1, 4: Veluinus ante suum fundum prope (Ernestius recte probe) munierat. Neminine in mentem venit **Bellienus?**

Ibid. § 23: Quod multos dies epistolam in manibus habui propter commorationem tabellariorum, ideo multa coniecta sunt aliud alio tempore, velut hoc cet. Neque coniecta absolute pro eo, quod est coniecta in eam (epistolam), dici potest, neque hoc, quod nunc Cicero scripturus est, iam coniectum in epistolam erat. Magnam materiam commoratio attulerat; scribendum igitur **conlecta**. In iis, quæ sequuntur in codicibus sic scripta: nihil te recordari de se de epulis illis, quas in Tusculano eius tu mihi ostendisti, temere ex epulis editores fecerunt epistolis; nam neque epistolarum mentio per se apta est,

[redacted]

neque epistolas Anicii Q. Ciceronem Marco in Tusculano Anicii ostendisse credibile est; postremo relinquitur pravissimum illud de se (— debebat saltem esse de eo —), quod forti remedio nuper deleri editores iusserunt. Ex iis, quæ subiiciuntur de vultu, sermone, animo Anicii, apparet Ciceronem malum et fraudulentum hominem caveri iubere. Ex vestigiis codicum efficitur duabus litteris mutatis: de **sedeculis** illis, quas in Tusculano eius tu mihi ostendisti. Sedeculas aliqua re notabiles Quintus Marco ostendisse poterat; quodnam illæ morum Anicii indicium et vestigium habuerint, ignoramus. Possit aliquis de fidiculis cogitare; sed sævitiæ significatio, ad quam illæ pertinerent, minus apta est; nam quod nomen nunc non reperitur ante Senecam, nihil in tali re habet argumenti.

Ibid. 3, 3: quo quidem in iudicio (maiestatis Gabinius) odio premitur omnium generum, maxime testibus cæditur, accusatoribus frigidissimis utitur. A testibus concidi aliquis dici potest, testibus cædi nihil omnino est; scribendum **læditur**. Confirmat coniecturam, si opus est, additum maxime; nam inter plures res, quæ reum lædere poterant, Gabinium maxime testes lædebant, non cædebant. Sequitur de eodem Gabinii iudicio et periculo: Animum præbeo ad illius perniciem moderatum, ad rerum eventum lenissimum. Et rerum eventus perverse dicitur de unius iudicii eventu, neque eventus per se contrarius poni potest perniciei, quod ipsum eventus certum genus est. Scriptum fuerat aut: ad **alterum** eventum aut: ad **lætum** eventum; sed prius præstat.

Epistol. ad Brut.*) I, 2, 3: Quod scribis de seditione, quæ facta est in legione quarta, de

---

*) Contra eos, qui has epistolas a Cicerone abiudicarunt, post C. F. Hermannum non est opus disputari, quamquam poterant

Catoniis, in bonam partem accipies cet. Hic quoque mendi causa nata est errore oculi similitudine litterarum decepti et nonnullas prætermittentis; sic enim sine dubio scriptum fuerat: -- in legione quarta **de<cima fraude> C. Antonii**, in bonam partem accipies. Fraude debetur C. F. Hermanno.

Ibid. ep. 4 (Bruti ad Ciceronem), 3: Qua in re, Cicero, ... nimis credere videris spei tuæ statimque, ut quisque aliquid recte fecerit, omnia dare ac permittere, quasi non liceat traduci ad mala consilia corruptum largitionibus animum. Poterat fortasse liceat ferri, nisi adderetur corruptum largitionibus; nunc manifesto scribendum videtur: quasi non **liqueat**; significatur enim, quid necessario fiat animo largitionibus corrupto.

Ibid. § 4: Itaque timeo de consulatu, ne Cæsar tuus altius se ascendisse putet decretis tuis quam inde, si consul factus sit, descensurum. Quomodo poterat Cæsar (Octavianus) putare se, si consul factus esset, descensurum, et quomodo hunc descensum cum priore ascensu comparare? Nam si quis interpretari conatur: „quam ut inde — descendat", primum hoc sermonis usui prorsus repugnat, deinde ne in illa quidem sententia recte adiungitur illud si consul factus

---

uno et altero loco eius argumenta limari confirmarique. Quod in orationibus a Marklando Wolfioque damnatis factum esse nunc omnes sciunt, ut orationis sententiarumque vitia in manifestissimis librariorum erroribus posita declamatoris, qui a criticis mirificus fingebatur, modo artificio, modo ignorantiæ imputarentur, id in his quoque epistolis persæpe accidit eo magis, quod in extremo codicis volumine adhærentes partim a librariis negligentius etiam quam ceteræ scriptæ sunt, partim ipsa codicum folia male habita: earum quidem, quæ secundo libro continebantur, tantum manca codicis parte unus Cratander usus est.

[redacted]

sit. Longe aliud significat Brutus. Veretur enim, ne Octavianus Ciceronis decretis tam alte se iam ascendisse putet, ut ei non suffecturus sit novus inde ascensus gradus in consulatu positus. Itaque timet, ne spreto consulatu maius aliquid petat, dictaturam regnumque. Hanc esse sententiam aperte etiam, quæ sequuntur, demonstrant. Duo igitur ascensus gradus æstimatione Octaviani comparantur, scripseratque Brutus: · quam inde .... **escensurum**. Consulatus adeptio ei videbitur minus addere fastigii et amplitudinis, quam Ciceronis decreta addiderint. [Eandem sententiam secutus Manutius ascensurum scripserat.]*)

Ibid. 11, 1: nam qui in Achaia congressus P. Dolabella milites atque equites habente quodvis adire periculum ex insidiis paratissimi ad omnia latronis maluerit quam videri aut coactus esse pecuniam dare aut libenter dedisse homini nequissimo . ., is nobis ultro (— ultra typothetæ alicui debetur —) et pollicitus est et dedit cet. Participium congressus sic absolute positum prorsus pravum est; si addas cum (cum P. Dolabella), significetur Antistius ipse Dolabellæ congressum petisse. Tota sententia postulat, ut Antistius significetur invitus in Dolabellæ potestatem venisse. Scripserat igitur Brutus: nam qui in Achaia **comprensus**, P. Dolabella milites atque equites habente, quodvis cet. Fieri potest, ut ante P. exciderit ab.

Ibid. 16, 5: Ceterum nequicquam perierit ille, cuius interitu quid gavisi sumus, si mortuo nihilo minus servituri eramus, nulla cura ad-

---

*) § 5 Kayserus, quem tam sæpe reprehendi temere verba delentem, semel aliquando veram ἀθέτησιν mihi præripuit damnato alienæ. Non prorsus alienam culpam esse Brutus affirmat, sed prorsus se, quod iniquum Ciceroni visum erat, hunc in Octaviani culpæ societatem inclusurum, si provideri potuerit.

hibetur? Frustra, ut nunc scribitur locus, huius sententiæ initium (Ceterum nequicquam perierit ille) cum exitu (nulla cura adhibetur) coniungere conere et structuram aliquam verborum efficere. Recta oratio erit, etsi, quod in Bruto ferendum est, paulo durius implicata, si sic scripserimus: Ceterum <ne> nequicquam perierit ille, cuius interitu quid gavisi sumus, si mortuo nihilo minus servituri eramus, nulla cura adhibetur. Negat Brutus curam adhiberi, ne frustra (ut recte et utiliter) perierit Cæsar. Durities oritur ex eo, quod relativæ sententiæ Brutus interrogativam formam dedit, quæ poterat simplicius sic efferri: cuius interitu sine causa gavisi sumus, si cet. Paulo post scribi debere, ut in margine editionis Cratandrinæ scribitur: Quam (vitam), nisi (M et editiones si) prius dimittimus dignitatem et libertatem, qui possumus accipere? adeo est manifestum (– nam dignitatis et libertatis amissione vitam emendam esse Brutus dicit —), ut ideo tantum annotandum putem, ut exemplo monstrem, quam indiligenter hæ epistolæ ab editoribus tractatæ sint. In eadem epistola § 10 vitium orationis, quod est in hac coniunctione: Te.. rogo atque hortor —, (ut)... putaris, tolletur puncto post insinuent posito; per se enim vetando adiungitur: Fortem et liberum animum .... nullum esse putaris.

Ibid. 17, 1 excidit alterum interrogationis, qua Ciceronis consiliorum inconstantia notabatur, membrum; sic enim sententia concepta erat: Qui valentissimum Antonium suscipere pro re publica non dubitarit inimicum, <pueri Octaviani dominationem subeat>?

Ibid. § 2: quid hoc mihi prodest, si merces Antonii oppressi poscitur in Antonii locum successio, et si vindex illius mali auctor exstitit alterius, fundamentum et radices habi-

turi altiores, si *patiamur? Ut iam ista, quæ facit, dominationem an dominum an Antonium timentis sint.* Hæc postrema prave superioribus adiunguntur; nam si *ut* particula est consecutiva, quomodo cum ea conciliari potest interrogationis disiunctivæ forma? Scribendum: *Ut* (id est *velut*) *iam ista, quæ facit, ...* **sunt?***) In eadem reprehensione Ciceronis ea dicentis et decernentis, quæ se non deceant, si dominationem vere tolli velit, sequuntur hæc: *Immo triumphus et stipendium! Et omnibus decretis hortationis pudeat concupiscere fortunam, cuius nomen susceperit, consularis, ut Ciceronis est?* Primum prorsus eadem perlucet interrogationis forma, quæ in superioribus erat: *Immo triumphus et stipendium . . . . consularis* **aut** *Ciceronis est?* Deinde in iis, quæ interiecta sunt, non dubium est, quin nomen Cæsaris ab Octaviano susceptum significetur et simul fortuna Cæsaris, ad quam concupiscendam Octavianum suis decretis Cicero imprudens hortetur. Itaque locus ad primam speciem gravissime depravatus lenissima medicina sic restituitur: *Immo triumphus et stipendium et omnibus decretis* **hortatio, ne eius** *pudeat concupiscere fortunam, cuius nomen susceperit, consularis aut Ciceronis est?* Atque huius emendationis non exigua pars iam Orellio in mentem venerat, sed initio et in fine nonnihil aberravit.

Ibid. § 4: *Hæc mihi videntur Ciceroni ultima esse in malis* cet. Non quid Bruto videatur Ciceroni ultimum esse, quæritur, sed quid Ciceroni ultimum videatur, dissentienti a Bruti iudicio de iisdem rebus. Brutus ad hanc formam scripserat: *Hæc mihi* **<levia>** *videntur, Ciceroni ultima esse in malis.*

---

*) Reliqua eodem modo, quo ego sananda annotaveram, sanavit iam Wesenbergius sublata particula *an*, quæ ante *Antonium* litteris geminatis orta est.

Ibid. 18, 5: Maximus autem ... in re publica nodus est inopia rei pecuniariæ; obdurescunt enim magis quotidie boni viri ad vocem tributi, quod ex centesima collatum impudenti censu locupletium in duarum legionum præmiis omne consumitur. Non ad unius certi tributi, quod iam collatum erat et consumebatur, vocem obsurdescebant aures, sed, quod ex ipso vocis nomine intelligi potest, omnino ad tributi mentionem. Itaque post tributi oratio plenius interpungenda est; tum separatim indicatur, quid factum sit pecunia singulari modo collata: quod ex centesima collatum <st>..., in duarum legionum præmiis omne consumitur. Quid in verbis interpositis lateat, difficile est dictu; nam impudens census vix dici potest pro æstimatione impudenti fortunarum, qua locupletes centesimam illam imminuerint; vereor, ne consensu scriptum fuerit, quamquam, cur is impudens dicatur, non intelligo.

Ibid. II, 1, 3: ex me autem illud est, quod te velim habere cognitum, meum quidem animum in acie esse neque respectum ullum quærere, nisi me utilitas civitatis forte converterit. Maiores autem partes animi te Cassiumque respiciunt. Quantis clamoribus ab iis, qui has epistolas ab Cicerone abiudicarunt, exagitari debuerant hæ maiores partes animi Ciceronis Brutum et Cassium respicientes! Vera et Ciceroniana oratio et sententia facillime restituetur unius litterulæ mutatione. Cicero enim a suo animo in acie stanti separaverat ceterorum et multitudinis animos: Maioris autem partis animi te Cassiumque respiciunt.

Ibid. ep. 3 sqq. In fragmento lacero codicis, quo usus est, qui has extremas epistolas in editione Cratandri protraxit et vulgavit, confusionis et obscuritatis aliquid fuit, qua effectum est, ut particulæ quædam epistolarum permutarentur et alieno loco insererentur. Cum

[redacted]

epistolæ tertiæ initium intercidisset in ea lacuna, quæ etiam secundæ epistolæ finem amisso folio hausit, in hunc locum irrepserunt (in editione, sane non in codice) verba aliquot (sed quo nos amisisse; quem sic vexari a Dolabella audio, ut iam non videatur crudelissimum eius facinus interfectio Trebonii), quæ pertinent ad rem et tempus paulo posterius. Deinde epistolæ quartæ adhæserunt nonnulla (§ 3 quod me de Antonio consulis usque ad finem). Postremo epistolæ quintæ, in qua Brutus Ciceronis de Dolabellæ in Asia sceleribus et Trebonii morte iudicium et consilium simulque de L. Antonio exspectat et exquirit, fini adhæserunt verba aliquot, quæ manifesto non Bruti, sed Ciceronis Bruto respondentis sunt (at in Asiam censeo persequendum cet.). His detractis in hunc ipsum locum transponenda sunt verba nunc initio epistolæ tertiæ posita et Bruti epistola sic continuanda: Hoc magis doleo Asiam nos amisisse, quam sic vexari a Dolabella audio, ut iam non videatur crudelissimum eius facinus interfectio Trebonii. (Verba sed quo in suam formam redigere non possum.) Continuanda dico; nam huius quoque epistolæ finis et proximæ initium simili casu intercidit, atque inter secundam et tertiam accidisse dixi. Nam amisso folio finis epistolæ Bruti intercidit et initium proximæ, qua Cicero Bruto responderat. Ex hac supersunt illa, quæ nunc leguntur in ep. 4 et in fine epistolæ Bruti (5). Sic enim hæc cohærent: Quod me de Antonio consulis (ep. 5, 2), quoad Bruti exitum cognorimus, custodiendum puto. Ex iis litteris, quas mihi misisti, Dolabella Asiam vexare videtur et in ea se gerere tæterrime. Compluribus autem scripsisti Dolabellam a Rhodiis esse exclusum, qui si ad Rhodum accessit, videtur mihi Asiam reliquisse. Id si ita est, istic tibi censeo commorandum; sin eam semel cepit, mihi crede, * *

non erit, at in Asiam censeo persequendum. Nihil mihi videris hoc tempore melius acturus.

Cap. IV.

Cornelius Nepos. Seneca Philosophus. Plinius maior. Quintilianus. Plinius minor.

Cornelius Nepos.

Cimon. 4: Fuit enim tanta liberalitate ..., ut numquam in iis (prædiis) custodem imposuerit fructus servandi gratia, ne quis impediretur, quo minus eius rebus, quibus quisque vellet, frueretur. Scribendum sine ulla dubitatione: quo minus eis rebus, quibus quisque vellet, frueretur.

Dion. 9 (de Dione in cubiculo a coniuratis occiso): Namque illi ipsi custodes, si prompta fuissent voluntate, foribus effractis servare eum potuissent cet. Mendi aliquid esse in pronominibus illi ipsi facile apparet, quoniam nulla omnino præcessit custodum mentio, neque pravitas tollitur deleto uno illi, quod Halmius tollendum suspicatus est, simul ipsius scribens. Videtur latere adiectivum gentile barbaros corporis custodes demonstrans; a litteris non multum discedit **Illyrici**. Paulo ante quod scribitur: Hic, sicut ante sæpe dictum est, quam invisa sit singularis potentia et miseranda vita, qui se metui quam amari malunt, cuivis facile intellectu fuit, non credo Cornelium significasse, quam sæpe hoc ipse antea dixisset, sed quam frequens huius rei animadvertendæ in historia occasio esset. Itaque prorsus scribendum arbitror: Hic, sicut ante sæpe, quam invisa sit singularis potentia ..., cuivis facile intellectu fuit, sublato dictum est, quod addidit, qui non intellexerat verba sicut ante sæpe

[redacted]

coniungenda esse cum sententia illa: cuivis cet. In superioribus quidem vitis nulla minima huius sententiæ significatio est.

Chabr. 1: Namque in eo (prœlio) victoria fidentem summum ducem Agesilaum, fugatis iam ab eo conducticiis catervis, reliquam phalangem loco vetuit cedere obnixoque genu scuto, proiecta hasta impetum excipere hostium docuit. Sic codices, nisi quod pro in eo fere in ea scribitur pronomine ad nomen sequens accommodato. Quod Lambinus substituit ceterique fere tenuerunt, fidente summo duce Agesilao, prorsus temerariam habet casus in quattuor nominibus mutationem. Qui nuper verbum finitum addiderunt, aut structuram orationis perturbarunt aut ad eam servandam plura licenter addiderunt (eo frustratus est, quod cet.). Requiritur participium activum, videturque scriptum olim fuisse: victoria fidentem <videns> summum ducem Agesilaum .... reliquam phalangem loco vetuit cedere cet.

Timoth. 3: Populus acer, suspicax ob eamque rem mobilis, adversarius, invidus etiam potentiæ in crimen vocabantur domum revocat cet. In loco aperte corrupto nimis facile ac temere et olim editores et nuper delendo se expedire conati sunt ac ne sic quidem tolerabilem orationis et sententiæ formam effecerunt. Mobilitas populi prorsus perverse hoc loco commemoratur, ubi reliqua omnia ad unam iracundiam et invidiam notandam pertinent; sed quid in litteris mobilis lateat, ostendit adversarii vocabulum; manifesto enim populus certo cuidam hominum generi adversarius significatur. Deinde verba in crimen vocabantur aperte pertinent ad Timotheum et Iphicratem. Scribendum igitur ad hanc formam: Populus acer, suspicax ob eamque rem **nobilibus** adversarius, invidus etiam potentiæ **<eorum, qui>** in crimen vocabantur, domum revocat. De priore

emendationis parte (nobilibus) nulla est dubitatio; altera audacior dubitationem habet, nisi quod certum est relativum pronomen intercidisse; potest enim scriptum fuisse: invidus etiam potentiæ, <qui> in crimen vocabantur, domum revocat.

Eum. 3: etenim semper habiti sunt fortissimi, qui summum imperii potirentur. Sic in antiquioribus codicibus omnibus scribitur, pro quo aut summa ex paucis recentioribus aut summæ e coniectura substituitur. Miror nemini in mentem venisse, scribendum esse, quemadmodum c. 7, summi imperii. Cum i vocalis semel scripta esset (summimperii), inde natum est summum.

Hann. 5: Quare hoc unum satis erit dictum, ex quo intelligi possit, quantus ille fuerit cet. Prorsus scribendum: hoc unum satis erit dictu.

Att. 3: Igitur primum illud munus fortunæ, quod in ea potissimum urbe natus est, in qua domicilium orbis terrarum esset imperii, ut eandem et patriam haberet et domum cet. Mendum esse in domum recte Nipperdeius intellexit; neque enim patria et domus tamquam contraria poni possunt, neque Roma Attico domus fuit; in corrigendo aberravit. Quid lateat, perspicitur ex superiore imperii mentione. Fortuna et prudentia sic in Attico conspirarunt, ut, cum in civitate imperio Romano subiecta sedem poneret, tamen ipse peregrinum imperium non subiret. Scribendum igitur: ut eandem et patriam haberet et dominam. Nam qui Athenis natus esset, aliam habiturus erat patriam, Athenas, aliam dominam, Romam. (Video nunc etiam Cobetum dominam scripsisse; sed quod transpositis verbis supra scripsit: in qua domicilium esset imperii, hic: et orbis terrarum dominam, non agitur in Attici persona de dominatu orbis terrarum, neque Atticus orbis terrarum dominam habuit patriam, sed suam. In altera illa sententia

[redacted]

scribendum erat: patriam haberet orbis terrarum dominam. Verum sic tollitur totum acumen sententiæ et tautologia intolerabilis oritur, quoniam, qui in domicilio imperii natus est, necessario patriam habet imperii dominam.) Paulo ante inanissima suspicione damnantur verba: quod nonnulli ita interpretantur cet. Iuris consultorum de duplici civitate sententia non ita pervagata erat, ut vulgo hominibus nota communi opinione comprobaretur.

Ibid. 9: Quin etiam, cum illa (Fulvia) fundum secunda fortuna emisset in diem neque post calamitatem versuram facere potuisset, ille se interposuit pecuniamque sine fenore sineque ulla stipulatione credidit, maximum existimans quæstum memorem gratumque cognosci simulque aperire, se non fortunæ, sed hominibus solere esse amicum. Sic mendose codices; neque enim solum perquam dure atque ineleganter coniunguntur sententia infinita passivæ formæ et infinitivus activus, sed, etiamsi hæc coniunctio excusetur, prorsus pravum per se est aperire, quoniam non de occulto quodam animi sensu aut de secreto consilio aperiendo agitur, sed de ingenio moribusque reapse et agendo declarandis ostendendisque. Itaque nihil proficiunt editores, ex temeraria Peerlkampii coniectura aperire in aperiens mutantes. (Quid est enim huiusmodi terminationum dissimillimarum permutatione incredibilius?) Scribendum erat: simulque **apparere**, se cet. Recte iam coeunt duæ sententiæ infinitæ. [Sic iam quidam apud Schottum.]

Seneca Philosophus.

Senecæ Philosophi opera, ad quæ emendanda non exiguam materiam in Adversaria critica contuleram, postea non fere attigi, nisi quod, cum in libris de beneficiis et de clementia codicis Nazariani scripturæ plenius enotatæ ab M. Hauptio me intercedente cum Gertzio discipulo et collega

meo communicatæ et ab eo editæ essent, eos libros raptim percucurri, ut, quantum novi auxilii allatum esset, cognoscerem, itemque, cum Æmilius Hermes in Quæstionibus criticis in Senecæ epistolarum partem alteram codicum Argentoratensium A et B scripturas in ep. 95 diligentius, quam antea factum erat, enotasset, longiorem hanc epistolam studiose retractavi. Hinc natæ sunt, quas subiiciam, emendationes, in illis duobus opusculis singulæ, in epistola paulo plures.

De Benef. I, 10, 5: Tamquam filios alicui restituere potero magno periculo liberatos sine ullo meo non dubitabo. Hæc verba, quæ Adv. Crit. II p. 407 sq. sic tractavi, ut ne mihi quidem ipsi satisfacerem, quam molestam habeant in concursu verborum potero et non dubitabo orationis formam, apparet, neque ei difficultati interpungendo satis subvenitur (sine ullo meo: non dubitabo); itaque in editionibus (præter Gertzianam) additur si (Tamquam si filios . . . sine ullo meo, non dubitabo). Sed longe graviora sunt sententiæ vitia; nam quid, quæso, ad eum, de quo Seneca per totum hunc locum disputat, beneficiorum delectum et cum officiorum meritorumque ac dignitatis varietate comparationem pertinet, quod negat se dubitaturum filios alicui magno periculo liberatos sine ullo suo periculo restituere, hoc est, scelus se facturum negat? Quæ est autem illa restitutio tamquam amissorum, quoniam de sola periculi liberatione agi videtur, quo denique pertinet diligens illa nullius sui periculi mentio et cum magno alieno periculo comparatio? Ipsa, quæ sequitur, digni beneficio hominis cum indigno et discriminis propter illum subeundi cum clamore, quo solo hic adiuvetur, comparatio manifestissime ostendit, similem hic fuisse beneficii in diversis personis maiore minoreve aut nullo periculo conferendi distinctionem, quæ ipso verborum ordine significatur, filiorum nomine initio sententiæ posito. Itaque primum scribendum est:

ios alicui restituere potero magno periculo, ertos sine ullo meo non dubitabo. Nec tamen tissima hac emendatione locum prorsus persanatum puto; inquitur enim incommodissimum verbum potero (quoniam testatis nulla hic videtur esse significatio dicendumque sse simpliciter restituam aut restituere cum non bitabo coniungendum) et nimis ambiguum et incertum titutionis vocabulum non addito neque significato, unde tituantur, velut ex servitute aut captivitate. Hanc autem am significationem latere arbitror sub illo potero, leoque suspicari Græca voce Senecam usum esse scripseque: Tamquam filios alicui restituere e pira-io magno periculo, libertos sine ullo meo non bitabo. Quam frequens hominum a piratis redempum mentio sit non solum in M. Senecæ declamationibus, l in Pompeianorum temporum historia, omnes norunt.

De Clem. I, 26, 1: Non diu nequitia apparet c, quantum iubetur, peccat. Hoc ordine Nazanus, nam in aliis scribitur apparet nequitia. Veram ipturam obscuravit geminatio vocalis, cui adiuncta deinde etiam consonantis. Fuerat enim: Non diu nequitia ret. Et tempore et peccandi mensura deficit nequitia. ideo nunc iam Muretum paret scribendum vidisse, cui lem Gertzius opposuisset Vergilii et Claudii Quadrigarii os, in quibus de apparitoribus prorsus proprie et necesio apparendi, non parendi verbum ponitur.)

Ep. 95, 2: Hæc sive levitas est sive vernilis, punienda est promittendi facilitate. In licibus A et B scribitur punienda est mutendi cilitate. Efficitur: mut<ua promitt>endi faciate. Oculus aberravit a mut ad mitt.

Ibid. 16: Inde suffusio luridæ bilis et delor vultus tabesque in se putrescentium et torridi digiti articulis obrigescentibus ner-

vorumque sine sensu iacentium torpor aut palpitatio corporum sine intermissione vibrantium. Torpori nervorum iacentium contrariam poni eorundem nervorum, non nescio quorum corporum, vibrantium palpitationem apparet; itaque corporum recte uncis notatum est; verum non simpliciter delendum id vocabulum est, sed transferendum in locum paulo superiorem, ubi non minus manifesto desideratur, quam hic abundat, scribendumque: tabesque corporum in se putrescentium. Vocabulum in codice nostrorum archetypo casu omissum et in margine notatum loco non recto orationi insertum est.

Ibid. 48: numquam satis profectum erit, nisi qualem debet deum mente conceperit, omnia habentem, omnia tribuentem beneficium gratis. Mendum, quod in beneficium manifestum est, una littera sublata facillime sanatur: beneficum gratis. Mercedem beneficiorum deus non quærit. Eandem sententiam alio modo continent, quæ sequuntur, verba: Quæ causa est dis benefaciendi? Natura.

Ibid. 50: Primus est deorum cultus ..... scire illos esse, qui præsident mundo, qui universa vi sua temperant, qui humani generis tutelam gerunt interdum curiosi singulorum. Mire di interdum dicuntur singula curare, quasi plerumque non curent. Seneca scripserat: interdum incuriosi singulorum, ut cura singulorum administrandorum intelligatur.

Ibid. 57 sq.: ceteri .... inter missa appetitaque (sic recte Hermes ex A et B pro inter intermissa) alternis fluctuantur. Causa huius iactationis est, quod nihil liquet incertissimo regimine utentibus, fama. In codicibus AB scribitur causarisque (iactationis est), quod ex causa huius ortum esse non potest. Opinor scribendum esse: Causa usque iactationis est, paulo durius adverbio posito, ubi

exspectari posset adiectivum (causa perpetuæ iactationis), quod substantivum pæne pro gerundio passivo est (cur usque iactentur).*)

Plinius maior.

Quæ ad Plinii historiam naturalem emendandam contuli in Adv. Crit. II p. 523 sqq., iis adiungam, quæ in libris XXXV–XXXVI postea emendavi, cum pæne casu ad eos relegendos delatus essem atque tum solis Iani et Silligii copiis uterer.**)

Lib. XXXV, 20: Parvis gloriabatur tabellis exstinctus nuper in longa senecta Titedius Labeo prætorius . . . .; sed ea res in risu etiam contumeliæ erat. Scribendum manifesto: sed ea res inrisui, etiam contumeliæ erat. Non solum irridebatur Titedius, sed contumelia afficiebatur.

---

*) Simpliciter recipienda codicum scriptura nunc protracta § 7 (ergo in hoc idem poterunt artifice vivendi), 20 (Non mutata feminarum natura, sed victa est; alioquin scribendum erat: Non natura f. mutata, sed vita est), 55 (Sed nil aget, hoc est, proficiet præceptor). In § 26 torti prava correctio est; inter totam et structique intercidit prior pars vocis remanente extrema syllaba de vel dæ.

**) Qui nuper Plinii opus conquisitis studiosissime et diligentissime codicum manu scriptorum subsidiis edidit, vellem huic diligentiæ adiunxisset accuratiorem sermonis Latini scientiam et certius in rebus sententiisque intelligendis iudicium. Careremus eius generis coniecturis, cuius exemplum in ipso initio libri XXXV § 4 obiicitur, ubi, cum de capitibus statuarum permutandis, ut vana novarum species efficiatur, sic in codicibus rectissime et aptissime scribatur: ut frangat heres furisque detrahat laqueus (hoc est, fur laqueo iniecto caput æneum detrahat lucri e metallo faciendi causa), nunc hoc monstrum scripturæ effectum est: ut frangat heres forisque detrahat laqueo.

Ibid. 41: Atramentum quoque inter facticios (colores) erit, quamquam est et terræ geminæ originis. Aut enim cet. Genetivus terræ ferri nequit; scribendum: quamquam est et <e> **terra**, geminæ originis, aut enim cet. Terra pro terræ etiam codices quidam.

Ibid. 97: Unum (inventum Apellis) imitari nemo potuit, quod absoluta opera atramento illinebat ita tenui, ut id ipsum repercussu claritatis colorem alium excitaret custodiretque a pulvere et sordibus cet. In atramento nulla erat claritas, nec eo color alius efficiebatur, sed colores alii, qui sub atramento erant, repercussu clarius exsplendescebant. Scriptum fuerat: ut id ipsum repercussu **claritates colorum aliorum** excitaret cet. Claritates colorum etiam in codicibus non paucis scribitur.

Ibid. 132 sq.: Fecit et grandis picturas, in quibus sunt Calypso et Io et Andromeda, Alexander quoque in Pompeii porticibus præcellens et Calypso sedens. Huic eidem ascribuntur quadrupedes, prosperrime canes expressit. Pictori alicui ascribuntur non infinite quadrupedes, sed certæ et notæ imagines. Pro quadrupedes, quam vocem apparet cum illis prosperrime canes expressit cohærere, codex optimus Riccardianus et alius habent quadrupedem. Efficitur igitur: Fecit et grandis picturas, in quibus sunt ... Andromeda. Alexander quoque in Pompeii porticibus præcellens et Calypso sedens huic eidem ascribuntur. **Quadrupedum** prosperrime canes expressit. Ex pluribus generibus quadrupedum, quas pingendo reddiderat artifex, prosperrime ei res in canibus successerat. De genetivi usu cf., si opus est, XI, 130.

Ibid. 157 (ubi refertur, quæ M. Varro de plastica tradiderit): Præterea elaboratam hanc artem

Italiæ et maxime Etruriæ, Volcam Veiis accitum cet. Dativum hic a Plinio pro præpositione ab positum, præsertim in terrarum nominibus, vix credo, multoque probabilius mihi videtur, cum scriptum esset: hanc artem <in> **Italia** et maxime **Etruria**, præpositionem intercidisse propter præcedentem litteram m, tum e vocalem ex sequenti et adiectam esse.

Ibid. 158 sq.: In sacris quidem etiam inter has opes hodie non murrinis crystallinisve, sed fictilibus prolibatur simpuis, inenarrabili terræ benignitate, si qui singula æstimet, etiam ut omittantur in frugum, vini, pomorum, herbarum, fruticum, medicamentorum, metallorum generibus beneficia eius quæque adhuc diximus. Vel assiduitate satiant figlinarum opera imbricibus ad tecta coctilibus, laterculis fundamentisque aut, quæ rota fiunt, doliis ad vina excogitatis cet. Turbatum hic aliquid esse multis indiciis deprehenditur. Primum enim ablativo illi, quo Plinius et Tacitus epiphonema aliquod aut iudicium adiungunt, de quo dixi Adv. Crit. II p. 526, hic nullus omnino locus est, quoniam neque uni et exiguæ rei, fictilium vasorum in sacris usui, hoc de omnibus terræ beneficiis epiphonema accommodari potest, et ipsa huius epiphonematis sententia evertitur et tollitur adiuncta illa concessione: etiam ut omittantur cet. Deinde ea, quæ sequuntur de figlinarum operibus, nullo prorsus nexu cum præcedentibus coniunguntur; et tamen ipsa particula vel ostendit, ad hæc pertinere superiorem illam concessionem. Postremo ne speciem quidem sententiæ habet verbum satiant sine obiecto positum aut assiduitate satiant. Ad verum inveniendum tenue accedit nec tamen contemnendum indicium, quod in codice optimo Bambergensi scribitur inerrabile, mendose sane, sed ut alius casus, non ablativus, significari videatur. Universa loci forma certissime sic restituitur: In sacris

quidem ..... fictilibus prolibatur simpuis. **Inenarrabilem** terræ **benignitatem**, si qui singula æstimet, etiam ut omittantur in frugum, vini, pomorum, herbarum, fruticum, medicamentorum, metallorum generibus beneficia eius quæque adhuc diximus, vel **assidua patefaciant** figlinarum opera imbricibus cet. De verbo patefaciant relinquitur dubitatio aliqua, nisi quod certum est coniunctivum modum verbi positum fuisse.

Lib. XXXVI, 108: Quamobrem pudor Romani nominis proprius, qui sæpe res perditas servavit in prœliis, tunc quoque subvenit, sed illo tempore in post vitam erubescens, cum puderet vivos, tamquam puditurum esset exstinctos. Sub litteris in post vitam, quæve pro iis in codicibus scribuntur (inposuit iam), latet **impostura** (sed illo tempore impostura erubescens). Deceptum pudorem Plinius dicit.

Quintilianus.

Lib. VIII, 3, 26 (ubi agitur de modico usu verborum antiquorum): Ærumnas quid opus est? Tamquam parvus sit dicatur qui (Flor. a secunda manu, Turic. quod) orridum. Descripsi locum, quemadmodum in optimis codicibus legitur. Et ex iis, quæ præcedunt, et ex iis, quæ sequuntur, apparet Quintilianum vocabula tantum ipsa antiqua aut minus usitata enumerare, breviter de iis iudicantem, non usitata addere et cum illis comparare. Hoc intellecto remotaque falsa illa specie, e qua nata est interpolatio recentissimorum codicum et editionum, ad verum pervenitur non ita difficulter, quod huiusmodi est: **Ærumna** quid opus est, tamquam parum sit, <si> dicatur **queo**, horridum? In iis, quæ sequuntur, membra orationis Zumptius recte separavit et id, quod præcipuum erat, in-

[redacted]

venit, in versu; sed in hoc ipso membro nonnihil a vestigiis codicum et veri aberravit. Sic enim scribendum est: prolem dicendi in versu **ius est**, prosapia insulsum.

Plinius minor.

Ep. I, 5, 3 (de M. Regulo post Domitiani mortem timido propter conscientiam scelerum commissorum): Lacerat Herennium Senecionem, tam intemperanter quidem, ut cet. Necessario scribendum **lacerarat** et propter rem et propter ea, quæ præcedunt, plusquamperfecta foverat et exsultaverat.

Ibid. VIII, 6, 9 (de senatu Claudium rogante, ut ipse Pallantem compelleret ad accipiendam summam a senatu ei decretam): Id vero deerat, ut cum Pallante auctoritate publica ageretur, Pallas rogaretur, ut senatui cederet, ut illi superbissimæ abstinentiæ Cæsar ipse advocatus esset, ne sestertium centies quinquagies sperneret. Fieri nullo modo potest, ut advocatus abstinentiæ Cæsar appelletur, cui ab senatu partes dentur non defendendæ Pallantis abstinentiæ, sed expugnandæ et vincendæ. Poterat Plinius scribere: Cæsar ipse allegaretur, proprio verbo de iis, qui ad aliquem precandi et monendi causa mittuntur; sed ex allegaretur nemo facturus erat, quod in codicibus scribitur; aliam igitur sententiæ formam Plinius secutus est scripsitque, ut opinor, uno vocabulo plus: ut illi superbissimæ abstinentiæ Cæsar ipse advocatus esset **<testis>**, ne cet. Testem abstinentiæ Pallas habiturus erat Cæsarem a senatu in auxilium advocatum. Videtur testis omissum, cum advocatus non recte pro substantivo acceptum esset.

Ibid. IX, 6, 3: quos ego (quosdam graves homines) cum recordor in re inani frigida assidua tam insatiabiliter desidere, capio aliquam volup-

tatem, quod hac voluptate non capior. Assiduitatis mentio manifesto non cum rei frigidæ (certaminum circi) appellatione, sed cum hominum ludis assidentium significatione coniungenda est, quod intellexerunt etiam, qui assidue scripserunt aut scriptum probarunt. Sed ineptum est assidue tam insatiabiliter; scribendum: assiduitate tam insatiabili desidere. Mendi initium fuit litterarum tate ante tam omissio.

Ibid. X, 58, 4 (Keil.): Itaque, quamvis eidem talia crimina applicarentur, nihil decernendum putavi cet. Ineptum in hac scriptura eidem pro ei et pluralis numerus, quoniam unum crimen significatum est. Sententia et oratio constabit, si scripserimus: quamvis eidem et alia crimina cet. Confirmat correctionem, quod in Traiani ep. 60 legitur: si quid illi novi criminis obiicitur.

Ibid. § 7 (in edicto divi Nervæ): Quædam sine dubio, Quirites, ipsa felicitas temporum edicit, nec spectandus est in iis bonus princeps, quibus illum intelligi satis est cet. Prave contraria poni spectandus et intelligi nec omnino hoc loco agi de spectatione principis et æstimatione, sed hoc significari, in nonnullis rebus voluntatem principis etiam sine edicto et litteris intelligi, perspectum iam ab aliis video restitutumque e codicibus exspectandus; sed adhibenda alia emendatio est; neque enim exspectationi apta est boni principis mentio, sed novi, pertinetque tota edicti præfatio ad initia novi imperii, in quibus nonnulla Nerva per se etiam sine edicto intelligi dicit. Scribendum igitur: nec exspectandus est in iis **novus** princeps, quibus (in quibus?) illum intelligi satis est.

Ibid. 61, 2 (de lacu flumini sic iungendo, ut tamen margo intersit): Sic consequemur, ut nec vacuo videatur flumini mixtus (lacus) et sit perinde ac si misceatur. Ex hac Avantii editionis, quæ codicis amissi

[redacted]

locum tenet, scriptura faciendum erat **vacuetur**, non vacuari videatur; de re enim, non de specie, agitur. Paulo post (§ 4), ubi editur: Enimvero si placeat fossam longius ducere et artius pressam mari æquare cet., scribendum est: et **altius** pressam; nam altius et in profundum acta fossa lacum mari æquat; quam artum sit os, nihil ad hanc rem pertinet. [Sic iam Gierigius.]

Ibid. 82, 1: cum propositum meum optime nosses non ex metu nec terrore hominum aut criminibus maiestatis reverentiam nomini meo adquiri. Corrigitur adquirere; multo et rectius et ad mendi originem explicandam probabilius: propositum . . . . **adquirendi**.

Ibid. 93: Amisenos . . . ., si legibus istorum, quibus de officio fœderis utuntur, concessum est eranum habere, possumus, quo minus habeant, non impedire cet. Scribendum: si legibus **ipsorum**, quibus **beneficio** fœderis utuntur, concessum est cet. Amiseni beneficio fœderis suis legibus utebantur; diversa erat condicio eorum, qui, ut paulo post dicitur, Romano iure obstricti erant. Ipsorum iam Orellius.

Paneg. 30 (de Nili inundatione minus plena): Neque enim solum vagus ille, cum expanditur, amnis intra usurpata semper collium substiterat atque hæserat, sed supino etiam ac clementi solo cet. Non sum oblitus, quam libere post Vergilium et Livium Tacitus et alii hac adiectivi aut participii pluralis numeri cum genetivo coniunctione usi sint (Gramm. Lat. ed. III § 284 not. 5), nec me movet, quod eius generis exemplum apud hunc minorem Plinium nullum notavi; id offendit, quod neque partis notio hoc loco apta est (neque enim partes aliquot collium, sed toti colles intelliguntur) neque proprietatis cum re coniunctæ (ut cum incerta rumorum dicuntur); atque hoc ipsum ferrem, nisi accederet longe gravior offensio ex adverbio (semper) adiuncto, quod nemo

umquam participio aut adiectivo sic posito adiunxit, ut diceret verbi causa incerta sæpe rumorum aut uda semper paludum. Itaque suspicari cogor sub hac adverbii specie subesse substantivum Pliniumque scripsisse: usurpatam sæpem collium. Sic appellantur colles planitiem, quæ inundari solebat, sæpientes et terminantes. Idem nomen in adverbium sæpe depravatum restitui Livio XLII, 63. Potest etiam scriptum fuisse: usurpatam semper <sæpem> collium.

Ibid. 36 (ubi extollitur beneficium Traiani, quod iis, quibus lis a fisco intentaretur, optionem dedisset, utrum communibus iudiciis uti vellent an apud procuratorem causam agere): Liberum est autem discriminis „uolo (alii codices nolo) eum eligere“. Neque enim ullam necessitatem muneribus tuis addis, ut qui scias hanc esse beneficiorum principalium summam, si illis et non uti licet. Quam hæc aut licenter interpolarint editores aut violenter enarraverint, nihil opus est dicere. Quid est enim, ut liberum discriminis omittam, incredibilius quam in hac oratione audiendum esse infinitivum dicere (liberum est discriminis dicere) aut pronomen eum pro hunc vel illum poni aut litigatorem dicentem induci iudicem eligo, quasi ulla in hac re litigatori electio detur ac non sola recusatio? Omnia planissima aptissimaque reddet una littera mutata, ceteræ rectius distributæ. Sic enim Plinius scripserat: Liberum est autem discrimini suo locum eligere. Ei, cui fiscus litem intentat, liberum est eligere, utro loco, apud iudicem communem an apud procuratorem, discrimen causæ subire velit.

Ibid. 37: Onera imperii pleraque vectigalia institui ut pro utilitate communi ita singulorum iniuriis coegerunt. Quid sit iniuriis singulorum instituere vectigalia, nemo dixerit, minus etiam, si quis præpositionem post ita audiri ex altero membro posse

[redacted]

putat, quod fieri nullo pacto potest, quid sit pro iniuriis singulorum instituere vectigalia. Poterat recte et Latine dici vectigalia instituere cum iniuriis singulorum, hoc est, ita, ut singuli iniurias patiantur; verum longissime hoc a Plinii sententia remotum est. Qui contra a bono principe sic temperandam vectigalium imponendorum necessitatem significat, ut singulorum iniuriæ onere exæquando vitentur, atque ad eam necessitatis temperationem significandam pertinet notus particularum ut — ita usus in comparatione rerum ex aliqua parte contrariarum, sed coniunctarum, ut prius membrum concessionem videatur habere. Rectam et cum toto Plinii consilio coniunctissimam sententiam consequemur retractis litteris, quæ propter manifestissimum errorem exciderunt: Onera imperii pleraque vectigalia institui ut pro utilitate communi ita <sine> singulorum iniuriis coegerunt. Prorsus hæc emendatio gemina est ei, quam supra in Herodoti lib. II c. 25 feci.

Ibid. 39 (ubi laudatur Traianus, quod iis, quibus civitatem Romanam dederit, cognationis et hereditatum iura cum propinquis, qui peregrini manerent, reliquerit): Læti ergo adite honores, capessite civitatem; neminem hoc necessitudinis abruptum velut truncum amputatumque destituet; iisdem omnes quibus ante pignoribus, sed honestiores perfruentur. Quid sit hoc necessitudinis aut, si quis sic coniungere verba velit, hoc necessitudinis abruptum, nemo dixerit, neque quæ hic omnino necessitudo intelligatur, etiamsi pro necessitate accipiatur. Scripserat Plinius: neminem hoc necessitudinibus abruptum velut truncum amputatumque destituet. Neminem civitas Romana accepta necessitudinibus suis, hoc est, cognationibus propinquitatibusque et, ut paulo post Plinius dicit, pignoribus suis privabit. Tantum animadvertendum huius ætatis usu necessitudines plurali numero sic dici, ut ipsi

necessarii propinquique intelligantur. Exempla Taciti et Suetonii in lexicis reperientur; inferiore ætate eodem modo caritates dicebantur, qui usus apud Ammianum frequens est. [Sic iam Perizonius.]

Ibid. 43: Donavit pater tuus multa, et ipse donasti. Cesserit parum gratus cet. Varie extrema tentantur; veri simillimum mihi videtur: **Decesserit** (mortuus sit aliquis) parum gratus (nihil testamento principi relinquens).

Ibid. 44 (de Traiano, antequam princeps fieret, Domitiani tempora experto): Meministi, quæ optare nobiscum, quæ sis queri solitus. Nam privato iudicio principem geris, meliorem immo te præstas, quam tibi alium precabare. Nullam esse causæ significationem sensit Livineius substituique pro nam voluit nunc. Et facilius et aptius substituitur **iam**, quod et præsentis temporis et mutationis significationem habet.

Ibid. 48 (de comitate Traiani erga senatores eum salutantes): Itaque non alii et attoniti nec ut periculum capitis adituri tarditate, sed securi et hilares, cum commodum est, convenimus. Mendosum esse alii satis est manifestum; aliorum correctiones longius aberrant, Keilii (pallidi) sententiam efficit rectam et necessariam, litterarum vestigiis non insistit. Una littera mutanda est, ut fiat: Itaque non **albi** et attoniti cet. Album eum, qui pavore palleat, dici testimoniis Persii et Martialis lexica ostendunt.

Ibid. 53: Neque enim satis amarit bonos principes, qui malos satis non oderit. Plinius scripserat: qui malos non oderit; adverbium cum sententiæ et acuminis detrimento ex priore membro huc illatum est. Ad virtutem satis et vere amandam necesse est vitium odisse, non satis odisse, quod ridicule dicitur, quoniam huius odii nulla mensura intelligi potest.

Ibid. 65: quam dignum te quamque diversum consuetudine illorum, qui pauculis diebus gestum consulatum, immo non gestum abiiciebant per edictum! Debebat præpositio addi (a consuetudine), nisi appareret Plinium poetarum et in prosa oratione huius ætatis usum sequentem scripsisse: diversum consuetudini illorum. Error facilior erat in concursu duplicis litteræ i et inde alterius elisione. [Sic duo codices apud Schwarzium.]

Ibid. 73: Quis tunc non e vestigio suo exsiluit? Quis exsiluisse sensit? Scribendum necessario geminatis duabus litteris: Quis <se> exsiluisse sensit? Sequitur: Multa fecimus sponte, plura instinctu quodam et imperio. Nihil se et ceteros deliberato consilio fecisse Plinius significat. Paulo ante sic verba interpungenda: Testis ipse es. Quæ in omnium ore lætitia! Non amictus cet. Alioquin addendum esset fuerit post lætitia.

Ibid. 77: Et sane æquum est, tantum ceteris præstare consulibus ipsum, qui consules facit; quippe etiam fortuna videbatur indignum, si posset honores dare, qui gerere non posset. Nullus est præteriti temporis significationi locus; ad condicionalem orationem accommodari non potest videbatur pro videretur; scribendum sublato frequentissimo in hoc verbo mendo: quippe etiam fortuna videatur indignum, si possit honores dare, qui gerere non possit. Et in possit quidem utroque loco codices adiuvant, altero plures.

Ibid. 82: Simul cogito, cum sint ista ludus et avocamentum huius ille serie et intente et a quibus se in tale otium recipit voluptates sunt enim voluptates, quibus optime de cuiusque gravitate, sanctitate, temperantia creditur. Sic codices, nisi quod in deterioribus huius omittitur et minora quædam variantur. Manifesta est lacuna. Ex iis rebus,

quibus Traianus ad animum remittendum et oblectandum utitur, coniecturam facit Plinius de seriis occupationibus. Scribendum igitur: Simul cogito, cum sint ista ludus et avocamentum, **cuius<modi sint> illa seria** et **intenta** et a quibus se in tale otium recipit. Voluptates sunt enim, quibus optime de cuiusque gravitate, sanctitate, temperantia creditur. Ab sententia et universa orationis forma non multum discedit Lipsii coniectura.

Ibid. 92: Quid, quod eundem in annum consulatum nostrum contulisti? Quid sententia desideraret, iam Panvinius intellexit et post eum alii; correctionis facillimam ac lenissimam formam non viderunt: Quid, quod eundem in annum consulatum <tuum et> nostrum contulisti? Excidit tuum post tum, quo facto etiam et omissum est.

Ibid. 95: vos in istis officiis etiam, quæ e studiis nostris circa tuendos socios iniunxeratis, cuncti constantiæ antiquissimum testimonium perhibuistis. Prorsus prave dicitur e studiis alicuius iniungere officia, ut intelligantur officia studiis eius convenientia; desideratur dativus; scribendum igitur: in istis officiis etiam, quæ studiis nostris . . . iniunxeratis; Plinii eloquentiæ studiis iniungebatur officium causas agendi.

Cap. V.

Tacitus. Suetonius. Iuvenalis.

Tacitus.

Taciti annales (recepto enim et breviore nomine uti libet) et historias atque Agricolam nuper admodum postremum retractandi cupido mihi incidit, ut omnem, quæ his libris contineretur, rei publicæ Romanæ formæ, qualis Cæ-

rum primo sæculo fuisset, cognoscendæ materiam sub-
ıum continuumque conspectum adductam cum ea, quam
se in opere de publicis Romanorum institutis delineassem,
ıagine denuo conferrem. Cum igitur, quod oculi omnem
nnino legendi operam denegabant, Taciti oratio mihi ex
ılmii exemplo quartum repetito ita recitaretur, ut, si quid
'endisset animumque dubitatione pupugisset, codicum
ripturæ a Rittero annotatæ compararentur consideraren-
rque, idem mihi evenit, quod sæpe antea, cum Taciti
ripta tractarem, evenerat, ut permultis locis eas coniec-
ras, in quas ipse aut statim aut sumpto cogitandi spatio
:idissem, eas deinde, inspecto Halmianæ editionis margine
hibitisque Bekkerianæ editionis maioris copiis, a superio-
m aliquo, Rhenano, Lipsio, Acidalio, Pichena, Heinsio,
einshemio, Gronovio, Ernestio aliove, interdum ab aliquo
rum, qui nuper in Taciti scriptis elaborarunt, præceptas
:elligerem sæpeque mirarer non pridem in contextu positas
se (adeo mihi multæ earum certæ videbantur), nonnullas
per loco, quem tenuissent, pulsas, alias prorsus silentio
ıissas.*) Sed præter eas emendationes, in quibus con-

*) Quid sentiam, quam editorum patientiam et quæ tacendi effugia non feram, exempli causa in uno primi annalium libri loco paucis verbis declarabo. Nam c. 44, postquam Tacitus legionum seditionem compressam esse et supplicium de seditionis auctoribus ab ipsis militibus sumptum narravit, sic de Germanico scribitur: Centurionatum inde egit. Enarrant Germanicum censuram centurionum et examen peregisse, qui retinendi, qui loco movendi pœnaque afficiendi essent. Neque dubitatur, quin eam rem Tacitus intelligi voluerit. Verum si quid certi in sermonis usu est, certissimum est, centurionatus vocabulum, eadem ratione formatum, qua decurionatus, optionatus et extra rem militarem consulatus, tribunatus, decemviratus aliaque appellantur, nihil aliud significare nisi locum et munus centurionis et, si declinatum nonnihil a prima significatione concedatur, tamen nullo modo in eam partem deflecti potuisse, in quam

sensu aliorum lætabar, veritatis convicium non valuisse moleste ferebam, præterque eas, quas olim in altero Adversariorum volumine edidi, succurrerunt novæ aliquot, nonnullæ quidem ad sententiæ et orationis formam adiuvandam satis notabiles, partim probabiles, partim meo iudicio plane certæ. Eas hic subiiciam.

Annalium lib. II, 39 (de servo Clemente Agrippæ Postumi interfecti personam mentito): nam ætate et forma haud dissimili in dominum erat. Tacitum pro eo, quod omnes, qui Latine loquebantur, dicebant, dissimili domini, dixisse dissimili in dominum neque aut ipsius aut alius cuiusquam exemplo defenditur, neque ulla excogitari potest ratio a consueto loquendi usu in illam formam deflectendi. Itaque prorsus mihi persuadeo, Tacitum ætatis formæque haud ab domino abhorrentis mentioni per in præpositionem adiunxisse rei, in qua ea simili-

---

ab editoribus accipitur, nisi forte tribunatum agere pro eo, quod est tribunorum delectum habere, dici posse putamus. Accedit, quod eius rei, quam Germanicus prorsus extra ordinem suscepit, consuetudinem alienam, e qua propria appellatio nasci potuerit, fuisse nullo minimo vestigio significatur. Itaque aliter Tacitus scripsit; neque tamen ipsum centurionatus nomen legitima forma fictum expelli tamquam errore natum potest, neque addendo effici, quod sententiæ conveniat. Quod quærimus, efficitur una in hoc vocabulo littera mutata et additis duabus, quæ inter inde et egit facillime exciderunt, ut scribatur: **Centurionatus** inde **exegit**. Ita scribendum esse cum annotassem, vidi idem Gronovio in mentem venisse, sed editoribus pro indicto fuisse. Eiusdem generis exempla multa enumerare poteram, sed hoc loco duobus contentus ero, Annal. VI, 7 et Hist. II, 88, in quorum priore cum C. Cestium **prætorem** (pro patrem), in altero **ut rebantur** (pro utebantur) scribendum esse dictassem mihique de manifestis et facilibus emendationibus pæne gratularer, insusurratum est utrobique ab amanuensi Lipsii nomen ex Halmii annotatione.

tudo usui futura esset, significationem atque ita scripsisse: ætate et forma haud dissimili in domini mimum erat, hoc est, ad mimicam quandam domini imitationem peragendam, quemadmodum Plinius H. N. VII, 53 Artemona dicit in tantum similem fuisse Antiochi regis, ut Laodice coniux regia necato iam Antiocho mimum per eum commendationis regnique successionis peregerit. Nec multum distat, quod Suetonius Calig. 45 fictum triumphum de Germanis mimum appellat. Tacitus ipse in simillima re falsi Neronis ludibrium dicit Hist. I, 2. (Quod video a quibusdam ipsum illud in dominum enarrari ad domini personam agendam, prorsus perversum est.) Quam facile mimum cum duabus extremis syllabis præcedentis vocabuli coalescere potuerit, apparet.*)

Ibid. 78: Simul Domitium impositum triremi vitare litorum oram præterque insulas lato mari pergere in Syriam iubet. Mira abundantia litorum ora pro litoribus ponitur, notabiliter etiam plurali et singulari numero coniunctis. Una littera geminata rectum efficitur; iussus est enim Domitius litorum moram vitare, hoc est, moram, quam navigatio habitura esset, si litora legeret.

Ibid. III, 12 (in Tiberii oratione): odero seponamque a domo mea et privatas inimicitias non vi principis ulciscar. Prorsus necessario in hac eius, quod fiat, et eius, quod non fiat, copulatione dicendum erat: nec privatas inimicitias vi principis ul-

*) C. 9, quoniam neque permissu absolute positum et cum participio progressus coniunctione copulatum ferri potest, neque tum permissum recte dicitur, quasi eiusdem rei venia ante negata significetur, scriptum a Tacito puto: Tum permisso progressusque salutatur ab Arminio. Et permisso sine substantivo positum et copula inter ablativum absolutum et participium interiecta usu loquendi defenduntur.

ciscar. Sine dubio Tacitus scripserat: et <privatim> privatas inimicitias, non vi principis, ulciscar.

Ibid. 63 (ubi exponitur, quibus argumentis testimoniisque Græcæ Asiæ civitates usæ sint in asylorum suorum iure defendendo confirmandoque): Propiora Sardianos, Alexandri victoris id donum. Neque minus Milesios Dareo rege niti; sed cultus numinum utrisque Dianam aut Apollinem venerandi. Multa in extrema parte sententiæ grave mendum coarguunt, primum pravus ille gerundii genetivus (venerandi) a nullo substantivo pendens (cultus est utrisque Dianam venerandi), quem frustra defendi satis exposui in Adversariorum volumine altero p. 553 et 556*), deinde cultus nomen aut pravo casu positum (oratio enim obliqua accusativum postulat) aut pravo numero, tum inanitas sententiæ, utrumque populum habere cultum numinum, ut aut Dianam aut Apollinem venerentur, quasi quis suspicari possit nulla eos numina colere, postremo hæc omnia perverse particula adversativa superioribus adiuncta, cum nihil prorsus sit contrarii aut quod superioribus repugnet. Sed hac ipsa particula veri inveniendi initium continetur; apparet enim hanc summam esse sententiæ, Sardianos et Milesios, quamquam utrique vetusta regum auctoritate nitantur, tamen non eiusdem dei religionem tueri et colere, sed alteros Dianæ, alteros Apollinis (itaque Dianam aut Apollinem, non Dianam et Apollinem scribitur). Apparet in his verbis sed cultus numinum utrisque latere diversi cultus significationem, ita conceptam, ut ei accommodetur genetivus ille venerandi. Scripserat Tacitus: sed cultūs nomen non unum utris-

*) Frustra in Epist. ad Orellium (a. 1828) p. 80 epexegeticum genetivi usum advocavi, quem excludit sententia (cultus est utrisque).

[redacted]

que Dianam aut Apollinem venerandi. Paulo durius, sed prorsus e Taciti more *venerandi* adiungitur ad *nomen*; alteri nomen Dianam venerandi, alteri Apollinem sequuntur.

Ibid. IV, 33: *Nam cunctas nationes et urbes populus aut primores aut singuli regunt; delecta ex iis et consociata rei publicæ forma laudari facilius quam evenire, vel si evenit, haud diuturna esse potest.* Aperte inter se comparantur ex altera parte optimæ rei publicæ laudatio, ex altera reapse effectio et conservatio. Itaque una sententia aiens hæc est: *quam evenire vel, si evenit, diuturna esse potest.* Neque hoc alterum de diuturnitate exceptionis loco negando adiungi demonstrat et *vel* particula et apertissime omnis sententia uno verbo *potest* in extremum locum reiecto conclusa. Negatio adiecta est orationis forma non intellecta.

Ibid. deinceps: *Igitur ut olim plebe valida, vel cum patres pollerent, noscenda vulgi natura . . . . ., senatusque et optimatium ingenia qui maxime perdidicerant, callidi temporum . . credebantur, sic converso statu neque alia rerum, quam si unus imperitet, hæc conquiri tradique in rem fuerit* cet. Sic codex Mediceus hæc postrema corrupte scripta habet, in quibus quin Lipsius recte pro *rerum* restituerit *re Romana*, neque fere quisquam dubitavit neque dubitari potest. Desiderari tamen aliquid ad sententiæ et orationis integritatem manifestum est; nam neque Latine dicitur: *Non alia est res Romana, quam si unus imperitet* pro eo, quod est: *Non aliter stare potest, quam si* —, neque recte habet hæc ablativi absoluti forma: *non alia re Romana* cet., quæ si sana esset, non condicio significaretur rei Romanæ retinendæ, sed eam eandem habere vim, ac si unus imperitaret. Excidit aliquid ante *re Romana* propter litterarum

15*

similitudinem; sic enim scriptum fuerat: neque ali<ter salv>a re Romana, quam si unus imperitet. Iam recte significatur condicio. Oculus librarii ab ali transsiluit ad alu.

Ibid. VI, 2: Hæc adversus Togonium (Tiberius) verbis moderans neque ultra abolitionem sententiæ suaderet. Varie corrigunt; facillimum et aptissimum est: verbis moderans, ne quid ultra abolitionem sententiæ suaderet.

Ibid. 14: Et Iulius Celsus tribunus in vinclis laxatam catenam et circumdatam in diversum tendens suam ipse cervicem perfregit. Non catenam Celsus in contrarium tetendit, sed catena collo circumdata ipse in contrariam partem tetendit et nisus est, ut catenæ vi cervix frangeretur. Scribendum igitur sublata littera, quæ prave sæpissime adhæret: laxata catena et circumdata.

Ibid. 29: At Romæ cæde continua Pomponius Labeo .... per abruptas venas sanguinem effudit, æmulataque est coniux Paxæa. Prave cædis continuæ mentio adiungitur ablativo casu ad verbum effudit de unius hominis morte positum, etiamsi uxoris æmulationem enarrando complecti conere. Apparet enim Tacitum gravi paucorum verborum exordio seriem eam mortium et cædium brevi temporis spatio perpetratarum significare, quas deinde singillatim indicat; atque ad hanc generalem sententiam, non ad unius cædis mentionem, aptum est Romæ nomen initio positum. Itaque opinor Tacitum scripsisse: At Romæ cædes continuæ. Pomponius Labeo cet. (Incidit in verum Ernestius, sed alia effugia tentavit.)

Ibid. 36: atque interim posse Parthos absentium æquos, præsentibus mobiles ad pænitentiam mutari. Neque adiectivum, quod est æquus, ulla ratione cum genetivo coniungi potest neque in eam

significationem detorqueri, quæ hoc loco requiritur, ut pro eo, quod est incuriosus, dicatur. Certa et facili emendatione scribendum est: absentium cæcos, præsentibus mobiles. Absentium cæci aptissime dicuntur, qui ea nec vident nec curant, eadem genetivi ratione, qua Tacitus pavidum offensionum, laborum, nandi aliaque similia dixit, Seneca timidum lucis (Horatius procellæ), transitivam adiectivis vim tribuentes. Ipsum cæcus sic cum genetivo ponitur apud Lucanum II, 14 et Silium Italicum II, 206. Ex cæcos primum factum æcos antiqua forma, tum æquos communi.

Ibid. 49: Igitur accusata (Papinii mater) in senatu, quamquam genua patrum advolveretur luctumque communem et magis imbecillum tali super casu feminarum animum aliaque in eundem dolorem mæsta et miseranda diu ferret, urbe tamen in decem annos prohibita est cet. Neque quid sit in dolorem mæstus, intelligitur, neque quo referatur in doloris vocabulo pronomen idem, quoniam præcessit feminarum animi mentio, neque omnino quo pertineat hic doloris nomen. Scriptum fuerat: in eundem colorem, hoc est, in eandem partem et ad eundem audientium et iudicantium affectum movendum. Nam sic proprie hac ætate, maxime apud oratores et rhetores, color dicebatur de ea specie, quæ rei in iudicium deductæ ad excusationem defensionemque ab reo aut patrono inducebatur. Itaque Seneca Rhetor perpetua consuetudine, quo quisque colore in controversia aliqua usus sit, exponit. [Sic iam Acidalius.] (De verbis diu ferret dubitantibus assentior, certi nihil reperio.)

Ibid. XI, 23 (de Gallis): Recentia hæc; quid, si memoria eorum oreretur, qui Capitolio et ara Romana manibus eorundem p (addita infra lineola transversa) se satis? Sic codex M. In loco misere corrupto ante omnia tenendum est, in pronomine eorum non

potuisse Tacitum subito a Gallis, de quibus solis hactenus dixerit, ad Romanos sic transsilire, ut deinde eorundem de Gallis subiiceret, neque, si de Romanis in foro aut alibi per urbem occisis ageretur, ullam fuisse Capitolii et arcis appellandæ causam, neque manus Gallorum, sed gladios et tela nominaturum Tacitum fuisse. Itaque veri inveniendi initium Heinsius vidit, non agi de cæde aliquot Romanorum, sed de Capitolii arcisque redemptione, quæ apud Romanos semper in memoria calamitatis Gallicæ primum locum tenet, detractisque ad aurum conficiendum templorum ornamentis, hoc est, de manubiis deorum, quas hic appellatas esse ipse statim intellexeram. Deinde apparet, verbo oreretur in relativa sententia necessario respondere debere imperfecti aut plusquamperfecti temporis verbum. A sententia Taciti non longe aberraverit, qui scripserit: — eorum oreretur, qui <de> Capitolio et arce Romana manubiis deorum depacti essent? Sed residet scrupulus in litteris satis longe discedentibus (nec tamen longius quam in aliorum emendandi conatibus).

Ibid. XII, 1: Sed maxime ambigebatur (in deligenda Claudii uxore) inter Lolliam Paulinam M. Lollii consularis et Iuliam Agrippinam Germanico genitam cet. Neque familiaris sermonis brevitas, qua Cæcilia Metelli dicitur, ad hanc in narrando certi hominis plenam appellationem (Paulina M. Lollii consularis) transferri ullo modo potest, neque facile hæc inæqualitas orationis ferri: Paulina M. Lollii et Agrippina Germanico genita. Ad hæc mendi indicia cum accedat, quod Paulinæ patris consulatus nullum vestigium reperitur, et quod Plinius quoque H. N. IX, 118 in Paulina avi tantum, non patris nobilitatem significat, dubitari nequit, quin Tacitus ad hanc formam scripserit: Lolliam Paulinam <M. Lollio, filio> M. Lollii consularis, et Iuliam Agrippinam Germanico genitam, patre

[redacted]

in utraque femina eodem modo (genitam) significato. {Senserat vitium Ritterus.]

Ibid. 12: fraude Acbari, qui iuvenem (Meherdatem) ignarum et summam fortunam in luxu ratum multos per dies attinuit apud oppidum Edessam. Non ignorantiam consilii significari apparet, quoniam id aperte Meherdati datum narratur, sed ipsum ingenium, quo pertinent etiam verba adiuncta: et summam fortunam in luxu ratum. Verum sic Latine ignarus absolute de homine rerum imperito et communis eruditionis experti *(ein unwissender Mensch)* non dicitur. Scribi debet: iuvenem **ignavum** et summam fortunam in luxu ratum.*)

Ibid. XIV, 7 (de Neronis trepidatione post insidias Agrippinæ frustra structas): Tum pavore exanimis et iam iamque affore (Agrippinam) obtestans vindictæ properam, sive servitia armaret vel militem accenderet, sive ad senatum et populum pervaderet, naufragium et vulnus et interfectos amicos obiiciendo, quod contra subsidium sibi? Nisi quid Burrus et Seneca expergens, quos statim acciverat, incertum an et ante ignaros. Igitur longum utriusque silentium, ne irriti dissuaderent, an eo descensum credebant, ut, nisi præveniretur Agrippina, pereundum Neroni

---

*) C. 37 quid sententia postularet, Lipsius vidit, sed scribendum potius cum Ryckio aliisque: Non, si vos omnibus imperitare vultis, sequitur cet. (vulgo nam, Lipsius num). C. 38, quod rem continet, vidit Rhenanus (occidione occubuissent), sed ex copiarum faciendum erat copiæ Rom., hoc est, Romanæ, non copiæ tum, particula vitiose illo loco redundante. Mendum idem vidimus IV, 33 (rerum pro re Rom.). C. 48 adeptus ortum est, præcedente littera a, ex demptus, quod errore scriptum erat pro **demotus** (Nipperdeius depulsus, sententia eadem).

esset. Longiorem verborum ambitum descripsi, ut statim legentibus appareret, neque sententiam neque orationem recte continuari. Primum enim deest omnino primæ sententiæ verbum, nec interrogatio illa: quod contra subsidium sibi habet, cui subiungatur; deinde perverse prorsus ponitur particula igitur, quoniam ne minima quidem conclusionis umbra est, sed narrando subiicitur, quid Burrus et Seneca ad opem ferendam excitati fecerint, quamquam huius ipsius cohortationis significatio omittitur. (De mendo, quod in litteris expergens manifestum sententiam condicionalem evertit, nihil dico, quoniam id pridem Pichenæ amicus aliquis correxit.) Quod ad priorem sententiam absolvendam deest, in illo, quod alterius initio superest, igitur continetur. Sic enim scripserat Tacitus: Tum pavore exanimis et iam iamque affore obtestans ...., quod contra subsidium sibi, nisi quid Burrus et Seneca expedirent (quos statim acciverat, incertum an et ante ignaros), orditur. Longum utriusque silentium cet. Scriptum etiam esse potuit queritur. Iam recte Nero Burrum et Senecam consilium expedire iussisse narratur, illi initio obmutuisse. Quod deinde correxeram, ut pro ignaros scriberetur gnaros, video ab aliis occupatum et ab Halmio receptum. Non hoc uno loco simplex gnarus in notius et frequentius ignarus mutatum est.

Ibid. 15: nec ulla moribus olim corruptis plus libidinum circumdedit quam illa colluvies. Si hæc recte scripta sunt, mire Tacitus negat ullam colluviem plus libidinum moribus circumdedisse quam illam, quæ ab ipso describitur, quasi morum corruptio semper ex colluvie aliqua oriatur. Manifestum est colluviem illam cum aliis morum corrumpendorum causis et libidinum illecebris comparari debere. Excidit igitur substantivum, cui ulla adiunctum erat, sive ita scripsit Tacitus: nec ulla moribus olim corruptis <vis> plus libidinum

cumdedit quam illa colluvies, sive potius: nec la . . . <**pestis**> plus cet.; nam et aptius est pestis facilius ante plus excidere potuit. (Vitium sententiæ nestium offendit, qui intellexit requiri fere neque quidam.) In eodem capite paulo infra, ubi nunc sic editur: stremum ipse scenam incedit, multa cura mptans citharam et præmeditans assistentis phonascis. Accesserat cohors militum cet. Mureti coniectura, longissime a codicibus discedenti nec ad n recta, quoniam citharistis in ipsa scena canentibus onascos astitisse nusquam significatur neque probabile, redeundum videtur simpliciter ad codicum scripturam, ut fit in antiquissimis editionibus, interpunctam: — et æmeditans. Assistentibus facies accesserat hors militum cet. Assistentium et audientium coronæ gularem aliquam speciem *(ein karakteristisches Gepräge)* lidisse cohortem militum, centuriones tribunosque Tacitus nificat. Faciei nominis in hoc loco usum recte declait Bötticher in lexico Taciteo collatis multis Taciti locis Ann. I, 41 et Hist. II, 89, cet.

Ibid. 16 (de Nerone carminum studium affectante): ntractis, quibus aliqua pangendi facultas cdum insignis ætatis nati considere simul allatos vel ibidem repertos versus connectere que ipsius verba quoquo modo prolata supere cet. Coniecturas in verbis ætatis nati considere itatas refellere supersedeo, maxime illatam inepte cenæ ntionem mireque vexatum ætatis vocabulum minime horrens ab narratione cœtus a Nerone adolescente (viginti orum annorum) cum aliis non longius provectis (necdum) tituti; illud unum animadverti velim, ex ablativo conactis apparere, debere primum sequi verbum ad Neronem, n ad ceteros, pertinens, reliquos infinitivos recte de iis elligi, quos Nero contraxerat. Scripserat Tacitus ad hanc mam: Contractis, quibus aliqua . . . insignis,

ætatis venia uti; considere simul cet. Iuveniliter ac pæne pueriliter lusisse Neronem et ceteros cum ætatis excusatione significat. Non intercedam, si quis propius etiam ad litteras scribi maluerit ætatis vena uti, ut significetur procax quædam exuberantia ætatis in huiusmodi lusu, addique, quod iam alii addiderunt, ii ante considere, ut oratio a Nerone ad ceteros apertius transferatur.*)

Ibid. 36 (in oratione Suetonii Paulini): Etiam in multis legionibus paucos, qui prœlia profligarent cet. Mendum apparet; Ritteri coniectura, in qua retinetur in multis legionibus, sententiæ generalis speciem efficit pravæ, quasi cum opprobrio obiiciatur, etiam cum multæ legiones sint, paucos fortiter agere et rem decernere, nec iis, quæ subiiciuntur, aptæ; nam ibi paucitas eorum significatur, qui nunc ipsum adsint bellumque plurium labore et opera dignum conficiant. Scribendum est: Esse e tam multis legionibus paucos, qui prœlia profligarent, gloriæque eorum accessurum cet. Oratorie multas legiones Suetonius appellat, quæ in ipsa Britannia quattuor vel quinque erant, ceteras, quæ per totum imperium sparsæ erant, obscura significatione comprehendens.**)

---

*) C. 33, ubi editur: quia barbari omissis castellis præsidiisque militarium, quod uberrimum spolianti et defendentibus intutum, læti præda et laborum segnes petebant, recte Pichena intellexit militarium vitiose dici pro eo, quod est militum; sed quod substituit militaribus, et militum et militaribus prorsus abundat in castellorum et præsidiorum mentione, desideratur contra molestissime loci reive petitæ appellatio propria neutri generis nomine comprehensa, ad quod referatur pronomen relativum. Itaque scriptum fuerat ad hanc formam: militare . . . um, quod cet. Fueritne militare horreum, quod mihi a philologo amanuensi subiicitur, an aliud propius aptiusque lateat, non definio.

**) C. 39 certum est non narrari Suetonium rebus gerendis, quarum nulla minima significatio sequitur, detentum esse a

Ibid. 56 (in Neronis ad Senecam oratione): Quin, qua in parte lubricum adolescentiæ nostræ clinat, revocas ornatumque robur subsidio ıpensius regis? Neque ab initio robur ornatur, sed gitur et conformatur, neque ornandi roboris curæ conuatur eius regendi officium, sed graviori muneri roboris ius efficiendi et constituendi. Opinor Tacitum scripsisse: 'matumque robur subsidio impensius regis.

Ibid. XV, 3: Quæ ubi Corbuloni certis nuntiis dita sunt, legiones duas cum Verulano Severo Vettio Bolano subsidium Tigrani mittit, culto præcepto, compositius cuncta quam stinantius agerent; quippe bellum habere am gerere malebat. Neque turpe, quod his verbis Corbulonem confertur, crimen belli suæ utilitatis causa hendi ulla ex parte cum reliqua Taciti de Corbulone rratione et iudicio consentit, neque ea suspicio ex prunti ducis compositius quam festinantius agendi præcepto ri poterat, neque ullo modo sic dici absolute potest bere bellum pro eo, quod est ducere aut trahere, t contrarium poni gerendi verbo; nam qui bellum rit, profecto semper habet. Scripserat Tacitus: bellum rere quam gerere malebat.*)

---

nescio quo alio proposito, sed hoc dici, nullam ei ulteriorem rerum gerendarum facultatem permissam brevique post provinciam alteri tradere iussum eo prætexto, quod bellum a se confectum iniuria gloriatus esset. Sed quod Faernus demotus pro detentus scribi voluit, facilius addetur præpositio: detentusque <a> rebus g.

*) C. 5, ubi perversus ille gerundii genetivus pro infinitivo rursus frustra defenditur, non studium addendum est, sed, quod facile post vetus excidere poterat, votum. C. 13 omissæ vocis necessariæ causa apparebit, si scripserimus: Numantinæque <pacis; neque> eandem cet. Oculus librarii aberravit a næque ad neque. Animis ignavorum

Ibid. 17: at Vologeses ad Corbulone missi nuntii, detraheret castella cet. Ex hac codicis Medicei scriptura efficitur verum: **ab Vologese** ad Corbulonem missi nuntii. Genetivus (Vologesis) et loco et sententia ineptus est.

Ibid. 40: Necdum p' metus aut rediebat lebis (supra b scripto u) . . . (spatium trium litterarum) rursum grassatus ignis patulis magis urbis locis cet. Omitto refellere coniecturas a codicum vestigiis longe recedentes nec orationi et sententiæ plane satisfacientes. Veritatis inveniendæ indicia continentur primum particulis necdum . . aut, tum litteris lebis et spatio vacuo. Scribendum videtur: Necdum **demptus** metus aut **redierat plebi spes**; rursum **grassatur** ignis cet. Initium mendi natum est ex litteris dum et dem continuatis.

Ibid. 43: iam aqua privatorum licentia intercepta quo largior et pluribus locis in publicum flueret, custodes, et subsidia reprimendis ignibus in propatulo quisque haberet. Nimis dure interponitur ac pæne abiicitur nominativus custodes in novo instituto notando (— nam in describendo rerum statu admodum breviter nominativum interdum a Tacito poni non sum oblitus —), præsertim adiuncto illo et subsidia . . . quisque haberet. Vereor, ne Tacitus scripserit: custodes <**essent**>, et subsidia cet. Facile quidem verbum excidere poterat. *)

---

hominum obversabatur memoria non cladis, sed pacis, qua clades vitata erat.

*) Initio capitis, quoniam nunc constat in codice Med. scriptum esse domui, eo magis eorum sententia sequenda erat, qui viderant Tacitum acerbe eam partem urbis significare, quam immenso spatio occupato domus Neronis reliquisset, nec quidquam in verbis mutandum.

Ibid. 54: *Postremo* (Scævinus e Pisonis coniuratis) *vulneribus ligamenta, quibusque sistitur sanguis, partiebatque eundem Milichum monet* cet. Desiderari eius, quod Scævinus Milichum monuerit, significationem apparet; itaque coniectura scribitur a nonnullis: *partiebat idque*, quos offendere iam debebat hæc temporum inæqualitas: *partiebat idque .. monet*, sed multo magis rei narratæ pravitas; quis enim credat, senatorem Romanum prius ipsum ligamenta vulnerum et sistendi sanguinis subsidia non solum præparasse, sed etiam inter coniuratos ceteros dispertisse, quasi singuli ea secum portare deberent neque ipsi parare, si opus esset, possent, deinde medicum suum, ut idem faceret, monuisse? Apparet hanc omnem medici curam fuisse. Hoc intellecto facillime ad verum inveniendum deducimur, manifestumque fit in illo *partiebatque* duo latere verba particula *que* coniuncta, præsentis temporis et coniunctivi modi, a *monet* pendentia. Scriptum igitur fuerat: *Postremo vulneribus ligamenta, quibusque sistitur sanguis*, **paret ematque**, *eundem Milichum monet*. Alia paranda erant ipsi medico, alia apud pharmacopolas emenda. [Iam Heinsius *paret exhibeatque*.]*)

Ibid. 71: *Exuti dehinc tribunatu .... Flavius Nepos, Statius Domitius, quasi principem*

---

*) Paulo ante (c. 51) cum *suscitata* pro *sciscitata* scribendum esse annotassem (— nam illud et ea, quæ adiiciuntur de superioris temporis incuria honestatis, postulant, neque *sciscitata*, quod vocabulum studium exquirendi significat, recte de notitia casu orta dicitur —), vidi pridem id Vertranium invenisse. C. 50 nulla est dubitatio quin corruptum sit *ardente domo*; neque enim de uno illo incendii tempore agitur, sed de Neronis consuetudine sæpe occasionem cædis tentandæ præbenti; sed quid subesset, neque Haasius repperit neque ego pro certo reperio; nam longius discedit *arte dormiente domo*.

non quidem odissent, sed tamen existimarentur (cod. Med. extimarentur). Neque infinitivus ullo modo sic audiri potest (non facio, sed existimor), neque sententia recta efficitur; nam tota res totumque iudicium in existimatione, odissent illi homines imperatorem necne odissent, positum erat, quosque se odisse existimabat Nero, puniebat, non eos, quos non existimabat. Odio contrarium Tacitus posuerat levius crimen, sed tamen illis temporibus non ferendum: quasi principem non quidem odissent, sed tamen **æstimarent**. Non ferri poterat, homines hoc sibi permittere, ut de Cæsare iudicarent et, quanti habendus esset, æstimarent *(den Kaiser zu beurtheilen und würdigen)*. *)

Ibid. XVI, 16: Ira illa numinum in res Romanas fuit, quam non ut in cladibus exercituum aut captivitate urbium semel edito transire licet. Sic nunc editur, ut in codice Med. scriptum est, enarraturque de simplici indicio, repugnante vehementer loquendi usu, qui neque edere sic absolute positum neque participii præteritum recipit. Vulgo edebatur editam nihilo rectius; neque enim, etiamsi iram edere recte dici concedamus, quod concedi nequit, ut editam in comparando de singulari genere iræ dictum ferri potest. Scribendum sine dubio: ut in cladibus exercituum aut captivitate urbium semel **edita** transire licet, hoc est, ea, quæ semel et uno temporis momento eduntur et accidunt.

---

*) De c. 57 vix hic in margine suspicionem ponere audeo, scribendum esse: clariore exemplo libertina mulier... alienos ac prope ignotos **protegens** (pro protegendo). Ablativus gerundii neque per se apte adiungitur verbo expressit et magis etiam offendit post alterum illum ablativum clariore exemplo, ad quem tamen a librario accommodatus videtur.

[redacted]

Historiarum lib. II, 7 (ubi de consiliis et ratiocinationibus Vespasiani et Muciani agitur): nec referre, Vitellium an Othonem superstitem fortuna faceret. Rebus secundis etiam egregios duces insolescere; discordiam his, ignaviam, luxuriem (M: luxurie); et suismet vitiis alterum bello, alterum victoria periturum. Ut omittam pronomine his mire tamquam ab aliis Vitellium et Othonem separari neque (quod pauci sciunt) Latine ignaviam aut fortitudinem, hoc est, vitia aut virtutes esse alicui dici pro eo, quod est esse in aliquo, quis non leviter admonitus sentit inaniter prorsus dici, inter Vitellium et Othonem discordiam esse? Postremo illud suismet vitiis manifesto contrarium ponitur vitiis et interitus causis, quæ in aliis sint. Recta sententia et oratio hæc erit: **discordia militis. ignavia, luxurie** et suismet vitiis alterum bello, alterum victoria periturum. Ortum est mendum, cum prima littera vocabuli militis superiori vocabulo adhæsisset.

Ibid. 76 (in Muciani ad Vespasianum oratione): Abiit iam et transvectum est tempus, quo posses videri concupisse; confugiendum est ad imperium. Frustra hæc Ernestius expedire et Lipsii dubitationem tollere conatur; nam ex iis, quæ præcedunt (etiamsi tibi quam inhonesta, tam tuta servitus esset), apertissimum est hoc Mucianum dicere, abisse iam id tempus, quo sub specie aliqua innocentiæ et quietis latere Vespasianus potuisset, manifestoque iam affectati imperii crimine eum periturum, nisi ad imperium confugiat. Ad hanc sententiam accommodari verba posses videri concupisse nullo modo possunt, sed prorsus contrarium significant, abisse iam tempus, quo suspicio aliqua cupiditatis imperii in Vespasianum coniici posset. Id, quod requiritur, efficietur una littera mutata, ut scribatur: quo

posses videri non cupisse. Quam sæpe non et con confusa sint, omnes norunt.*)

Ibid. III, 3: ut cautos quoque ac providos permoveret, vulgus et ceteri unum virum ducemque . . . laudibus ferrent. Scire velim, quinam sint illi ceteri præter vulgus. In codice Med. est ceterū. Scribendum igitur: vulgus ceterum. Errorem obiecisse videtur pluralis verbi numerus.

Ibid. 5: Trahuntur in partes Sido atque Italicus reges Suevorum, quis vetus obsequium erga Romanos et gens fidei commissior patientior. Sic codex Med. mendose. Omitto coniecturas, quæ ne ipsis quidem auctoribus satis placuerunt. Non mutandam esse in eo, quod commissior scribitur, comparativi formam admonere debebat in altero membro positum patientior, quod ipsum ostendit in fide duo inter se conferri coniuncta et connexa. Inde hæc nascitur correctio: gens fidei, quo remissior, patientior. Suevi eo patientiores erant fidei, quo remissior nec adducta et severa erat. Omissum in altero membro eo apud Tacitum nihil opus est exemplis confirmare.

Ibid. 9: Flavianarum partium duces omissa prioris fortunæ defensione pro Vespasiano magnifice, pro causa fidenter, de exitu (M: exercitu) securi, in Vitellium ut inimici præsumpsere cet. Frustra hæc contra Freinshemium, qui violenter sane rescripsere substitui volebat, defenduntur; neque enim aut præsumo in aliquem absolute usquam dicitur

*) C. 93 non mutandum erat violenter, ut Puteolanus fecit, aviditate in aviditas, sed potius tollendum et ex extremis litteris præcedentis vocabuli ortum: Germanorum Gallorumque . . corpora fluminis aviditate æstus impatientia labefecit. Æstus impatientia aviditatem fluminis effecit et ita corpora labefecit.

ususve saltem ex aliqua parte similis exemplum reperitur, aut præsumo ut inimicus, omninoque inimicitiarum mentio inepta est, tamquam si proprias ac privatas Flaviani duces cum Vitellio inimicitias habuerint. Relicto zeugmate, quo in superioribus membris ex præsumpsere obversatur communis scribendi loquendive significatio, ex pravo illo ut inimici eruendum est, quod et superioribus illis magnifice, fidenter, securi respondeat et ipsum præsumendi verbum apte expleat; id huiusmodi, opinor, erit: in Vitellium **uti minis** præsumpsere. Recte exprimitur audacia et contemptus usque ad minas progrediens.*)

Ibid. 39: Blæso super claritatem natalium et elegantiam morum fidei obstinatio fuit. Non recte dici, Blæso fuisse obstinationem fidei (de virtute, quæ in Blæso fuerit), supra breviter significavi; neque agitur hoc loco, quid in Blæso fuerit, sed, ut e proximis apparet, quid ei exitum pararit et festinarit. Scribendum: fidei obstinatio **obfuit**. Nocuit eiusdem litteræ geminatio.

Ibid. 70: Luce prima Sabinus..... Cornelium Martialem e primipilaribus ad Vitellium misit cum mandatis et questu, quod pacta turbarentur cet. Neque Latine dicitur mittere cum questu, neque recte ita copulantur mandata et questus, quasi etiam mandata ad pacti turbationem pertineant. Excidit lineola, cum scriptum esset: cum mandatis et **questum**, quod pacta turbarentur. Sic recte duæ mittendi causæ separantur.

---

*) C. 13 valde dubito rectene dicatur proditionem in fama esse, ut significetur eius famam evulgari et manare. In mentem veniebat: it famā proditio, sed non confido coniecturæ. C. 20 recte librarius aliquis intellexerat nimis breviter dici ceteraque usui dativo ad cetera adiuncto geminatisque litteris scribendum esse: ceteraque, <quæ> usui, modo ne forent addidisset, quo nihil opus est.

Ibid. IV, 15: Statimque (Brinno dux Canninefatium) accitis Frisiis (transrhenana gens est) duarum cohortium hiberna proxima occupata Oceano irrumpit. Frustra editores aliique homines docti coniecturis etiam satis violentis sententiam tolerabilem retento occupata aut alia eius verbi efficta forma efficere conati sunt, nisi cui forte placet, quod a Weissenbornio sumptum Halmius edidit, hiberna proxima occupatum Oceano irrumpit, sive proxima Oceano coniungi voluit, prorsus mirifice interposito supino, sive Oceano irrumpit occupatum hiberna, ficto Brinnonis et transrhenanae gentis per Oceanum adventu, ut simul pro eo, quod est irrumpere hiberna, dicatur irrumpere occupatum hiberna, quamquam hiberna Latine capiuntur, non occupantur nisi a praevenientibus.*) Omnino nulla hic occupatio significatur, neque Oceanus commemoratur nisi ad locum hibernorum demonstrandum; ea ad mare erant; inde igitur Romani in superiorem insulae partem, id est, orientalem cedunt. Scribendum igitur: proxima locata Oceano irrumpit.

Ibid. 16: directa ex diverso acies haud procul a flumine Rheno et obversis in hostem navibus, quas incensis castellis illuc appulerant. Pendet et; itaque Ritterus post appulerant addidit pugnatum; Pichena scribi voluerat: acie . . . et obversis cet., haec omnia, quae ad pugnae praeparationem pertinent, minus commode coniungens cum iis, quae de ipsa

*) Ignorari hoc video a plerisque, occupare apud Latinos numquam simpliciter pro eo, quod est capere, potiri, de loco, urbe, castris dici, nisi adiuncta significatione praeveniendi aut late tenendi et alios excludendi. Qui Gallos Brenno duce Romam occupasse narraverit, prave nec Latine narraverit, nec minus, qui victorem exercitum castra hostium occupasse.

pugna et eius eventu subiiciuntur. Una littera addenda erat: directa ex diverso acies haud procul a flumine Rheno **est**, obversis cet.

Ibid. 32: missus cum mandatis Montanus ad Civilem, ut absisteret bello neve externa armis falsis velaret cet. Neque in externorum nomine sic nude posito ulla est rei malæ aut quæ velanda sit significatio, multoque minus intelligitur, cur falsa arma appellentur, quibus Civilis serio et acriter Romanos oppugnabat. Illud postulabatur, ne Civilis armis, quibus imperium Romanum hostiliter aggrederetur, falsam speciem occultæ cum Vespasiano conspirationis et pro eo pugnandi obtenderet, quod eum fecisse et ante narratum est et proximis verbis significatur. Scripserat Tacitus: neve externa **arma <arcanis>** falsis velaret. Duæ voces a litteris ar incipientes in unam coaluerunt. Arcanum et arcana quam frequenter Tacitus substantivorum loco ponat, et communia lexica ostendunt et paulo uberius Taciteum Bötticheri. Externa arma scribendum esse Lipsius viderat, addito arcanis præter sententiam rectam et membrorum æqualitas restituitur et mendi origo perspicitur.

Ibid. 42 de Regulo, qui Crassorum et Orfiti domo subversa odium contraxerat, sic scribitur in codice Med.: sponte e XS̄C̄ accusatio subisse iuvenis admodum nec depellendi periculi, sed in spem potentiæ videbatur. Senatus consulti nullam hic mentionem a Tacito factam esse omnes intellexerunt; nam neque senatus consulto accusatores maiestatis constituebantur, neque, si Regulus senatus consulto paruisset, sponte egisset, neque eius, sed senatus culpa fuisset. Sed neque qui litteras e XS̄C simpliciter tollunt, ullam verisimilitudinis speciem assequuntur, neque probabiliora sunt, quæ alii ex ipsis illis litteris exsculpserunt.*) Illud miror neminem ex

---

*) Cum hanc ipsam plagulam typothetæ traditurus eram, cognovi

iis, qui in his expediendis elaborarunt, attendisse, quam incerto et vitioso tibicine coniecturas proxima verba fulcirent. Omnes enim sine ulla dubitatione accusationem subisse scribunt, codicis unius interpolati auctoritate confisi; verum neque ullo modo veri simile est librarium codicis Medicei aut eius, quem hic exprimit, tribus litteris sine ulla erroris causa omissis nominativum ex accusativo effecisse, neque subire accusationem Latine id significat, quod intelligi volunt, sed prorsus contrarium. Nam mala periculaque et molestiæ subeuntur, de actionibus suscipiendis nusquam hoc verbum ponitur, neque magis quisquam accusationem subire de ea confidenter suscipienda dixit quam verbi causa defensionem, et quemadmodum iudicium subit (Cic. Partit. or. 100), qui reus fit, non, qui iudex, sic accusationem subit, qui accusatur, non, qui accusat. Amota igitur falsa specie orationis coniungendæ si redierimus ad totum mendum, quod continetur litteris inter sponte et subisse interpositis, considerandum, longe aliud subesse reperiemus, ad totam sententiam et ad onerandam Reguli infamiam aptissimum, emergente indicio e litteris exscu[accu]satio. Scripserat enim Tacitus, nisi fallor, ad hanc formam: sponte, excusatis <aliis>, subisse iuvenis admodum .... videbatur. Cum ceteri, quos Nero ad nobilem familiam evertendam subornare conatus erat, excusationibus usi essent, Regulus subiit, hoc est, illorum loco successit seseque obtulit. Initium mendi utrum ab aliis post -atis omisso an a minus intellecto et distracto excusandi verbo substitutoque

fuisse nuper, qui subesse putaret sponte senum consularium accusationem, litterarum ex oblitus nec declarare operæ pretium ratus, quo errandi genere quove notarum usu deceptus librarius senes consulares in senatus consultum commutare potuerit.

duarum litterarum adiectione altero *accusandi* ortum sit, non definio.

Ibid. 56: *Illuc Claudius Labeo, quem captum et extra cōm̄tū amandatum in Frisios diximus, corruptis custodibus perfugit.* Nihil ex iis, quæ pro corrupto vocabulo substituuntur, ferri potest; nam neque *conventus* quis hic significari possit, intelligitur, neque quod *confinium*, extra quod Labeo amandetur, neque quid sit *extra commeatum* amandari; nam cum commeatu aut sine commeatu abire aliquis dicitur; nisi quis forte eo amandatum Labeonem dici putat, ubi, quod commeatus nulli venirent, fame pereundum esset. Rectam et aptam sententiam efficit *extra* **commilitium.** Solum ab militum corpore et commercio separatum et amandatum Labeonem Tacitus dicit; supra c. 18 in exercitu retinere eum Civilem noluisse dixerat. Non infrequens apud huius ætatis scriptores *commilitii* nomen est et apud ipsum Tacitum legitur Ann. I, 60.

Ibid. 74 (in Cerialis apud Treviros et Lingonas contione): *Regna bellaque per Gallias semper fuere, donec in nostrum ius concederetis. Nos, quamquam toties lacessiti, iure victoriæ id solum vobis addidimus, quo pacem tueremur* cet. Dativus inepte hoc loco adiicitur, ubi de vinculis et oneribus impositis agitur; ne de beneficiis quidem usitate diceretur populo alicui aliquid addi nisi forte de finium adiectione. Scriptum fuerat: *id solum* **novi** *addidimus*, aptissime in superioris et eius, quæ nunc sit, condicionis comparatione.

Ibid. 77 (de Gallorum Germanorumque in Romanos impetu): *Pars montibus alii alii viam inter Mosellamque flumen tam improvisi assiluere, ut* cet. Recte iam pridem sublatum erat alterum *alii*, additum ab aliquo, cui notabile visum erat *pars* — *alii*. Sed superest scrupulus; quæ est enim illa *via*, et cur inter viam et Mosellam ac non ipsa via Germani assiluerunt?

Nam viam ipso montium vocabulo significari prorsus inepte fingeretur, quoniam incursus per montes contrarius est viæ planis locis munitæ. Admodum suspicor a Tacito scriptum fuisse: alii via inter <montes> Mosellamque flumen cet., erroremque obiecisse syllabam mo initio utriusque nominis positam.

Ibid. V, 4 (ubi agitur de causis, cur septimo quoque die Iudæi otium agant): seu quod de septem sideribus, quis mortales reguntur, altissimo orbe et præcipua potentia stella Saturni feratur, ac pleraque cælestium vim suam et cursus septimos per numeros commearent. Sic codex Med. Omitto substitutum in multis editionibus ex deterioribus codicibus infinitivum commeare, sublata orationis cohærentia, accusativosque vim et cursus in ablativos mutatos cum inanissima abundantia (vi et cursu commeare pro eo, quod est simplex commeare). Recte Lipsius et alii transitivum verbum requiri intellexerant; sed quod plerique conficiant scribi voluerunt, et longius discedit a commearent et minus sententiæ aptum est; neque enim sidera omnia cursus conficere per septimos numeros veteres putabant (hoc est, per septem annos mensesve aut dies, etsi dicendum erat per septenos numeros), sed, cum alia alios cursus haberent, septimo quoque anno aut eo numero multiplicato ad similem quendam statum et cursuum concentum redire. Huius rei significatio efficitur lenissima mutatione: vim suam et cursus (sive ex deterioribus libris cursum scribere malumus) septimos per numeros comparent.

Ibid. 22: utque ad fallendum silentio, ita cœpta cæde, quo plus terroris adderent, cuncta clamoribus miscebant. Durissimo vel potius incredibili zeugmate silentio coniungitur cum illo cuncta clamoribus miscebant, quoniam nulla est intermedia

[redacted]

aut communis notio, qua hæc prorsus contraria contineantur, additis præsertim ad comparationem notandam particulis ut — ita. Omnia rectissima erunt, si scripseris: utque ad fallendum silentio <ierant>, ita cœpta cæde cet. Contraria contrariis redduntur, silentium clamoribus, iter cœptæ cædi. Aberrari facile poterat præcedentibus litteris io, sequentibus ita.

Agricolæ unum locum attingam, c. 30, ubi in hac scriptura: Nos terrarum ac libertatis extremos recessus ipse ac sinus famæ in hunc diem defendit; nunc terminus Britanniæ patet numquam aut ipse excogitare potui, quis esset sinus famæ, et quomodo hic sinus defendere Britannos potuisset, aut ab aliis ita expositum vidi, ut intelligerem; rei alicuius magnæ ac terribilis fama defendi aliquem posse video et intelligo. Itaque prorsus scribendum arbitror: recessus ipse ac sinūs fama in hunc diem defendit. Famam dicit immensi terrarum sinus sine fine procurrentis. [Sic Boxhornius.] *)

Suetonius.

Aug. 10: Sed adversante conatibus suis M. Antonio consule . . . ac ne publicum quidem et translativum ius ulla in re sibi sine pactione gravissimæ mercedis impertiente, ad optimates

*) C. 38 mallem pro redierat scribendum dixissem rediret, non reditura erat, omisissemque, quæ inconsiderate addidi de Britannia circumnavigata, de qua perspicue Tacitus scripsit c. 10. Illud sic doleo, quemadmodum in his minutiis dolere aliquid par est, quam in Agricola omnium certissimam et ad Taciti narrationem expediendam maxime notabilem feci emendationem, restituto in c. 24 Sabrinam pro nave prima, eam ab Halmio, quod extra ordinem posita esset (Adv. Crit. I p. 147 sq.), omnino non esse animadversam.

se contulit cet. Sic codices, non, quod substituitur in plerisque editionibus, translaticium. Prava adiectivi terminatio de sententiæ quoque vitio admonet; neque enim ius tralaticium ulla mercede empturus erat Octavianus; publicum quidem ius alia certa significatione dicitur. Scribendum est: ne publicum quidem et translaticium munus. Sic recte huius ætatis usu publicum pro communi ac vulgari dicitur.

Tib. 17: Sed de cognomine (Tiberio decernendo) intercessit Augustus, eo contentum repromittens, quod se defuncto suscepturus esset. Neque repromittere pro promittere simpliciter umquam dicitur, quamvis id Wolfius et alii affirment, neque infinitivus abesse posse videtur (promitto Tiberium contentum); nam paulo aliter dicitur (Aug. 10): Antonium adiutorem speraverat. In litteris re latet vestigium eius, quod Suetonius scripserat: eo contentum fore promittens. Etiam Oth. 4 suspicor olim scriptum fuisse: imperatorem quoque brevi fore promittens.

Ibid. 28: Exstat et sermo eius (Tiberii) in senatu percivilis: Si quidem locutus aliter fuerit, dabo operam, ut rationem factorum meorum dictorumque reddam; si perseveraverit, in vicem eum odero. Neque si quidem pro si positum hic ullam habet excusationem, præsertim sequente altero si, neque subiectum abesse ullo modo potest neque significatio, de quo homine vel re aliquis non honorifice loquatur. Separandæ rectius litteræ et una addenda, ut fiat: Si qui (quis) de me locutus aliter fuerit cet. Ceterum inusitatissime dicitur locutus aliter pro eo, quod est secus, hoc est, in deteriorem partem, nec iniuria dubitari potest, utrum sic Suetonius scripserit, an superscriptum interpretandi causa alteri adverbio minus usitato hoc, quod nunc legitur, in contextam orationem venerit,

quamquam nullum memini esse exemplum in Suetonii codicibus huiusmodi permutationis.

Vitell. 17: *Ab his extractus e latebra, sciscitantes, quis esset (nam ignorabatur) et ubi esse Vitellium sciret, mendacio elusit.* Perquam ridicule interroget quispiam: *Ubi scis Vitellium esse?* pro eo, quod est aut: *Ubi est Vitellius?* aut: *Scisne, ubi Vitellius sit?* Scripserat Suetonius: *sciscitantes, quis esset (nam ignorabatur) et, ubi* **esset Vitellius, num** *sciret, mendacio elusit.* Particula *num* ut cum Vitellii nomine coalesceret, nasceretur que deinde necessario *esse*, effecit sententiarum ordo non intellectus (*num sciret, ubi esset Vitellius*). (In eandem coniecturam inciderat Th. Iensenius, auditor meus, quem mors præmatura rapuit.)

Iuvenalis.

E poetis Latinis neminem his postremis annis intentiore studio tractavi. Itaque unam hic ponam de Iuvenalis loco coniecturam olim errore a me omissam. Nam I, 144 sic editur: *Hinc* (ex luxuriosis cenis et gulæ intemperia) *subitæ mortes atque intestata senectus* cet. Subitas mortes effici cenandi luxuria nihil mirum est, sed quid ea ad testamenta impedienda pertineat, non intelligo, neque magis, cur senum maxime testamenta in hac re appellentur. Quid potest, si sententia verborum explanetur, stultius aut perversius dici quam propter cenandi intemperantiam senes testamenta non facere? Una littera mutata efficitur recta et apta sententia: *atque* **infestata** *senectus*. Senectus subitis his et præmaturis mortibus infestatur, paucique aut nulli eam consequuntur. Eodem pertinent sine ulla testamentorum significatione, quæ subiiciuntur (*it nova nec tristis per cunctas fabula cenas* cet., ubi superstitiose restitutum est *et*, quasi hæc coeant,

non dico apte, sed tolerabiliter: Hinc subitæ mortes . . . et nova n. t. p. c. fabula c.).

Cap. VI.

Florus. Macrobius. Ammianus Marcellinus. Varia.

Florus.

Lib. I, 5 (11): Idem tunc Fæsulæ quod Carrhæ nuper cet. Prave inter nomina locorum Latinorum et suburbanorum interponuntur Fæsulæ satis longinquæ; scriptum fuerat **Æfulæ**.

Ibid. 11 (16): Itaque et consules (qui fœdus Caudinum fecerant) statim magnifice voluntaria deditione turpitudinem fœderis dirimunt, et cet. Scribendum **redimunt**; turpitudo non dirimitur, sed redimitur.

Ibid. 31 (II, 15) (de obsidione Carthaginis): Operti portus, nudatus est primus et sequens, iam et tertius murus, cum tamen Byrsa . . . resistebat. Scribendum: **Aperti** portus; claustra perfracta dicuntur.

Macrobius.

Saturn. I, 11, 7: Vis tu cogitare eos, quos ius tuum vocas, iisdem seminibus ortos eodem frui cælo cet.? De servis agitur. Eos nemo ius domini vocavit. Scribendum: quos ius **tuos vocat**.

Ibid. § 21 (de servo, qui Cæpionis Augustum occidere conati fugam adiuvit): pervectumque Ostiam inde in agrum Laurentem ad patris villam nocturno itinere perduxit. Cumis deinde navigationis naufragio una expulsum dominum Neapoli dissimulanter occuluit cet. Cumarum nomini nullus hic

ıcus est, sed substantivo genetivum regenti; scribendum: ımes deinde navigationis naufragio una exulsum cet.

Ibid. 16, 20: Sciendum est tamen eligendi d pugnandum diem Romanis tunc fuisse licenıam, si ipsi inferrent bellum; at cum exciērent, nullum obstitisse diem cet. Non agitur e licentia (quæ recte potestas diceretur), sed de religione t observatione. Scribendum: tunc fuisse diligentiam. æpius hæc verba commutari in codicibus annotavi iam nte plus quinquaginta annos in appendice critica commenıtionis Asconianæ p. 29.

Ibid. II, 2, 2: Ostendebat Antiochus in campo opias ingentes, quas bellum populo Romano acturus comparaverat, convertebatque exeritum insignibus argenteis et aureis florentem. Ieque convertere est decurrere iubere, neque ad hanc em pertinet auri argentique fulgor. Scribendum contueıaturque. Sequitur paulo post: contemplatione tanti t tam ornati exercitus. Eadem correctio facienda ıpud Gellium V, 5, unde Macrobius hæc sumpsit.*)

Ammianus Marcellinus.**)

Lib. XIV, 6, 17: Utque prœliorum periti recores primo catervas densas opponunt et fortes,

---

*) Lib. VI, 4, 2 in Lucilii versibus Eyssenhardtius ex P scribere debebat, quod coniectura annotaveram: non male sit; ille, ut dico, me exenterat unus; nam exenterat recte emendavit.

**) Ad Ammiani Marcellini libros, in quibus emendandis laudabilis præter ceteros fuerat Accursii, Gelenii, Valesii opera, etsi priores illi duo interdum, ut lectionem adiuvarent, non-

deinde leves armaturas, post iaculatores ultimasque subsidiales acies, si fors adegerit, iuvaturas, ita præpositis urbanæ familiæ suspensæ digerentibus sollicite, quos insignes faciunt virgæ dexteris aptatæ, velut tessera data castrensi iuxta vehiculi frontem omne textrinum incedit cet. Cum exercitu instructo comparatur servitium urbanum generatim dispositum et incedens. Suspensa familia cur appelletur, non intelligitur. Manifestum est desiderari significationem, quid digerant præpositi. Scribendum: ita præpositis urbanæ familiæ sua pensa digerentibus sollicite.

Ibid. 7, 5: Gallus ...... consularem Syriæ Theophilum prope astantem ultima metuenti multitudini dedit (codex Vaticanus dediti) assidue replicando, quod invito rectore nullus egere poterit victu. Scribendum videtur dedidit (ut supplicium de eo sumeret multitudo, ut ostendunt, quæ sequuntur).

Ibid. 10, 12 (in oratione Constantii imperatoris): Pro suo enim loco et animo quisque vestrum reputans id inveniet verum, quod miles ubique ... se solum vitamque propriam circumspicit et defendit, imperator vero officiorum dum equis omnibus alienæ custos salutis nihil non ad sui spectare tutelam ratio ..... (lacuna 25 litterarum) et remedia cuncta, quæ status negotiorum ad-

---

nulla interpolarunt magis quam emendarunt, nostra ætate codicum manu scriptorum subsidia egregia parata sunt, Vaticani maxime et Petrini; subsidiorum præstantiam parum æquarunt editorum ingenium et iudicium orationisque turgidæ et mire, sed cum aliqua artificii constantia contortæ intelligentia, quibus opus erat ad eruenda ea, quæ laterent sub litterarum vestigiis satis tenacibus, nisi ubi errori adiuncta est omissio.

mittit, arripere debet alacriter secunda numinis voluntate delata. Sic codices (Vaticanus et Petrinus). In corruptis litteris dum equis, e quibus nihil, quod probari posset, editores effecerunt, latet substantivum cum officiorum et omnibus coniunctum. Scriptum fuerat: officiorum **dumetis** omnibus. Officiorum et curarum multiplices et perplexos cursus cum dumetis Ammianus comparat prorsus e sua consuetudine dura et artificiosa imagine utens. Deinde, ubi post litteras ratio lacuna est, subest infinitivus **ratiocinari** (nihil non ad sui spectare tutelam ratiocinari — et remedia cuncta . . . arripere debet); quid præterea ad explendum litterarum spatium suppleri debeat, incertum est. Sequuntur paucis interiectis § 13 in codicibus hæc: Veritatis enim absolimo semper at per est simplex, quæ et olim minus bene tentata et nuper infeliciter licenterque sunt. E vestigiis litterarum efficitur: Veritatis enim **absolutio** semper **aperta** est <**et**> simplex.

Lib. XV, 5, 5 in loco misere corrupto et lacunoso hoc tantum perspicio, ex his litteris: imperatori avido scrutari hæc et similia censuit efficiendum esse: imperatori **avide** scrutari hæc et similia **consuetum**; nam avidus scrutari ne Ammianus quidem dixit. Cetera non attingo.

Ibid. § 12: Hisque cognitis statuit imperator dispicientibus consistorianis et militaribus universis in negotium præterinquiri. Cumque iudices fastidissent, Florentius Nigriniani filius . . . . animadvertit cet. Quod hoc sit fastidium iudicum, nemo intellexerit. Narrationis tenor monstrat scribendum esse: Cumque iudices **assedissent** (ad negotium inquirendum).

Ibid. 8, 12 (in oratione Constantii ad Iulianum): Aucta gloria mea confiteor, qui iustus in de-

ferenda superiori potestate nobilitati mihi propinquæ quam ipsa potestate videor esse sublimis. Sententia, quæ nulla est, efficitur recta et apta leni admodum correctione: **Auctam gloriam meam** confiteor, **quia iustius** in deferenda superiori potestate nobilitati mihi propinquæ quam ipsa potestate videor esse sublimis.

Ibid. 10, 11 (in loco de Hannibalis per Alpes transitu): excisaque rupe in immensum elata, quam cremando vi magna flammarum acetoque infuso insoli dissolvit, per Druentiam flumen cet. In hac codicum optimorum scriptura tantum rectius dirimendæ litteræ sunt, ut scribatur: acetoque infuso **insolidis** solvit. Acetum materiæ iam flammarum vi insolidæ infusum esse dicitur.

Lib. XVI, 1, 1 (de Iuliano): colligere provinciæ fragmenta iam parans, si affuisset flatu tandem secundo. Excidit in his postremis fortuna aut simile nomen. [Sic iam Wagnerus.]*)

Ibid. 12, 6: quod trudente ipsa necessitate digresso periculis cum paucis, licet fortibus, populosis gentibus occurrere cogebatur. Scribendum: digresso <socio> periculi. Significatur, quod supra narratum erat de scutarii ad hostes transitu. Error ortus est ex syllaba so semel scripta, cum bis scribi deberet.

Ibid. § 69: laureatas litteras ad provinciarum damna mittebat, se inter primores versatum cum odiosa sui iactatione significans. Ridicule litteræ missæ dicuntur ad damna provinciarum; longe enim aliud est missas esse cum damno provinciarum, si quis forte cogitat de pecuniis extremo imperii

*) Ibid. 8, 13 post lacunam scribendum: <**ad q**>**uorum** æmulationem posteritas tendens cet.

[redacted]

tempore a provinciarum incolis exactis, cum per eas victoriarum nuntii discurrerent. Aperte provinciarum rectores significantur, quos Ammianus suo more vocabulo, ut nunc loquimur, abstractæ notionis et neutri generis appellavit, sive **dominia** scripsit sive **culmina**.

Lib. XVII, 4, 15 (in descriptione obelisci Romæ in Circo maximo erecti): Sola post hæc restabat erectio, quæ vix aut ne vix quidem sperabatur posse compleri; idestisque periculum altis trabibus, ut machinarum cerneres nemus, innectuntur vasti funes et longi cet. Ex corrupta hac codicum V et P scriptura Hauptius effecit digestisque ad perpendiculum altis trabibus; sed quoniam neque præpositionis ad ullum in codicibus est vestigium neque opus erat prorsus ad perpendiculum trabes erigi, potius scribendum est: digestisque **per circulum** altis trabibus. Trabes in orbem circa obeliscum statuebantur. Paulo post ex litteris codicum paulatimque id per arduum inane protentus facilius et rectius, quam quod nuper scriptum est, efficitur: paulatimque **in perarduum** inane protentus.

Ibid. 5, 6: Ideoque Armeniam recuperare cum Mesopotamia debeo, avo meo composita fraude præreptam. Illud apud nos numquam in acceptum fretus, quod asseritis vos exsultantes, nullo discrimine virtutis ac doli prosperos omnes laudari debere bellorum eventus. Sic codices. Minus feliciter hoc loco Hauptio res cessit, qui et fretus violenter in feretur mutavit et locutioni in acceptum ferre, quæ ipsa inusitata est pro eo, quod dicitur acceptum ferre, significationem inauditam affinxit. Oratio et sententia rectissima efficitur restituto unius litteræ mutatione infinitivo passivo futuri temporis, qui sæpe a librariis depravatus est: Ideoque Armeniam recuperare . . debeo, avo meo composita fraude

præreptam, illud apud nos numquam iri acceptum fretus, quod asseritis . ., nullo discrimine cet. (Iri acceptum pro eo, quod est acceptum iri. Ammianum dixisse puto; in activa forma ire ultum iam veteres dixerunt.)

Lib. XVIII, 1, 3: unum tamen sufficiet poni, ad cuius similitudinem acta vel dicta sunt. Manifesto deest sententiæ relativæ subiectum, quod facillime eruetur ex simillima voce: ad cuius similitudinem <alia> acta vel dicta sunt. [Sic iam Wakefieldus.]

Ibid. 4, 3: mercari complures nitebantur Eusebii favorem, cubiculi tunc præpositi, apud quem, si vere dici debeat, multa Constantius potuit, ante dicti magistri equitum salutem acriter impugnantis cet. Ridicule imperator multa potuisse (Latinum autem communi usu, a quo in huiusmodi rebus non deflectit Ammianus, est multum posse) dicitur apud præpositum cubiculi; ironia quidem fingi hoc loco nulla potest; deinde, ut omittam debeat pro debet prorsus prave positum, nihil est, cur in hac una re veritatis excusatio adhibeatur. Sed rem conficit codicum bonorum (V P) auctoritas, in quibus sic scribitur: sibi redici debeat cet. Manifesto ab Ammiano notatur Eusebii ingenium accommodatum ad acuendam ipsius Constantii malam naturam. Scriptum fuerat ad hanc formam: apud quem, si vis refici debebat, mutuari Constantius potuit. Et mutuari quidem prorsus certum puto; in ceteris nihil præsto præter universam sententiam.

Ibid. 5, 7: Educatus enim in medio ut rerum omnium gnarus auditorum nanctus vigiles sensus et aurium delenimenta captantes nec laudantium, sed secundum Homericos Phæacas cum silentio admirantium cet. Constructio nulla est; ea efficitur, qualis Ammianum decet, una vocali addita: auditorium. Nanctus est auditorium hominum admirantium

sensus vigiles et aurium delenimenta captantes, hoc est, sententias animatas et aptas ad aures deleniendas.

Ibid. 6, 18: Amandatis procul Graiorum legatis, forsitan et necandis rex longævus non contentus Hellesponto .... Asiam cum numerosis populis pervasurus adveniet cet. Sine dubio scriptum fuerat: Amandatis ...., forsitan et **necatis**.

Ibid. § 22: Quem iuxta lævus incedebat Grumbates Chionitarum rex nobis quidem ætate media rugosisque membris, sed mente quadam grandifica multisque victoriarum insignibus nobilis cet. Sic codices fide digni a prima manu; nam corrigendo quidem post ætate transpositum est. Apparet ab eo nomine, quod sub litteris nobis latet, incipere prius orationis membrum, quod contrarium ponatur ei, quod sequitur, sed mente quadam grandifica cet., id autem nomen adiectivum esse debere cum rugosis coniunctum, quoniam neque substantivum nudum alteri huic parti rugosisque membris satis responderet neque ei ablativus ætate media recte applicaretur. Suspicor Ammianum scripsisse: **robis** quidem ætate media rugosisque membris rarioreque vocabulo, de quo comparari velim, quæ Cramerus exposuit ad schol. Iuven. VIII, 155, significasse colorem a molli nitore primæ ætatis in duriorem et subfuscum annorum et laborum progressu traductum et cum asperitate cutis coniunctum.

Ibid. 8, 13: Nam et casu illis ipsis diebus in suburbanis peregrina commercia circumacto anno solita celebrari multitudo convenarum augebat agrestium. Iniuria post Gelenium celebrare scribitur, verbis prave interpunctis. Nihil augebatur, sed multitudo convenarum **agebat** peregrina commercia circumacto anno solita celebrari.

Lib. XIX, 2, 9: Namque .. propugnatores ... in maximo defendendi ardore saucii perniciose

cadebant aut laniati volvendo stantes proxime subvertebant aut certe spicula membris infixa viventes adhuc vellendi peritos quæritabant. Viventes (hoc est, vivi) omnes profecto erant, qui commemorantur saucii, neque verendum erat, ne quis putaret mortuos quæsisse, qui sibi subvenirent. Ne accusativus quidem (spicula membris infixa) recte cum verbis vellendi peritos coniungitur. Scribendum: aut certe spicula membris infixa **vehentes** adhuc vellendi peritos quæritabant.

Ibid. 4, 8: paucis intemperanti æstu consumptis, quos multitudo angebat, tandem cet. Prorsus cogitari nequit, quomodo multitudo angere potuerit homines æstu consumptos. Multitudo, hoc est, vulgus militum **augebat** æstu consumptos, ut, qui re pauci essent, fama multiplicarentur.

Ibid. 10, 4: Moxque divini arbitrio numinis, quod auxit ab incunabulis Romam perpetuamque fore respondit, dum Tertullus apud Ostia in æde sacrificat Castorum, tranquillitas mare mollivit cet. Non respondet hoc numen, sed **spondet** promittitque. Errore geminata est syllaba re verbumque accommodatum superiori auxit; præsens tempus apte significat eundem etiam nunc deorum favorem esse.

Lib. XX, 5, 6: Post quæ opinor tanta et talia nec posteritatem tacituram de vestris in rem publicam meritis que gentibus cunctis plene, quem altiore fastigio maiestatis ornastis, virtute gravitateque, si quid adversum ingruerit, defendatis. Sic codices fide digni. Gelenii interpolatio ne speciem quidem veritatis habet. Loci lacuna aliquot verborum fracti hæc fuerat olim forma: — de vestris in rem publicam meritis, **quæ** gentibus cunctis **splen<dent**; nec dubito, quin,> quem... ornastis,

[redacted]

. . . defendatis. De verbis post splendent suppletis nihil me affirmare, nihil opus est dici.

Ibid. 6, 2: cuius (Singaræ urbis) propugnatores viso hoste longissime, clausis ocius portis, ingentibus animis per turres discurrebant et minas, saxa tormentaque bellica congerentes cet. Non per turres et minas, quæ ultra modum ridicule coniunguntur, sed ingentibus animis per turres discurrebant et minis.

Ibid. 11, 28 (in descriptione iridis): quarta (pars) ideo purpurat, quod intermicante asperginum densitate per quas oritur radiorum splendor conspiciens offendit aspectum flammeo propiorem cet. Sic codices. Pro oritur infeliciter Gronovius moritur scripsit, quem editores secuti sunt. Neque enim moritur splendor, sed mixtus asperginibus in purpureum colorem transit; conspiciens obiecto caret; offendit perversum est, quoniam aspectus flammeo propior non ante adest et offenditur, sed nunc demum nascitur. Omnia recta fiunt non difficili nec audaci correctione: intermicante asperginum densitate, per quas oritur, radiorum **splendorem concipiens, ostendit** aspectum flammeo propiorem.

Lib. XXI, 1, 6: Accidat autem incendebatque eius cupiditatem, pacatis iam Galliis incessere ultro Constantium, coniiciens eum per vaticinandi præsagia multa, quæ callebat, et somnia e vita protinus excessurum. E mendoso accidat, pro quo editores substituunt accidebat aut accedebat, efficitur potius **acuebat**. [Sic iam Wagnerus.] Sed utrique verbo manifesto deest subiectum. Neque enim Iulianus ipse dici potest incendisse eius cupiditatem; ne suam quidem cupiditatem homo ipse incendere apte dicitur. Eiusmodi autem subiectum esse debet, cui recte accommodetur participium coniiciens; opinor fuisse: Acuebat autem incende-

batque spes cupiditatem cet. Paulo post (§ 7) necessario scribendum: advertendum est breviter, unde sapienti viro hoc quoque accidere potuerit (pro poterit) doctrinæ genus haud leve. Nusquam Ammianus in tali sententia indicativum posuit; si generalem sententiam esse voluisset, scripsisset possit. Tum § 8, ubi in codicibus et editionibus scribitur: Elementorum omnium spiritus .... ex his, quæ per disciplinas varias affectamus, participat nobiscum munera divinandi, sine dubio scribendum est: ex signis, quæ cet. Postremò § 12 verba sic scribenda et interpungenda sunt: Somniorum autem rata fides et indubitabilis foret, ni ratiocinantes coniectura fallerentur interdum, quæ, ut Aristoteles affirmat, tum fixa sunt et stabilia cet. Quod in codicibus que pro quæ scriptum est, in editionibus sententia sic depravatur: — fallerentur interdumque cet.

Ibid. 6, 1: Replicare nunc convenit tempore et narrare summatim, quæ, dum aguntur in Galliis ante dicta, Constantius ... perfecit. Neque tempore replicare quidquam significat neque, quod nuper substitutum est, tempori. Scribendum: Replicare nunc convenit tempora cet., hoc est, revolvere et ad superiora redire.

Ibid. 16, 6: impendio castus (Constantius fuit), ut nec mare ministro saltem suspicione tenus posset redargui cet. Pro mare nuper Hauptius amaro substituit, in quo miror viri egregii iudicium; nam neque, amarus minister quid sit, intelligo, neque aut dativus aut ablativus apte orationi accommodari potest. Scribendum sine dubio: ut nec rumore ministro cet. Ne rumore quidem adhibito et crimina subministrante suspicione tenus redargui Constantius poterat.

Ibid. § 19: Figura tali situque membrorum (Constantius fuit): subniger, luce oculorum edita

cernensque acutum, molli capillo, rasis assidue gensibus lucentibus ad decorem, usque ad pubem ab ipsis colli confiniis longior cet. Sic codices fide digni VP. Quod ex deterioribus editur: rasis assidue genis lucentibus ad decorem, rectum est genis, sed occultatur vestigium manifestum substantivi post id vocabulum latentis et prima parte truncati; nec genæ assidue rasæ ad decorem lucere apte dicuntur. Emendatio et facilis est et certa: rasis assidue genis, **dentibus** lucentibus ad decorem cet.

Lib. XXII, 7, 2: Dein (Iulianus) Mamertino ludos edente circenses, manu mittendis ex more inductis . . . ipse lege agi dixerat cet. Qui præsidet, lege agi iubet, non dicit. In codicibus scribitur lege agi ductus dixerat. Videtur subesse: lege agi **iusserat et ius** dixerat. Saltem ius dixerat certum videtur, etiam ob ea, quæ subiiciuntur de iuris dictione ad alterum pertinenti.

Ibid. § 3: præclarique illius dicti immemor Tulliani, quo tales notando ita relatum: cet. Scribendum: **quod** tales notando ita relatum (st?).

Ibid. 8, 13 (de Io): mutata, ut poetæ loquuntur, in bovem ad mare Ionium permeavit. Codices antiqui: loquuntur in usquem ad mare. Videtur fuisse: mutata, ut poetæ loquuntur, in **vaccam usque** ad mare Ionium permeavit.

Ibid. 10, 5: Inducta in iudicium femina quædam cum palatinum adversarium suum e numero proiectorum cinctum præter spem conspexisset cet. Scribendum: e numero **protectorum**. Notissimum hoc est genus militiæ palatinæ. [Sic editiones ante Valesium.]

Ibid. 14, 5: clementia principis, qui ut prudens definiuit inimicorum minuere numerum augereque amicorum sponte sua contendit ac

libens. Scribendum: qui, ut **prudentes definiunt**, inimicorum minuere numerum augereque amicorum sponte sua contendit ac libens. Sequi se prudentium ac sapientium præceptum imperator significat.*)

Ibid. § 7: qui (Apis) cum post vivendi spatium præstitutum sacro fonte immersus e vita abierit (nec enim ..... auctoritas mysticorum) necatur horago arei bos femina inventa cum notis certis offertur cet. In hac codicum scriptura ad sarciendam orationis cohærentiam editores post Salmasium post verba bos femina inserunt quæ ei; hac retenta interpolatione Hauptius ex litteris horago arei exsculpsit choragio pari, cui coniecturæ obstat, quod nullum omnino choragium in ipso Api necando significatum est. Probabiliore harum litterarum correctione simul orationis structura sine additamento illo (quæ ei) expeditur: necatur **propago**; **par <enim>** ei bos femina inventa cum notis certis offertur. Propter ei pronomen intercidit simillime scripta per compendium particula enim (enī). Par eo significatu dicitur, quo apud Ovidium Fast. III, 526 cum pare quisque sua et apud Plinium H. N. VIII, 86 et Hyginum Fab. 136. Ex hac pari Apis propaginem habebat.

Ibid. 15, 3: Pauca itaque super benevolo omnium flumine Nilo ... præstringi conveniet cet. Sine ulla minima probabilitate tolli iubentur verba benevolo omnium flumine; aptissime enim a laude et beneficio fluminis initium eius commemorandi capitur. At dicendum videtur fuisse necessario benevolentissimo omnium. Eandem tamen sententiam etiam cum exaggeratione Ammiano digna consequemur addita vocula, quæ

---

*) In proximis (§ 6) scribi debet: Apim bovem operosa quæsitum industria **tandem** (codd. et edd. tamen) post tempus inveniri potuisse.

propter simillimam præcedentis vocabuli terminationem excidit: super benevolo <solo> omnium flumine Nilo. Non solum benevolentissimum, sed solum omnium benevolum flumen Nilum appellat; nullius enim alterius fluminis simile soli inundatione fecundandi beneficium celebrabatur.

Ibid. § 18: alii (crocodili) dirumpuntur suffossis alvis mollibus sertis (sic V a prima manu; V^2 P certis) ferarum dorsualibus cristis (sic Salmasius; V^1 crussis; V^2 P crustis), quas delphinis similes nutrit fluvius ante dictus. Veri aliquid suboluit Gardthausenio, qui scripsit serratis ferarum; sed præterquam quod serratis illo loco poni non poterat, quod caput est, feræ nullo modo appellari poterant pisces illi non magni delphinis similes. Latet ipsum nomen piscium aut usitatum aut ab Ammiano ex re fictum: **serriferarum.** Sic appellavit, quas Græci *πρίστεις* appellant.

Ibid. § 24: Has monstruosas antehac raritate in beluis in ædilitate Scauri vidit Romanus populus cet. Sic (non raritates) codices antiqui. Monstruosas raritates beluarum Ammianus dicere potuit, raritates in beluis non dixit. Videntur ante beluis litteræ aliquot excidisse, cum sic scriptum fuisset: Has monstruosas, antehac raritate **invisitatas beluas** cet.

Ibid. § 30: et excisis parietibus volucrum ferarumque genera multa sculpserunt et animalium species innumeras multas, quas hierographicas litteras appellarunt. Loci misere nuper corrigendi specie depravati emendatio, quod ad præcipuam partem pertinet, facilis et certa est; nam pro et animalium species scribendum est: et **inanimalium** species. Recte et necessario hoc contrarium ponitur volucrum et ferarum generibus; nam ex utroque imaginum genere, animantium et rerum inanimarum, mixtam esse scripturam hieroglyphicam omnes norunt. Incertior est litterarum

multas correctio. Si tamen attenderis præcedere litteras as, admodum veri simile videbitur scriptum fuisse **assimilatas** (assimulatas).

Ibid. § 32: Quæ quoniam miracula multa sunt opusculi nostri propositum excedentia, ad ingenia celsa paramus, pauca super provinciis narraturi. Parare aliquid ad ingenia celsa ne Ammianus quidem dicere potuit, ut intelligeretur iis aliquid relinqui tractandum; scribere potuit: ad ingenia celsa **separamus.**

Ibid. 16, 8: Inibi auræ salubriter spirantes sæpe tranquillus et clemens cet. Ex sæpe faciendum videtur **aer ipse.**

Ibid. § 17: recalet apud quosdam adhuc licet raros (sic Val.; codd. atros) consideratio mundani motus et siderum, doctique sunt aut numeros pauci super his scientiam callent, quæ fatorum vias ostendit. Ex hac codicum scriptura efficitur: doctique sunt **alii** numeros; pauci super his scientiam callent, quæ fatorum vias ostendit. Tria genera hominum distinguuntur.*)

Lib. XXIII, 1, 7: cum irruentibus armis externis lex una sit et perpetua, salutem omni ratione defendere, nihil remittente vi moris. In Lindenbrogii extremarum vocum correctione, quam editores sequuntur, non intelligo, quo sensu mortis vis nihil remittere dicatur. Scribendum: nihil **remittentem vigoris,** hoc est, omni vigore utentem.

---

*) Inter incredibilia, quæ in re critica accidunt, non extremo loco ponendum est, quod paulo post (§ 22) Gardthausenius Gutschmidii coniecturam secutus Iesu nomen inter Græcos philosophos interposuit, expulso Platonis nomine, quod rectissime Valesius effecerat ex negatione (non) totam sententiam perimente.

[redacted]

Ibid. 5, 3 (in descriptione subitæ Persarum incursionis, cum Antiochiæ in theatro plebs sederet): retortis plebs universa cervicibus exacervantia in se tela declinans spargitur passim. Neque exacervare alibi dicitur neque intransitive dici potest. Scribendum **exuberantia**.

Ibid. 6, 6: eo usque propagatis honoribus (Arsacis), ut ad nostri memoriam non nisi Arsacides is situs quam in suscipiendo regno cunctis anteponatur cet. Sententia eadem dupliciter enuntiari poterat, aut sic, ut, si Arsacides aliquis adesset, is semper rex electus diceretur, aut sic, ut tum demum, si nemo Arsacides reperiretur, alii aditus ad regnum capessendum datus esse. Priorem formam Ammianum secutum esse manifestissimum est ex verbis cunctis anteponatur. Itaque ex codicum scriptura necessario efficitur: ut . . ., si Arsacides **sit usquam**, in suscipiendo regno cunctis anteponatur. Sed quid fiet litteris non ni, quæ ante si scriptæ sunt? Nimirum iis utemur ad emendationem absolvendam et confirmandam. Perspicuum est enim, non posse Latine dici ad nostri memoriam pro eo, quod est ad nostram memoriam, nec tamen ullo modo ex nostram hic oriri potuisse nostri. Itaque in litteris non ni latet genetivus substantivi cum nostri copulati, scribendumque est: ut ad nostri memoriam **ævi**, si Arsacides cet.

Ibid. § 17 (ubi agitur de aere insalubri et letali ex hiatibus terræ exhalato): Quæ lues oriens a profundo quodam puteo, cum os eius excesserit latum, antequam sublimius vagaretur, terras circumsitas inhabitabiles acerbitate fecisset. Omitto suspicionem, quæ nascitur ex adiectivo latum neque suo loco posito neque ad rem pertinenti, quoniam nihil refert, quam latum sit os putei; id dico, ne umbram quidem orationis recte cohærentis esse in hoc concursu sententiæ

temporalis (cum — excesserit) et hypotheticæ (fecisset) neque, ut nunc locus scribitur, ullam minimam esse significationem condicionis eius, ad quam hæc sententia hypothetica accommodetur. Sententiæ et orationis cohærentia restituetur non ita magna mutatione: Quæ lues oriens e profundo quodam puteo, cum os eius excessit, si in latum ante, quam sublimius, vagaretur, terras circumsitas inhabitabiles acerbitate fecisset. Si aer insaluber ex ore putei editus prius in latum *(seitwärts)* per superficiem terræ vagaretur, quam sublimius extolleretur, inhabitabiles terras fecisset; nunc, quoniam statim sublimis in superiores aeris regiones extollitur neque in latum diffunditur, non nocet terris nisi in proximo margine putei. Paulo durior orationis forma nec tamen ab Ammiano abhorrens in his: si in latum ante, quam sublimius, vagaretur, uno verbo ad utrumque membrum accommodato, vitaretur, si sic scriberetur: cum os eius excessit, si <iret> in latum, antequam sublimius vagaretur cet.; sed audacior hæc est correctio longius a vestigiis codicum discedens.

Ibid. § 31: Abundat iaque civitatibus quibus (Hauptius ditibus) Media et vicis in modum oppidorum exstructis cet. Sic codices. Ex iaque faciendum potius itaque (propter soli fertilitatem ante descriptam) quam æque, quod nunc editur.

Ibid. § 63: Inter flumina vero multa, quæ per has terras vel potioribus iungit natura vel lapsu post trahit in mare cet. Ineptum est post; desideratur proprii et a ceteris separati lapsus significatio. Scribendum: lapsu suopte trahit in mare. Semel scriptis litteris su terminatio pronominis corrupta est.

Ibid. § 64: ab occidentali latere Scythis annexos, a septentrione et orientali nosæ solitudini cohærentes. Sic V. Efficitur: a septentrione et oriente nivosæ (non, ut editur, orientali).

[redacted]

Ibid. § 70: His locis Paropanisadæ sunt proximi, Indos ab oriente Caucasumque ab occidentali latere prospectantes, ipsi quoque montium defectibus inclinati cet. Non deficiebant montes, sed in præruptis lateribus et deiectibus montium habitabatur.

Ibid. § 80: nec ministranti apud eos famulo mensæque astanti hiscere vel loqui licet vel spuere; ita prostratis pellibus labra omnium vinciuntur. Videtur fuisse: ita perforatis pellibus (ut spiritum ducere nec tamen loqui aut spuere possint).

Lib. XXIV, 1, 4: Sarcinas vero et calones . . impedimentorumque genus omne inter utrumque latus instituit procedentium ordinatim, ne qua vi subita raperentur cet. Scribendum: inter utrumque latus instituit procedentium ordinari. Instituit Iulianus, ut sarcinæ et impedimenta certo loco ordinarentur, non impedimenta instituit.

Ibid. 2, 4: Surena post regem apud Persas promeritæ dignitatis. Vereor, ne scriptum fuerit: promotæ dignitatis, hoc est, excellentis et eminentis. Meritæ dignitatis mentio nihil ad rem pertinet. Minus probabile est proximæ.

Ibid. 4, 20: Nihil enim asperum ira et dolore succenso militi videbatur, nihil munitoribus erat pro salute currentibus metuendum aut dirum. Scribendum concurrentibus. Non currebant pro salute munitores, sed concurrebant (cum hostibus) et certabant.

Ibid. 6, 12: (aciem Persarum) adusque Ctesiphontis muros egit præcipitem, adversorum feriens suras et terga. Suræ et terga feriuntur non adversorum, hoc est, qui adversi stant et impetum excipiunt (— nam alii sunt adversarii —), sed aversorum, hoc est, terga persequentibus obvertentium. Idem supra

significatur verbis eius (aciei) occipitiis pertinacius hærens. [Sic iam Iac. Gronovius.]

Lib. XXV, 3, 17: Nec me gestorum pænitet aut gravis flagitii recordatio stringit, vel cum in umbra et angulis amandarer, vel post principatum susceptum, quem tamquam a cognatione cælitum defluentem immaculatum, ut existimo, conservavi cet. Pronominis quem nullum in codicibus vestigium est, neque sane principatus, etiamsi divinitus datus intelligatur, ullo modo a cognatione cælitum defluere dici potest; hæc verba necessario ad Platonicam sententiam de animi humani cum divino, a quo decerptus sit, cognatione pertinent. Itaque sic orationem redintegrandam puto: — stringit. Vel cum in umbra et angulis amandarer, vel post principatum susceptum <animum> tamquam a cognatione cælitum defluentem immaculatum, ut existimo, conservavi.

Lib. XXVI, 6, 3: falso rumore disperso, inter abeuntis anhelitus animæ eundem Iulianum vero mandasse, placere sibi Procopio clavos summæ rei gerendæ committi. Vero, quod ferri non posse manifestum est, alii sustulerunt, alii nuper in sero mutarunt; verum sera non erat significatio voluntatis, si audiebatur et intelligebatur; brevissima fuit, quoniam vix loqui moriens imperator poterat. Scribendum igitur videtur: Iulianum verbo mandasse.

Ibid. § 15: ut in theatrali scena simulacrum quoddam insigne per aulæum vel mimicam cavillationem subito putares emersum. Mirifice simulacrum per cavillationem, quæ in verbis posita est, emersum dicitur et tamquam paria coniunguntur aulæum et cavillatio. In codicibus antiquis scribitur: vel miciam cavillationem. Opinor subesse; per aulæum

vel **machinationem**. Initio vocabuli depravato ex reliquis litteris effectum est cavillationem.

Ibid. 8, 5: Hyperethium .... antehac recte castrensis apparitorem, id est, ventris ministrum et gutturis. In litteris recte genetivum substantivi latere satis apparet, sed neque rei neque rectoris nomen illam singularis alicuius muneris significationem habet, cui accommodantur verba insequentia. Fuitne: **diætæ** castrensis? Saltem manifestum est significari munus cum culina imperatoris coniunctum.

Ibid. § 14 (de Procopio expeditionem in orientales provincias parante): erga alliciendas quasdam civitates Asiæ legendosque eruendi peritos auri ut sibi profuturos prœliis, quæ magna exspectabat et crebra, segnius commoratus in modum acuti mucronis obtunsus est. Pervelim scire, quid homines auri eruendi periti in prœliis magnis et crebris, quæ Procopius exspectabat, profuturi visi sint. Valde suspicor scriptum fuisse: eruendi peritos **Tauri**, ut significentur homines, qui fauces et angustos meatus Tauri nossent et perreptare scirent.

Ibid. 10, 10: Nam inter arma et lituos condicionis æquatio leviora facit pericula, et Martiæ virtutis potestas aut id, quod ausum, occupat, aut inopinata mors, si acciderit, nullum ignominiæ continet sensum finemque secum vivendi simul et dolendi perducit. In hac editionum scriptura, ut omittam orationis perversitatem in illis id, quod ausum, occupat (— nam neque est omitti poterat neque ausum est passive dici, etsi participium sæpe pro substantivo, rarius propria vi sic dicitur —), sententia perversa est, quoniam neque de occupando auso agitur neque inopinata mors in prœlio appellari potest. Sed mendosam scripturam satis coarguunt codices antiqui, qui primum habent

ausum id quod occupat et deinde nobilitate et mors (pro inopinata mors). Hinc efficitur: aut ausum id, quod **occupavit, nobilitat, aut** mors, si acciderit, nullum ignominiæ continet sensum cet. In bello aut conatum etiam minus iustum victoria nobilitat aut ignominiæ sensum mors aufert.

Lib. XXVII, 6, 8 (in oratione Valentiniani): Gratianum ... in augustum sumere commilitium paro .... familiæ suæ laudibus maiorumque factis præstantibus concinentem, potioribus (invidiæ metu dicitur) protinus surrecturum cet. Neque ex vocabulo potioribus neque ex iis, quæ parenthesi includuntur, sententia ulla extundi potest. Pro potioribus, quod Valesius e codice Colbertino sumpsit, simul succreturum scribens, in codice V scribitur paucibus. Efficitur facillime: familiæ suæ laudibus maiorumque factis præstantibus concinentem (**parcius** invidiæ metu dicitur), protinus surrecturum. Modestius se maiorum facta laudare invidiæ metu dicit. (Ea, quæ sequuntur, quam ridicule in recentissimis editionibus interpungendo discerpantur, dicere piget.)*)

Ibid. 7, 9: Nulla uasat uectio pravitatum apud eos, qui, quod uel ineffi maximas putant esse virtutes. Sic V. Neque mistio neque quæstio pravitatum (quæ coniecturæ sunt Gelenii et Accursii, hæc quidem ab editoribus recepta) aut per se ulla est aut ad

---

*) In 4, 5 semel saltem indignari liceat sperni ab editoribus certissimam Gelenii correctionem, quam ipse coniectura feceram: cuius in summitate occidentali montibus præruptis densatæ (densita et V) Succorum patescunt angustiæ. Angustiæ densantur montibus præruptis; montes prærupti densitate (sic enim editur) mira monstra sunt.

[redacted]

loci sententiam accommodata. Significatur pravitates ad summum pervenisse, ut ultra crescere nequeant. Latet igitur auctio, scribendumque videtur: Nulla st auctio pravitatum. Nam quod ex litteris uasat Accursius et Gelenius effecerunt vacat, vix dici potest pro eo, quod est locum habet, potuitque mendum oriri ex concursu litterarum asta. Deinde videtur subesse: qui, quod velint, effici maximas putant esse virtutes, nisi quod in postremis vocibus vehementer offendit pluralis numerus virtutum, ut pæne suspicer scriptum fuisse: maximæ putant esse virtutis.

Lib. XXIX, 1, 2: Contra has copias Traianus comes et Vadomarius . . . perrexere . ., hoc observare principis iussu appositi, ut arcerent potius quam lacesserent Persas. Scribendum videtur: principis iussu dispositi; sic enim persæpe Ammianus loquitur (dispono aliquem facere aliquid et disponor aliquid facere), altero illo modo (apponor facere) nusquam; v. XX, 4, 9, XXIV, 1, 2, XXV, 5, 8 et 6, 14 (loca servare dispositi) cet.

Ibid. 3, 1: His et mihi vertenti stilum in Gallias confunditur ordo seriesque gestorum, inter multa et sæva Maximinum reperiens iam præfectum cet. Pro his necessario scribendum videtur hic (hoc loco).

Lib. XXX, 8, 10: dignitatum apices maximi licere sibi cuncta existimantes et ad supplicandum contrarios exturbandosque meliores pronius inclinati. Nihil est supplicare contrarios, rectum: ad supplicio dandos contrarios (hoc est, ad adversarios pœnis et suppliciis obiiciendos).

Ibid. 10, 1: quæ (cohortes Gallicanæ) . . . ausuræ novum quoddam [quiddam?] in tempore sperabantur, hoc temptandæ novitati res adiuvante, quod gesto-

rum ignarus etiam tum Gratianus agebat tum apud Treviros cet. Pro adiuvante codex V habet aduente, in quo latere videtur acuente, hoc est, augente et incendente. Sed quid est sive adiuvare sive acuere res temptandæ novitati, aut quid omnino hic agit rerum vocabulum? Admodum suspicor scriptum fuisse: hoc temptandæ novitatis spes acuente, hoc est, exspectationem et opinionem, aliquid novatum iri.

Lib. XXXI, 4, 7, ubi Græcorum de Xerxis expeditione narrationes ultra fidem exaggeratæ irridentur, significatis breviter Hellesponti transitu, fossa ad Athonem montem ducta, exercitus Persici ad Doriscum numeratione, ea verba, quæ ad fossam in Athone pertinent, Isaacus Vossius pridem tam egregie emendavit, litteris, quæ distractæ erant, recte coniunctis et pro mari restituto mare, quem accusativum participium quæsitum manifesto monstrat, ut iure mirere nuper pro certissima hac et simul facillima emendatione monstra quædam a vestigiis codicum longe recedentia et ad rem significandam inepta excogitata esse. Priora minus feliciter idem Vossius tractavit. Nam in litteris Hellesponti occupantes subest et manifesto emergit: Hellespontiacos pontes; cum librarius substitisset in Hellesponti tamquam pleno vocabulo, ex litteris, quæ supererant, acos et pontes natum est mirificum illud occupantes. Superest, ut, restituta, quæ sub dudum latet, particula dum, totam sententiam sic decurrere intelligamus: quæ, dum Hellespontiacos pontes et discidio quodam fabrili mare sub imo Athonis pede quæsitum exponunt et turmatim apud Doriscum exercitus recensitos, concordante omni posteritate, ut fabulosæ sunt lectæ.

Ibid. 5, 12: (Teutones et Cimbri) ultimis prœliis per duces amplissimos superati, quid potestas Martia de habitu prudentiæ valeat, radicitus

exstirpati discriminibus didicere supremis. Quis sit habitus prudentiæ, et quid de hoc habitu valeat potestas Martia, frustra quæsiveris; nugæ enim sunt certissimæ. Veri inventionem non sane difficilem adiuvat codex V, in quo est habita; Ammianus scripserat: quid potestas Martia **adhibita prudentia** valeat. In Romanis ducibus virtuti militari adiuncta erat prudentia. Cum littera a, quæ bis scribi debebat, semel scripta factum esset: Martiadhibita, primum hinc ortum est de habita, tum in codicibus deterioribus de habitu. Paucis infra versibus (§ 13) ex litteris post eri urbium captarum videtur faciendum: post **ærumnas** urbium captarum.

Ibid. 10, 3: accolæ, ad Romanorum verum excidium coniurati. Pro verum Hauptius restituit, quod ipse conieceram, rerum; sed scribi debebat: ad **Romanarum** rerum excidium.

Rutilius Lupus.

(Rhetores Lat. ed. Halm.)

Lib. I, 2 (in exemplo Lycurgi): multa simul eum (nocentem) perturbant, quod adest, sollicitudinis plenum, quod futurum est, formidolosum, lex paratum supplicium ostentans, vitia ex vitiis coacta cet. Scribendum esse: **vita** ex vitiis coacta (hoc est, tota ex iis conflata), vel cetera subiecta singulari numero posita ostendunt. [Sic iam Casp. Barthius, quamquam ipse postea coniecturam repudiavit.]

Ibid. 4 (in exemplo Hyperidis): Nullum est enim vitium, quo virtutis laude gloriari possis. Halmius ut addi post quo volebat. Scribi debet: **quod** virtutis laude gloriari **possit**. Generalis est sententia superiora confirmans. In eodem exemplo paulo ante potius addendum debere (intelligi debere) quam tollendum intelligi.

Ibid. 9 (in exemplo Stratoclis): At consiliis captas ærarii opes, quas cupitis augere non potestis. Varie et violenter hæc tentantur, et ad lacunæ suspicionem confugitur. Faciliore via verum restitui potest: At consiliis **fractas** ærarii opes, **quæ capitis**, augere non potestis. Fractas iam Iacobus.

Ibid. 16 (in exemplo Demosthenis): Nunc, quoniam de me, ut volui, cognostis iudicium per ipsius vitia constituam nam dum opus est. Ex litteris post veræ scripturæ depravationem et dissolutionem in Latinarum vocum speciem quandam conglutinatis efficiendum videtur: Nunc . . . cognostis, **iudices, parumper istius vita constituenda in oculis** est. In codice archetypo breviter scriptum fuerat iud. pro iudices.

Ibid. 19 (in exemplo Hyperidis): Leges igitur, quæ prohibebant hæc, non negligebas? Non poteram, propterea quod litteris earum arma Macedonum opposita obsistebant. Minore molimine, quam quo Halmius usus est, verum restituetur sic: Leges igitur, quæ prohibebant hæc, non **legebas**? Non poteram, propterea quod litteris earum arma Macedonum opposita obsistebant. Urget adversarius interrogando, num is, qui oratione se defendit, leges suis rogationibus contrarias ignoraverit nec legerit. Respondet orator, se eas propter arma Macedonum opposita legere non potuisse, hoc est, eas vi armorum invalidas fuisse. [Sic iam Tollius.]

Lib. II, 6 in exemplo Charisii scribendum est: hæc si præsens agat, ut dixi, res publica, quid animi **sitis** habituri, quæro.

Ibid. 18 (in exemplo Demosthenis): Vestra opera, Athenienses, in tanto res publica periculo est. Vos enim defendere defecistis cet. Scribendum: Vos enim **de fœdere** defecistis.

Iulius Rufinianus.

(Ibid.)

§ 2 (in exemplo Ciceroniano): Potuistine contumeliosius facere, si tibi hoc Parmeno alloqui ac non ipse Parmeno nuntiasset? Scribendum: si tibi hoc <a> **Parmenone aliquis** ac non ipse Parmeno nuntiasset.

§ 10 (in exemplo Catonis): Si vos in eo loco essetis, quid aliud faceretis? Scribendum: Si vos **meo** loco essetis, quid aliud faceretis? (Cf. mendum olim correctum apud Cic. pro Rosc. Am. 73.) [Correctio adhibenda fuerat iam apud Quintilianum IX, 2, 21.]

Festus.

P. 129 (Müll.) v. manubiæ: Alteræ, quæ maiores sint ac veniant cum fragore discutiantque aut divellant, quæ a Iove sint et consilio deorum mitti existimentur. Scribendum: quæ a Iove **sine** consilio deorum mitti existimentur. Ibidem paulo post: quæ statum mutent deorum consilio superiorum. Scribendum: **quas statui putent** deorum consilio superiorum. De putent cf. superius existimentur.

P. 134: Mæson persona comica appellatur, aut coqui aut nautæ aut eius generis. Dici ab inventore eius Mæsone comœdo, ut ait Aristophanes Grammaticus. Scribendum: — eius generis, **dicta** ab inventore cet.

ADDENDA.

P. 202. In loco, qui hic tractatur, Ciceronis ex Ep. ad Brut. II, 1 offenderat me iam antea præpositio ex mire posita pro ab, quamquam hoc ipsum parum apte et usitate dicitur, a Cicerone esse, non ab aliis, quod subiiciatur. Fugerat me in codice, unde hæc fragmenta Cratander edidit, scriptum fuisse aut scribi debuisse: **extremum** illud est, quod te velim habere cognitum. Epistolam graviter concludit et summam eius continet id, quod subiicitur.


— 235. In Taciti Ann. XV, 3 iam Huetius cavere maluerat.

— 239 sq. In Taciti Hist. II, 76 iam Rupertius scribi voluerat non cupisse.

I. Index scriptorum, qui emendantur.

(Numeri paginas indicant.)

III. Index rerum et verborum Latinus.


UNIVERSITY OF MICHIGAN